Joseph Tasker
Middleton Hall, Essex

London

Bequest of

Rev. H. C. Scadding, D.D.

to the Library

of the

University of Toronto

1901

PUBLII

HORATII FLACCI

OPERA.

PARISIIS, EX TYPIS DECOURCHANT,
Viâ vulgo dictâ *d'Erfurth*, n° 1.

LL
H8113Du

HORACE

QUINTUS HORATIUS FLACCUS

EX RECENSIONE ET CUM NOTIS

PETRI DUVIQUET,

OLIM IN UNIVERSITATE PARISIENSI,
NUNC IN UNIVERSITATIS REGIÆ ACADEMIA PARISIENSI
DOCTORIS ET PROFESSORIS AGGREGATI.

TOMUS SECUNDUS.

52633
2/6/02

PARISIIS,

APUD CAROLUM GOSSELIN,
S. R. C. DUCIS BURDIGALENSIS BIBLIOPOLAM;
NEC NON APUD MAME ET DELAUNAY-VALLÉE.

M. DCCC. XXVI.

EDITOR AD LECTOREM.

QUAM tenui stylo et didacticâ quâdam simplicitate de Horatii vitâ et scriptis præfationem primo volumini apposuimus, illam iterùm, eamdem et aliam, materie sententiisque similem, oratoriâ sublimitate diversam, ampliori et digniori elocutionis ornatu decoratam, et à celeberrimo Harlemensis scholæ rectore, eodemque poetæ nostri annotatore, intèr solemnes academiæ ludos publicè dictam, huic alteri volumini præfigendam esse ideò censuimus, quòd non sinè magnâ litteratorum virorum, præsertìmque adolescentium, utilitate demonstrabitur, quantùm varietatis afferat, in ejusdem argumenti decursu iter vèl contractis vèl expansis velis facere. Laudatus primum modestè, ut editoris infirmitatem decebat, Horatius, jàm grandiori et quod Horatii ingenium multò meliùs decet, præconio celebrabitur; eò quidèm meliùs, quòd, dùm excellentissimi poetæ carminibus famulatur eloquentia, solerti quâdam adulatione, propriam quamque laudem ex ipsius Horatii verbis mutuatur.

Neque nos pœnituit huic orationi subjicere depromptam è recentioris Aristarchi scriptis doctam et elegantem de Flacco nostro, sed de Flacco Sati-

rarum duntaxàt scriptore, et Juvenali disceptationem. Nullâ enìm re ad rectè judicandum faciliùs et certiùs adducimur, quàm institutâ duos intèr viros in eodem genere primarios, comparatione, quorum vitia virtutesque intèr se bonâ cum fide conferuntur. Utrumque verò poetam quis æquâ lance pendere dignior, quàm illustris ille censor qui, postquàm varias litterarum partes haùd infelicitèr tractaverat, et in satirâ quoque sese exercuerat, omnes tùm poeseos, tùm eloquentiæ ætates severus quidèm sed incorruptus judex ità percurrit, ut ipse, alter Quintilianus et judicatus, et, jàm extincto politicarum litterariumque partium æstu, doctis plerisque consentientibus, cognominatus fuerit?

ORATIO

DE

Q. HORATII FLACCI

VITA ET SCRIPTIS,

HABITA HARLEMI A DOCTISSIMO VIRO EDUARDO A ZURCK,
JURISCONSULTO,
ET INTÈR HORATII ANNOTATORES CELEBERRIMO.

HABENT hoc florentia imperia, et pace atque otio abundantia, ubì et benignè insignioribus cujusque meritis suus retribuitur honos, ut et ingenia producant excitatissima, omniumque artium et facultatum vim et industriam incredibilem in modum provocent et exacuant. Taceo de multis regnis, in quibus id quod dico satìs in illustri positum est loco. Mitto liberiorem olìm Græciæ statum, quo primùm eruditioni ac facundiæ, poesi et philosophiæ, omnique deniquè sapientiæ signa sublata sunt; nèc in causam latiùs inquiram, numquid deinceps Alexander et hâc ratione Magnus dici meruerit, quòd generosus animus probè intellexerat, magnum imperio decus, magnam rebus à se gestis lucem, et nomini suo splendorem accedere perpetuum, si domi et in vicinâ porrò Græciâ bona foveret ingenia, et foràs, multos poetas rerumque gestarum scriptores secum educeret. Ne

dicam quòd in unum Aristotelem octoginta talenta præmii loco dederit, cùm animalium descripserat naturas, et aliquot hominum millia per Græciam Asiamque constituerit, pecuarios, venatores, piscatores, cetarios, aucupes, qui de singulis eum edocerent. Veritatem ejus rei luculentèr comprobavero, si Augusti ætatem hùc referam. Felicissimus hic et optimus princeps noverat, *potentiam consilii expertem mole suâ ruere*, et *vim mentibus insitam* doctrinâ maximè promoveri, et imperia non nisi summâ arte et industriâ contineri.

Industriam verò illam nullibì aut jucundiùs sibi, aut ad subjectos in obsequio retinendos potentiùs, aut ad imperii majestatem propagandam feliciùs occupari posse senserat, quàm si egregias artes studiaque litterarum ipse non segnitèr tractaret, aliisque eadem porrigeret virtutis instrumenta; comprobato insupèr, ut rectores provinciarum magistratusque sibi cari essent, qui iisdem tenerentur studiis [1]. Hâc inductus ratione, summos jurisconsultos familiares sibi fecit, responsaque eorum pro legibus esse jussit, et cultissima ac defæcatissima sui temporis ingenia sìc complexus est, ut et multis ea præmiis fuerit prosecutus.

Non ille poetas Græcos aut Latinos, homines ad otium et voluptatem, ut videntur, solùm natos, adeò contempsit, ut non et intèr illos sedere, iiscum cœnare [2], eosque familiaritèr arcessere ad se volue-

[1] V. Suet. Octav. c. 88, 89.—[2] Intèr Virgilium, anxium et suspiciosum virum, et lippientem Horatium sedens, supervenienti amico Cæsar aiebat, *Intèr suspiria et lacrymas sedeo.*

rit. Quare non deerant, qui tantâ principis facilitate et ingenio uterentur, doctissimi liberrimique homines[1]; adeò ut et Græculus poeta, ut videtur, non malus, artis fiduciâ carmina ubìque Cæsari porrigeret, licèt diù esset contentus, quòd bono solùm vultu ea exciperentur. Tandèm cùm carmen è principis manu suis reponeretur, en hominis frontem et astutias! liberalitatem quam hactenùs in se nullam fuerat expertus, in Cæsarem exercuit, depromtis ipsi ex imo marsupii fundo sex dragmis, additisque muneri verbis, quæ, ut jucunda, sestertiis centum millibus remunerata sunt[2]. At quid tàm longâ circuitione utar, cùm cuivis nostrûm facilè in mentem veniant Virgilii et Horatii, qui soli adhùc dubium facere possint, an ipsi à tantâ principis indulgentiâ, an verò Cæsar ab arte eorum immortali plus laudis splendorisque fuerit consecutus? Sed de Flacco hoc tempore solùm dicam, ut qui aures animosque vestros morari non injucundè possit, si ad singularia quædam, quæ de eo proferam, paulispèr attendatis.

Ac primò quidèm, ad viri laudem quoque facit, quod Venusii, obscuro sanè oppido, natus sit. Commune hoc illi fuit cum plurimis doctissimisque id temporis viris, qui loca per se obscura incunabulis suis illustrârunt[3]. Et si Roma caput suprà omnes urbes extulerit, non hoc se nomine jactare admodùm præferreque omnibus potest, quòd ipsa pro-

[1] V. Suet. in vitâ Horatii. — [2] Macrob., Saturn. 2, 4. Virgilio pro xx versibus quinque aureorum millia dedit. — [3] V. Suet. d. l.

tulerit insignes doctrinâ viros [1], utì quidèm opibus et potentiâ eos ad se allicefecit. Scilicèt luxus et avaritia, in magnis urbibus dominantia, extinguere vèl solvere ingenia solent. Contrà verò, qui artem vivendi sapiendique intelligunt, ad præclara quævis assurgere, suosque educere ad virtutis honestique cultum, potissimùm judicant.

Talis erat Flacci nostri parens, homo humilis sortis, libertinus, coactor exactionum vel salsamentarius. Hic tamèn Flacco nostro, jàm Augusto et Mæcenati caro familiarique, tàm non inficiandus pudendusque pater visus est, ut nèc alium optâsset, si natura quoque id sineret [2]. Vir enìm animo suprà fortunam erecto, nec sibi nec filio timuit, ut quis vitio verteret, quòd uterque fortè præconis coactorisve conditionem non excederet, si modò, qualis ipse erat, honestus, et ab omni turpi facto opprobrioque esset liber.

Nequè satìs erat patri optimo, si partìm sperare illa de bonâ filii indole, partìm assiduâ ejus observantiâ in cereo animo efficere posset; cetera unicè sollicitus, quâ ratione emergeret, et pennas nido majores esset extensurus. Mihi, vèl potiùs Flacco nostro credite; non id generoso viri animo insidebat, ut, undè uberrimus Romæ quæstus erat, exactissima fœnerandi studia in Flavii ludo,

[1] Ita Cicero Arpinas, Terentius Afer, Plautus Umber, Corn. Nepos Padi accola, vel Italus aut Gallus, Virgilius Mantuanus, Catullus Veronensis, Propertius Umber, Ovidius Sulmonensis, Sallustius Sabinus, Livius Patavinus fuêre, ut alios taceam. — [2] V. Sat. 6, l. I.

parvoque, ut in pagis fieri solet, pretio cum magnis quoque centurionum filiis addisceret; sed Romam, velùt in Universi theatrum ad eas docendum artes puerum perduxit, quas quivis eques et senator suis traderet. Romæ autèm, non ut aviculam volare pueri volunt, dùm pedem tenent constrictum, parcè ac duritèr, intèr multas objurgationes exiguosque sumptus filium habuit; sed vestes servosque ei præbuit velùt ex avitâ re lautissimâ, pro nihilo putans, si quis libertino patre natum roderet. At jure, fortè cogitatis, istiusmodi offensiones sæpè audiit, cùm tantos illi animos sinè spe vanissimâ misellus pater inspirare haùd potuerit. Eane tùm reipublicæ facies erat, ut novis passìm hominibus aditus ad honores magistratusque pateret? An verò, quod ipse de se Flaccus, ad exemplum Pindari refert, *fronde novâ puerum palumbes texêre*[1], singulare quoddam futuræ sortis indolisque divinæ præsagium in eo vidit[2]? Sed minimum horum cum ratione dici nequit. Nàm à favore, judicioque populi, qui jàm non ampliùs dabat imperia, fasces, legiones, et, ut verbo dicam, omnia, nihil admodùm sperari poterat; et idem tamèn si tollere eum potuisset, suum ingenium moresque facilè servasset, cum in titulis, imaginibus, externoque splendore oculos solùm defigat, licèt unum ferè Ciceronem, novum ignobilemque virum, sed summum fori regem, triumphatorem animorum invictissimum, potentibus æquè ac toti reipublicæ ne-

[1] De Pindaro et Platone refert Ælian. l. 12 eos infantes expositos melle ab apibus enutritos. — [2] Lib. III, od. 4.

cessarium factum, ad summos honores extulisset. Quantis enim motibus, quantâ multorum cum invidiâ, quantâque reipublicæ tempestate eò provectus sit, norunt qui Ciceronem ejusque tristem exitum satìs unquàm expenderunt.

Quod verò Flaccus de fronde à palumbibus ingestâ eferat, poeticum fictumque esse auspicium, eòque Augusti præsidium tutelamque significari, cùm Veneris genitricis aves illæ fuerint, cuivis satìs constare existimo. Quid ergò? Numquid bonus pater pecunias ut in Junonium puerum jactare voluisse censendus est, et Herculis cothurnos puero aptare, omnesque induere facultates, ubì non nihil bonæ spei in eo apparebat? Minimè, minimè, Auditores, aut Flacci pater tàm stultus fuit, aut incerto adeò omine futuræ filii felicitati præludere voluit. Aliud quid generosum agitabat animum, ut filium se feliciorem olìm redderet. Perspexerat homo sagax egregias quasdam insitasque animi vires, rectique cultum et decori, doctrinâ excitari ăc promoveri; observârat vir diligens, virtutis sapientiæque possessionem maximas esse certissimasque divitias, eòque liberalissimam honestissimamque educationem maximum adferre adjumentum. Et quòd voto speique respondentem expertus sit filium præsumi potest, cùm majoribus quoque sumtibus Athenas eum mitteret.

In illo celeberrimo sapientiæ emporio [1], duratâ satis ætate, domique exemplis et paternis monitionibus non levitèr instructo juvenili animo, cùm sinè

[1] V. sat. 4 et 6 lib. I; lib. II epist. 2.

cortice natare jàm poterat, tantùm ingenii efficaciâ, gravitate judicii, fideli memoriâ, assiduâque diligentiâ rerum verborumque thesaurum sibi comparavit; ità in clarissimâ universi terrarum orbis luce versatus est et enituit, ut si scripta ejus conferas cum Græcis, statuere jure possis, quantùm Athenæ toti Græciæ, tantùm hunc Athenis luculentèr præstitisse.

De famâ ejus jàm dispersâ, de spectabili virtutis sapientiæque habitu, summisque in eum nobilium maximè et clarissimorum virorum studiis cogitari potest, cùm Brutus, minimè ineptus ingeniorum æstimator [1], in societatem belli civilis et ad tribunatum legionis romanæ eum evocaret, ratus scilicèt fieri non posse, quìn pro arctissimâ omnium intèr se virtutum cognatione, quamvìs militiæ planè rudis esset Flaccus, ad exemplum Tyrtæi, summorumque virorum, bellicâ quoquè virtute sibi auxilio esset ac consilio.

Sed cùm eo in bello, Philippensi nempè, lacertis Cæsaris pares non essent Bruti copiæ, Flaccus Martem ipsis iniquum nimìs sentiens, *abjectâ parmulâ*, Mercurii ope ac præsidio per densum aërem incolumis evasit, hoc est, ut ipse refert, jàm decisis sibi pennis humilis, et lare ac fundo destitutus Romam petiit, et Cæsari poeseos facundiæque beneficio reconciliatus est [2], parario magni favoris, tàm animo quàm origine regio verè patrono, Mæcenate.

[1] V. Cic. epist. et de orat. — [2] Lib. I, od. 2 patet, Augustum pro Mercurio habitum. V. porrò lib. II, ep. 2 init. Lib. II od. 7. Suet. d. l.

Hic, Augusti dextera, urbis Romæ præfectus, et totius regni, ut vocant, vicarius, dignissimos quosque, quales erant Varius et Virgilius, primæ admissionis amicos, et Flaccum insupèr convictorem post sibi assumsit assiduum; tanto utrìmque cum judicio ac penè fastidio, tantâ cautione ac prudentiâ, quemadmodùm divites et ingeniosi homines solent, ut nec illum electionis suæ unquàm pœnituerit, neque hic libertatem, rem sibi sempèr caram visam et inæstimabilem, sìc amiserit, ut non, quotiescunque ferè animo esset libitum, eâdem liberrimè uteretur eodem in fundo, Sabino scilicèt, quo ab amicissimo magnificentissimoque viro erat donatus [1].

Totos novem menses, statum perfecto partui tempus, de hoc homuncione, bipedali ferè modulo, corpore Tydeo, at animo Hercule, sed Musarum alumno, intèr amicos recipiendo deliberaverat Mæcenas, quanquàm tradentibus eum Virgilio, Varioque, cùm summis primarii nominis poetis, tùm et candidis minimèque malis viris. Memorabile est quâ arte ac moderatione tantâ summi viri benignitate usus sit. Ejus in oculis cùm Flaccus gestaretur sempèr, illi ad mensam, in seriis illi et jocis, domi forìsque comes esset indivulsus ac perpetuus usquè ad extremum vitæ spiritum, ea tamèn sibi non petiit, quæ nec ille denegâsset; quìn et accepta semèl reddere potuisset, si cum libertatis honestique otii damno retinere illa debuisset; satìs etiàm beatus

[1] Omninò vid. lib. I, epist. 7, D. Sat. 6 lib. I.

sinè unicis illis, cetera gratissimis, Sabinis, et contentus satìs modico, fortè ex scripto quæstorio, aliâve re tenui reditu; dissimilis hâc parte vulpeculæ illi[1], quæ in frumenti cameram cùm irrepsisset, frustrà foràs tendere quærebat, donèc indè macra exiret, utì macra eò penetraverat.

Incredibile sit cuivis, nisì oculis viderit ac diligentèr collegerit, quanta in summâ rerum affluentiâ modestia viri, quantum mediocritatis studium in eo eluxerint, cùm ad magnos honores invidendasque fortunas aditus esset patentissimus. Sed satius, satius omnibus copiis habuit, audiat hoc insipiens et inficetum seculum nostrum, si fides et benigna ingenii vena flueret, si, quantùm satìs esset, Deus ipsi offerret.

Nec verba fucatamque sui speciem præbuit, cùm istiusmodi profert sententias, sed re ac facto longè majora sempèr comprobavit[2].

Primò enìm, Mæcenati, ut audivistis, insinuatus, talemque in ejus amicitiâ locum tenens, ut ille visceribus eum suis plùs diligeret, moriensque ab Augusto peteret, quòd Flacci, ut suî, esset memor, nunquàm tamèn videas officipetam, nunquàm ambitiosum, insolentem nunquàm, sed contrà iis artibus in flagrantissimâ principis viri gratiâ se tuentem, quibus juvenis admodùm carus illi commendatusque fuerat, hoc est ingenti ingenio, curiosâ judicii elegantiâ, et vitæ morumque innocentiâ, si seculi vitia excipias, multùm ubìque memorabilem[3].

[1] Epist. 7 et 18 lib. I. V. Suet. d. l. Lib. II od. 18. — [2] Lib. II, od. 18, lib. III od. 16. — [3] Lib. II sat. 6, lib. I epist. 9.

Augusto verò quàm se probaverit, cogitari potest, cùm Epistolarum officium, unàque regiam mensam ei obtulerit [1], neque tamèn, cùm recusaret, quicquam ei succensuerit, ut non et in amicorum haberet loco, datis ad eum literis, quibus admonebat modestissimum hominem, sumeret sibi apùd illum juris aliquid, qui et convictoris secum invenire locum posset. Tantùm volebat Cæsar majestatis suæ oblivisci, tantùmque summo viri ingenio delectabatur, ut et si ille suam sprevisset amicitiam, ipse vicissìm homuncionem nequaquàm contemneret, sed eo liberrimè adhùc uteretur, donisque redderet illum ditiorem.

Fingite mihi nùnc, si quà fieri possit, majestatem ac potentiam Cæsareæ illi parem, vel longè minorem, et nonnullà tantùm parte comparandam, et ad eum simùl admittite poetam Horatii ingenio, doctrinâ et elegantiâ multò inferiorem, quisquamne nostrùm dubitet, quîn tàm potens pollensque homo omnes, qui eòdem tendere, vel vestigia solùm legere ausí fuerint, ut viles animas et umbras volitantes sit despecturus, et potiùs quàm sit commendaturus, eosdem aulicis suis deridendos propinet. Ad exemplum verò Flacci, viginti, aut plures aliquo secum in numero ut habeat [2], aut recenseat aliquos utì non infimi subsellii viros, id verò esset corollas capiti suo decerpere, et gloriam sibi paucisque debitam imminuere planè ac invertere.

Undè verò anxia illa cura atque cautio, nisì quòd

[1] Suet. d. l. — [2] V. satir. 10.

optimè secum quisque nôrit, quàm curta sibi et bracteata sit supellex, quàm tenui filo res suæ pendeant, et quàm cereis ferè alis fama eorum nitatur? Tantùm abest, ut ære perenniora fore ingenii sui monumenta bonâ fide speret, et invidiam meritis superâsse se sentiat, utì sol cùm medio evectus cœlo nullam umbram infrà se videt. Horatio solùm, cum paucis aliis, felicitas ista propria et incontaminata fuit, ejusque bonitas ergà similes, et omnes, qui licèt optimi esse nequibant, optimis tamèn quàm proximè accedere studebant, erat notissima, nisì quòd vitiosos quosdam et obscuros homunciones, nominis sui doctorumque iniquissimos obtrectatores, acerbo, ut merebantur, sale perfricuerit.

Ad tantum verò honoris fastigium natura eum pepererat, diligentia exercuerat, et summorum virorum extulerant suffragia. Primam et augustissimam poeseos laudem, sinè ullâ ambitionis specie, Augustus ei tribuit, cùm Vindelicæ victoriæ, Divis suis et auspiciis per Tiberium Drusumque partæ, conditique seculi memoriam ab eo peteret sempiternam. Indè adhùc habemus quartum Odarum librum [1], tribus prioribus ex longo intervallo adjectum, non certi satìs, utrùmne plùs in eo auctori ipsi, an Augusti judicio auctoritatique debeamus. Adhæc Epodon unum, dùos Satirarum, totidemque Epistolarum libros, et Artem poeticam, quamvìs tempora quibus scripta et in unum conjecta sint corpus, maximam partem, ignoremus, nemo facilè

[1] Vid. Suet. d. l.

spernat, nisì qui satiricos sapientis viri sales, et solidam antiquorum philosophiam odio habeat. Certè Flaccus non solùm digito prætercuntium monstrabatur Romanæ fidicen lyræ, sed vèl Sermones ejus, multis nùnc tàm parvi æstimati (dùm non cogitant in iis vires eum suas consultò extenuâsse), ab Augusto, quem jure intèr principes doctissimum et intèr doctos principem dicas, sìc probati fuerunt, ut et ipsi irasceretur, non quòd in plerisque ejusmodi scriptis secum potissimùm loquerctur, tantamque de iis haberet opinionem, ut roget numquid vereatur, ne apùd posteros infame esset, quòd videatur sibi fuisse familiaris.

Nec rustico quodam pudore [1], stultove à Principe optimo frigore, aut neglectu cultûs et observantiæ ejus, quem nemo non colebat jàm et observabat, tàm parcè ad eum et de eo scripsit; sed intelligebat homo sagacissimus, meliùs quàm nostri seculi homines, quàm difficile siteum benè laudare quem omnes passìm uno ore prædicant. Noverat Augustum, illud ingenium, *Cui malè si palpere, recalcitrat undique tutus.* Itaquè unam tantùm ad eum epistolam dedit, et aliis in locis, quasì aliud agens, tantam illi laudem tribuit, ut nihil præclarius sublimiusque dici possit.

Sanctior verò Musarum sacerdos fuit [2], et amicus sincerior et incorruptior, quàm ut Mæcenatem suum, quanquàm mollem delicatumque virum, sub Malthini nomine perstrinxerit; et, pòst eum

[1] Suet. d. l. — [2] Vid. lib. II epist. 1, et III od. 5.

superstes, ejus oblitus adeò fuerit, ut illi imputandum sit, quòd uno Pedonis Albinovani epicedio, coque mediocri quidèm, morti illius illacrimatum fuisse, sciamus. Honestior ejus senectus fuit, quàm ut eum, cujus totiès cum laude meminerat, quem partem animæ suæ vocabat, quocum, consentiente quasì astrorum vi, vivere ac mori optabat, ut eum, inquam, apùd quem facilè omnium amicorum fuerat primus, non primus omnium et omnium quidèm maximè defleverit. Puriùs apùd eum et incorruptiùs vixerat, quàm ut, ollâ jàm non ampliùs fervente, omnis ille studii ardor in lethale frigus fuerit immutatus. Ipsum illud Flacci silentium de obitu Mæcenatis sui, et illa ipsa mors propè conjuncta, tumulusque mòx contiguus, ostendant facilè eum, ingenti dolore stuporeque confixum, desiisse. Vèl si integer æquè ac superstes fuerit, non silentio quodam meditato tot de eo scripta adeò commaculâsse censendus est, ut non temporum potiùs injuriâ carmen illud a reliquo operum corpore fugisse videatur. Sagacior fuit et in virtutis cultu constantior, quàm ut *cadis cum fœce siccatis* fugerit tantùm et tacuerit.

Longum esset de singulis ejus virtutibus, quæ in scriptis certè relucent, memorare. Virtutes dico, quæ honestum mundi civem, et hominem sibi aliisque commodum reddant ac utilem, quibus et meliora ac sublimiora edoctos in pudorem sæpè dare possit. Quid dicam gratum ejus sempèr et ubìque ergà benè de se meritos animum, non ut sìc nova quædam aut largiora flagitet, sed ut perspicias planè

acquisitis se unicè contentum, in iis vivere, ac seriò exultare, cùm et inimicis se placabilem fuisse fateatur.

Mitto nùnc sapientissimas ejus voces de spernendis opibus, de felicitate ex iis haùd sperandâ, de justo conscientiæ examine, de seriâ vitiorum confessione, de emendando expurgandoque animo, de vitâ ad varias conditiones componendâ et reformandâ, de assiduâ mortis meditatione, aliasque creberrimas sententias, quibus Flacci philosophia christianæ ferè parem se monstrat. Quis non miretur et memoriæ suæ mandare cupiat magnam hujus operum partem, in quâ justitiam incorruptam, invictam animi magnitudinem, parcimoniam, continentiam, religionem in Deum, pietatem in parentes, patientiam paupertatis, contemptumque rerum humanarum summis effert laudibus, et contrà, perfidiam, injustitiam, metum, prodigalitatem, libidinem, luxuriam, avaritiam, atque omnia ferè vitia, acerbè carpit, vituperat, exagitat?

Dies me deficiat, si sapientiam hujus poetæ in rebus ipsis inveniendis, si mirificum artificium in disponendis singulis, si verborum vim atque notiones ad res ipsas exprimendas, ceterasque virtutes aperiam. Illius autèm suæ sapientiæ pulcherrimarumque rerum præcepta iis includit numeris, tantâ perfundit gratiâ, eâque arte animis insinuat, ut et rebus ipsis et ordine ac ratione propè divinâ legentes rapiantur.

Jactent se nostri seculi Stoici quantùm velint, sint beati, sint sapientes, contentique vel tribus

doctrinæ suæ præceptis, et rideant ac exsibilent omnes verborum rerumque certas leges ornatusque; nunquàm tamèn evincent, ut non magna laus sit futura eorum, qui non ad sterilem humilemque scientiam, sed ad nobilem illam liberalemque philosophiæ partem, quæ poesis appellatur, sua studia contulerunt. Nàm veteres illos, quibus optimi ac summi Dei vocem audire, ejusque sermone frui sæpè licuit, homines sapientissimos atque sanctissimos, poeticæ facultatis admodùm studiosos fuisse, suasque cogitationes non eo, quo quilibet uteretur, sermone, sed versibus exponere voluisse constat. Proximum iis dignitatis locum habeat sibi Horatiana poesis, utì in quâ ea latent arcana multifariæ sapientiæ, quæ profanis oculis non patent, quæ rudes animos excolunt, quæ nos ab rerum humilium studio deducunt, quæ ad egregios mores et ad excellentem magnarum rerum cupiditatem vocant; suavitem verò facilè illa inveniat incredibilem, cùm vocibus aptissimè constructa ejus oratio, tot, ac tàm varias, tàm amœnas, tàm indelebiles infundit ac relinquit in animis rerum imagines! Ut uno comprehendam verbo (sentio enim vela contrahenda esse) poesis ejus perfectus quidam numerus est. Numerus porrò ille nihil aliud quàm optimarum cogitationum ordo pulcherrimus; ordinis autèm principium à Deo fluxit.

Inest ergò poetæ nostro quædam divinitas, illumque eo honore ac pretio dignum judicabit, qui ullam pulchri decorique rationem sibi habuerit reliquam. Hieronymus certè nihil veritus est ipsum

illud divinum psalterium in partem aliquam Flacco suo et græco Pindaro, cùm nùnc iambo currit, nùnc Alcaico personat, nùnc sapphico tunnet, nùnc semipede ingreditur, comparare. Sed satìs, satìs ipsi laudis commendationisque accesserit, si intèr profanos poetas primas teneat, cùm vim et elevationem Pindari, gratiam et elegantiam Anacreontis, et quorumvis philosophorum præcepta facilè adimpleverit.

Ut vaferrimè simùl ac lepidissimè castigat vitia, desumtis è mediâ hominum vitâ exemplis et rationibus! Virtutes autèm quàm sinè fastu ac fastidio docet! adeò ut plùs animis legentium irrepat, quàm si apertâ fronte eos invaderet. Felicitas quoque ejus sic curiosa est, ut nec in oratoriam illam Juvenalis dicacitatem, nec in Persii obscuram nimìs astrictamque brevitatem impingat.

Si quis ergò profanus scriptor singulari quâdam ingenii vi, si quis judicii gravitate, si quis stylo acuendo et vivis rerum signis animo formandis laudari debet, Flaccus primum, Flaccus ferè solum ex omnibus locum, per tanta temporum spatia non temerè incolumis, jure suo adhùc postulabit.

Sed utì nihil est ab omni parte beatum, et vitiis quoque suis se natum insuetumque agnoscit; ità ut et tot ejus bona, vitiis longè plura, præferre velitis, haùd difficultèr, spero, veniam impetrabit ab iis, qui semet excutere, et vitia castigato pectori non adhærere, didicerunt. Date aliquid seculi illius corruptelæ; condonate tantæ caligini, quâ gentes tùm immersæ jacebant; undè in rebus non dicam

divinis, sed et naturæ legum obsequio, in castitate animi corporisque servandâ, multa in Flacco desideres [1]. Nec in Flacco solùm, sed et in Virgilio, aliisque cetera optimis viris, qui non fuêre tàm felices, ut lucem illam divinitùs nobis concessam intuerentur, sed pro rectâ vitæ disciplinâ, modò Epicureorum dissolutam vitam, et pro sanâ eruditione, intolerabilem Stoïcorum fastum modò secuti sunt.

Hìnc, genio indulgere, vino abstergere curas, cutem benè curare, et in rosis vivere, unicè quærere sæpè videtur. Hìnc, dùm omnia à Diis precatur, ingenium solum, bonumque animum sibi excipit, et sui hæc beneficii agnoscit [2]. In nocte versabatur miserrimâ, cùm malè forti animo parcum se Deorum cultorem jactaret, cùm timorem Deorum salsè nimìs rideret; cùm, contrà cujuscunque religionis principia, miraculorum vim excludens, Judaïcam gentem perpetuo inureret stigmate [3]. Nox incumbebat densissima, cùm libidini frenum laxaret tàm protervè, ut legum naturalium contemptor potiùs sit execrandus, quàm ut quis ad hæc non doleat, et totum Horatium respuat, priusquàm purum castumque animum corrumpi, aut suâ in vitia facilitate malè perire velit. Repetamus quidèm elegantias, supellectilem, et thesauros, quæ Flaccus et alii pagani nobis, ut Israelitis olìm Ægyptii, abstule-

[1] V. Suet. d. l. et Nannius, lib. III c. 2 misc., in vitâ à se repertâ legit : *Ad res venereas intemperantior traditur. Nàm in speculato cubiculo scorta dicitur habuisse disposita, ut quocumque respexisset, ibi ei imago coïtus referretur.* V. et Cæl. Rhod. — [2] Lib. I epist. 18 in f. — [3] Lib. I sat. 5.

runt, iisque nos recreemus, exornemus, et instruamus; at simùl etiàm studium hoc nostrum atque ardor animi justâ cautione non careat. Cavebimus autèm si ad ea quæ peccare doceant, rubere et non ridere, nedùm in luto spurcitiæ pedes diù figere, aut exindè petere, quæ famam aliorum conspurcent, condiscamus; et ità Flaccum eâ certè et quidèm longè maximâ parte jure tuebimur, recipiemus, ac imitabimur, quâ, dùm viveret, nec Mæcenati, nec Augusto, neque optimis quibusque viris unquàm potuit displicere.

EXTRACTUM

È LIBRO CUI TITULUS :

COURS DE LITTÉRATURE,

PAR LAHARPE.

PARALLÈLE D'HORACE ET DE JUVÉNAL.

Quintilien dit, en propres termes, que *la satire appartient tout entière aux Romains : Satira quidem tota nostrà est.* Sans doute il veut dire seulement qu'en ce genre ils n'ont rien emprunté des Grecs; car il ne pouvait pas ignorer qu'Hipponax et Archiloque ne s'étaient rendus que trop fameux par leurs satires, qui pouvaient plutôt s'appeler de véritables libelles, si l'on en juge par les effets horribles qui en résultaient, et par la punition de leurs auteurs. Hipponax fut chassé de son pays, et Archiloque fut poignardé. Ce dernier avait si cruellement diffamé Lycambe, qui lui avait refusé sa fille, que le malheureux se donna la mort. Archiloque fut l'inventeur du vers ïambe, dont les Grecs et les Latins se servirent dans leurs pièces de théâtre. Mais dans ses mains ce fut, dit Horace, l'*arme de la rage.* Le lyrique latin avoue qu'il s'est approprié cette mesure de vers dans quelques-unes de ses odes; mais il ajoute avec raison qu'il est bien loin d'en avoir fait un si détestable usage. Ses satires, ainsi que celles de Juvénal et de Perse, sont écrites en vers hexamètres. Ainsi l'assertion de Quintilien se trouve suffisamment justifiée, puisque les satiriques latins n'imitèrent les Grecs ni dans la forme des vers, ni dans le genre des sujets.

La satire, suivant les critiques les plus éclairés, est un mot originairement latin. Il n'a rien de commun avec le nom que portent dans la Fable ces êtres monstrueux qu'elle représente

entièrement velus et avec des pieds de chèvre. Il vient du mot *satura*, qui, dans les auteurs de la plus ancienne latinité, signifiait un mélange de toutes sortes de sujets. Dans la suite on l'appliqua plus particulièrement aux ouvrages qui avaient pour objet la raillerie et la plaisanterie. Enfin Ennius et Lucilius déterminèrent la nature de ce genre d'écrire, et l'on ne donna plus le nom de satires qu'aux poésies dont le sujet était la censure des mœurs. Lucilius surtout s'y rendit très célèbre, et quoiqu'il eût écrit du temps des Scipions, il avait encore dans le siècle d'Auguste des partisans si zélés, qu'on murmura beaucoup contre Horace, qui, en louant le sel de ses écrits et sa courageuse hardiesse à démasquer le vice, avait comparé son style incorrect, diffus et inégal, à un fleuve qui roule beaucoup de fange avec quelques parcelles d'or. Quintilien lui-même trouve ce jugement d'Horace trop sévère. Il nous est impossible de savoir au juste à qui l'on doit s'en rapporter : il ne nous reste que quelques vers de Lucilius.

Heureusement nous sommes à portée de confirmer l'opinion de ce même Quintilien sur Horace, qui, selon lui, est infiniment plus pur et plus châtié que Lucilius, et a excellé surtout dans la connaissance de l'homme.

> Horace, l'ami du bon sens,
> Philosophe sans verbiage,
> Et poète sans fade encens,

a dit Gresset; et il est vrai qu'on ne peut railler plus finement, ni louer avec plus de délicatesse. Sa morale est à la fois douce et pure; elle n'a rien d'outré, rien de fastueux, rien de farouche. Nul poète n'a mieux connu le langage qui convient à la raison; il ne prêche pas la vérité, il la fait sentir; il ne commande pas la sagesse, il la fait aimer. Il connaît les dangers du rôle de censeur, et il trouve en lui-même de quoi les éviter tous. Vous ne pouvez l'accuser de morgue; car, en peignant les travers d'autrui, il commence par avouer les siens, et s'exécute lui-même de la meilleure grâce du monde; vous ne pouvez vous plaindre qu'il prêche, car il converse toujours avec vous. Il a trop de gaîté pour être taxé d'humeur ni de misanthropie. Enfin, le plus grand inconvénient de la morale, c'est l'ennui, et il a tout ce qu'il faut pour y échapper : une variété

de tons inépuisable, des épisodes de toute espèce, des dialogues, des fictions, des apologues, des peintures de caractères, et l'usage le plus adroit de cette forme dramatique, toujours si heureuse partout où elle peut entrer, et dont, à son exemple, Voltaire, parmi les modernes, a le mieux senti tous les avantages. C'est à lui qu'il appartient de bien apprécier Horace : c'est à lui qu'il sied bien de dire dans cette charmante épître, l'un des meilleurs ouvrages de sa vieillesse :

Jouissons, écrivons, vivons, mon cher Horace,
. . . . . .
Sur le bord du tombeau je mettrai tous mes soins
A suivre les leçons de la philosophie,
A mépriser la mort en savourant la vie,
A lire tes écrits pleins de grâce et de sens
Comme on boit d'un vin vieux qui rajeunit les sens.
Avec toi l'on apprend à souffrir l'indigence,
A jouir sagement d'une honnête opulence,
A vivre avec soi-même, à servir ses amis,
A se moquer un peu de ses sots ennemis,
A sortir d'une vie ou triste ou fortunée,
En rendant grâce aux dieux de nous l'avoir donnée.

Voilà le meilleur résumé de la lecture des satires et des épîtres d'Horace; car on peut joindre ensemble ces deux ouvrages, qui ont, à beaucoup d'égards, le même caractère, si ce n'est que les épîtres, avec moins de force dans la pensée, ont cette aisance et ce naturel qui est du genre épistolaire. Mais le résultat est le même : c'est que l'auteur est le plus aimable des poètes moralistes, et par cela même le plus utile, parce que ses préceptes, dont la vérité est à la portée de tous les esprits, dont l'application est de tous les momens, renfermés dans des vers pleins de précision et de facilité, vous accoutument à faire sur vous le même travail, le même examen qu'il a fait sur lui, et qui a pour but, non pas de vous mener à une perfection dont l'homme est bien rarement capable, mais de vous apprendre à devenir chaque jour meilleur, et pour vous-même, et pour les autres.

M. Dusaulx, de l'académie des inscriptions, à qui nous devons la meilleure traduction en prose qu'on ait encore faite de Juvénal, a mis à la tête de son ouvrage un très-beau parallèle de ce satirique et d'Horace son devancier. Je vais le rap-

porter en entier, quoiqu'un peu étendu : il est trop bien écrit pour paraître long. Mais, en rendant justice au talent de l'écrivain, je me permettrai quelques observations en faveur d'Horace, qu'il me semble avoir traité un peu rigoureusement, en même temps qu'il montre pour Juvénal un peu de cette prédilection si excusable dans un traducteur qui s'est pénétré comme il le devait du mérite de son original.

« Comme on a coutume, pour déprimer Juvénal, de le comparer avec Horace, je vais essayer de faire sentir que, ces deux poëtes ayant en quelque sorte partagé le vaste champ de la satire, l'un n'en saisit que l'enjoûment, l'autre la gravité, et que chacun d'eux, fidèle au but qu'il se proposait, a fourni sa carrière avec autant de succès, quoiqu'ils aient employé des moyens contraires. Cette manière de les envisager, plus morale peut-être que littéraire, n'en est pas moins capable de les montrer par le côté le plus intéressant. Voyons dans quelles circonstances l'un et l'autre peignirent les mœurs, et ce qui constitue la différence de leurs caractères. Avec autant de sagacité, plus de goût, mais beaucoup moins d'énergie que Juvénal, Horace semble avoir eu plus d'envie de plaire que de corriger. Il est vrai que la sanglante révolution qui venait d'étouffer les derniers soupirs de la liberté romaine n'avait pas encore eu le temps d'avilir absolument les âmes : il est vrai que les mœurs n'étaient pas aussi dépravées qu'elles le furent après Tibère, Caligula et Néron. Le cruel mais politique Octave semait de fleurs les routes qu'il se frayait sourdement vers le despotisme. Les beaux-arts de la Grèce, transplantés autour du Capitole, florissaient sous ses auspices : le souvenir des discordes civiles faisait adorer l'auteur de ce calme nouveau. On se félicitait de n'avoir plus à craindre de se trouver à son réveil inscrit sur des tables de proscription; et le Romain en tutelle oubliait, à l'ombre des lauriers de ses ancêtres, dans les amphithéâtres et dans le cirque, ces droits de citoyen dont ses pères avaient été si jaloux pendant plus de huit siècles. Jamais la tyrannie n'eut des prémices plus séduisantes : l'illusion était générale; ou si quelqu'un était tenté de demander au petit-neveu de César de quel droit il s'érigeait en maître, un re-

» gard de l'usurpateur le réduisait au silence. Horace, aussi
» bon courtisan qu'il avait été mauvais soldat; Horace, éclairé
» par son propre intérêt et se jugeant incapable de remplir avec
» distinction les devoirs pénibles d'un vrai républicain, sentit
» jusqu'où pouvaient l'élever sans efforts la finesse, les grâces
» et la mesure de son esprit, qualités peu considérées jusqu'alors
» chez un peuple turbulent et qui n'avait médité que des con-
» quêtes. Ainsi la politesse, l'éclat et la fatale sécurité de ce ré-
» gne léthargique, n'avaient rien d'odieux pour un homme
» dont presque toute la morale n'était qu'un calcul de volupté,
» et dont les différens écrits ne formaient qu'un long traité de
» l'art de jouir du présent, sans égard aux malheurs qui me-
» naçaient la postérité. Indifférent sur l'avenir, et n'osant rap-
» peler la mémoire du passé, il ne songeait qu'à se garantir de
» tout ce qui pouvait affecter tristement son esprit et troubler
» les charmes d'une vie dont il avait habilement arrangé le
» système. Estimé de l'empereur, cher à Virgile, accueilli des
» grands et partageant leurs délices, il n'affecta point de re-
» gretter l'austérité de l'ancien gouvernement : c'eût été mal
» répondre aux vues d'Auguste et de Mécène, qui s'étaient dé-
» clarés ses protecteurs. Le premier, dit-on, feignit de vouloir
» abdiquer : le second l'en détourna. Il fit bien pour le prince
» et pour lui-même. Que seraient-ils devenus tous deux au
» milieu d'un peuple libre, l'un avec son caractère artificieux
» et n'ayant plus de satellites, l'autre avec sa vaine urbanité?
» Dès lors il fallut se taire ou parler en esclave. Mais Horace,
» bien sûr que les races futures enchantées de sa poésie affran-
» chiraient son nom, vit qu'il pouvait impunément être le flat-
» teur et le complice d'un homme qui régnait sans obstacles.
» Aussi les éloges qu'il distribuait étaient-ils uniquement rela-
» tifs à l'état présent des choses et au crédit actuel des person-
» nes dont il ambitionnait le suffrage. On ne trouve en aucun
» endroit de ses écrits, ni le nom d'Ovide flétri par sa dis-
» grâce, ni celui de Cicéron que *Rome encore libre*, dit Juvénal,
» avait appelé le dieu tutélaire, le père de la patrie. Mais il
» n'a point oublié de chanter les favoris de la fortune; ceux-là
» n'avaient rien à craindre de sa muse : plus enjouée que mor-
» dante, elle ne s'égayait qu'aux dépens de cette partie subal-

» terne de la société, dont il n'attendait ni célébrité ni plaisir.
» Nul ne connut mieux que lui le pouvoir de la louange : nul
« ne sut l'apprêter plus adroitement, ni gagner avec plus d'art
« la bienveillance des premiers de l'empire; et c'est par là sur-
» tout que son livre est devenu cher aux courtisans. Avouons-le
» cependant : tout homme qui pense ne peut s'empêcher d'en
» faire ses délices. Le client de Mécène joignait des qualités
» éminentes et solides à des talens agréables. Non moins phi-
» losophe que poète, il dictait avec une égale aisance les pré-
» ceptes de la vie et ceux des arts. Comme il aimait mieux
» capituler que combattre, comme il attachait peu d'impor-
» tance à ses leçons, et qu'il ne tenait à ses principes qu'autant
» qu'ils favorisaient ses inclinations épicuriennes, ce Protée
» compta pour amis et pour admirateurs ceux mêmes dont il
» critiquait les opinions ou la conduite.

» Juvénal commença sa carrière où l'autre avait fini la
» sienne, c'est-à-dire qu'il fit pour les mœurs et pour la li-
» berté ce qu'Horace avait fait pour la décence et le bon goût.
» Celui-ci venait d'apprendre à supporter le joug d'un maître,
» et de préparer l'apothéose des tyrans. Juvénal ne cessa de
» réclamer contre un pouvoir usurpé, de rappeler aux Romains
» les beaux jours de leur indépendance. Le caractère de ce
» dernier fut la force et la verve; son but, de consterner les vi-
« cieux et d'abolir le vice presque légitimé. Courageuse mais
» inutile entreprise! Il écrivait dans un siècle détestable, où les
» lois de la nature étaient impunément violées, où l'amour de
» la patrie était absolument éteint dans le cœur de presque tous
» ses concitoyens, de sorte que cette race, abrutie par la ser-
» vitude, par le luxe et par tous les crimes qu'il a coutume de
» traîner à sa suite, méritait plutôt des bourreaux qu'un cen-
» seur. Cependant l'empire, ébranlé jusque dans ses fonde-
» mens, allait bientôt s'écrouler sur lui-même. Le caractère ro-
» main était tellement dégradé, que personne n'osait proférer
» le mot de liberté. Chacun n'était sensible qu'à son propre
» malheur, et ne le conjurait souvent que par la délation. Pa-
» rens, amis, tout, jusqu'aux êtres inanimés, devenait suspect.
» Il n'était pas permis de pleurer les proscrits : on punissait les
» larmes. Finissons, car, excepté quelques instans de relâche,

» l'histoire de ces temps déplorables n'est qu'une liste de per-
» fidies, d'empoisonnemens et d'assassinats. Dans ces conjonc-
» tures, Juvénal méprise l'arme légère du ridicule, si familière
» à son devancier. Il saisit le glaive de la satire, et court du
» trône à la taverne, frappant indistinctement quiconque s'est
» éloigné du sentier de la vertu. Ce n'est pas, comme Horace,
» un poète souple et muni de cette indifférence faussement ap-
» pelée philosophique, qui s'amuse à reprendre quelques tra-
» vers de peu de conséquence, et dont le style, *voisin du lan-*
» *gage ordinaire*, coule au gré d'un instinct voluptueux; c'est un
» auteur incorruptible, c'est un poète bouillant qui s'élève
» quelquefois avec son sujet jusqu'au ton de la tragédie. Austère
» et toujours conséquent aux mêmes principes, chez lui tout
» est grave, tout est imposant; ou s'il rit, son rire est encore
» plus formidable que sa colère. Il ne s'agit partout que du vice
» et de la vertu, de la servitude et de la liberté, de la folie
» et de la sagesse. Il eut le courage de sacrifier à la vérité tant
» de bienséances équivoques et tant d'égards politiques, si chers
» à ceux dont toute la morale ne consiste qu'en apparences.
» Ne dissimulons point qu'il a mérité de justes reproches, non
» pas pour avoir dénoncé de grands noms déshonorés, mais
» pour avoir alarmé la pudeur; aussi n'ai-je pas dessein de l'en
» justifier. J'observerai seulement qu'Horace, tant vanté pour sa
» délicatesse, est encore plus licencieux, et qu'il a le malheur
» de rendre le vice aimable; au lieu qu'en révélant des horreurs
» dont frémit la nature, on voit qu'il entrait dans le plan de
» Juvénal de montrer à quel point l'homme peut s'abrutir
» quand il n'a plus d'autre guide que la mollesse et la cupi-
» dité. Sans ces taches, qui sont du siècle, et non de l'auteur,
» on ne trouverait rien à reprendre dans ses écrits : l'esprit
» qui les dicta ne respire que l'amour du bien public : s'il re-
» prend les ridicules, ce n'est qu'autant qu'ils tiennent au vice
» ou qu'ils y mènent. Quand il sévit, quand il immole, on n'est
» jamais tenté de plaindre ses victimes, tant elles sont odieu-
» ses et difformes. Je sais qu'on l'accuse encore d'avoir été trop
» avare de louanges : mais quand on connaît le cœur humain,
» quand on ne veut ni se faire illusion à soi-même, ni tromper
» les autres, en peut-on donner beaucoup? Il a peu loué; le

» malheur des temps l'en dispensait. Ce qu'il pouvait faire » de plus humain était de compatir à la servitude involontaire » de quelques hommes secrètement vertueux, mais emportés » par le torrent. Au reste, il était trop généreux pour flatter » des tyrans et pour mendier les suffrages de leurs esclaves. Les » éloges ne sont donnés le plus souvent qu'en échange; il mé- » prisait ce trafic. Il aimait trop sincèrement les hommes pour » les flatter; mais ce qui pouvait leur nuire l'indignait; et nous » devons à cette noble passion la plus belle moitié de son ou- » vrage, je veux dire la plus sentencieuse et la plus générale- » ment intéressante en tout temps, en tous lieux. Après avoir » combattu les vices reconnus pour tels, il comprit qu'il fallait » encore remonter à la source du mal, et dissiper le prestige » des fausses vertus. Car il faut, dit Montaigne, *ôter le masque* » *aussi bien des choses que des personnes :* de là ces satires, ou » plutôt ces belles harangues contre nos vains préjugés, plus » forts et bien autrement accrédités que la saine raison.

» Il est aisé maintenant de sentir pourquoi Horace a plus de » partisans que Juvénal. On sait que depuis long-temps la vertu » sans alliage n'a plus de cours; que ceux qui la professent » dans toute sa pureté ont toujours plus d'adversaires que » de disciples, et qu'ils révoltent plus souvent qu'ils ne per- » suadent. Supposé que les riches, presque toujours insatia- » bles, fussent sans pudeur et sans humanité quand il s'agit » de devenir encore plus riches; supposé que l'or, au lieu de » circuler également dans tous les membres de l'état et d'y » porter la vie, ne servît plus qu'à fomenter le luxe insolent » des parvenus : quel serait, je vous prie, le sort de deux » orateurs, dont l'un plaiderait la cause du superflu, et l'au- » tre celle du nécessaire? Il est évident que le premier triom- » pherait auprès de nos Crésus; mais le second n'ayant pour » amis que les infortunés, je tremblerais pour lui. Le grand ta- » lent d'un écrivain chez les peuples arrivés à ce déclin des » mœurs qu'on appelle l'exquise politesse est moins de dire la » vérité que ce qui plaît aux hommes puissans. Si ces réflexions » sont justes, on m'accordera que les ambitieux, les hommes » sensuels et ceux qui flottent au gré de l'opinion, n'ont que » trop d'intérêt à préférer à l'âpre censure de Juvénal la dou-

» ceur et l'urbanité d'un poète indulgent, qui, non content » d'embellir les objets de leurs goûts et d'excuser leurs caprices, » sait encore autoriser leurs faiblesses par son exemple. Sou- » vent, dit Horace, je fais, au préjudice de mon bonheur, ce » que ma propre raison désavoue. Il convient encore qu'il n'a- » vait pas la force de résister à l'attrait du moment, et que » ses principes variaient selon les circonstances. Il faut l'en- » tendre exalter tour à tour et la modération de l'âme, et son » activité dans la poursuite des honneurs; tantôt vanter la » souplesse d'Aristippe, tantôt l'inflexibilité de Caton, et, » comme si le cœur pouvait suffire en même temps aux affec- » tions les plus contraires, approuver dans le même ouvrage » et la modestie qui se cache, et la vanité qui brûle de se pro- » duire au grand jour. S'il est vrai que l'humanité s'affaiblit et » s'altère à mesure qu'elle se polit, le plus grand nombre doit » aujourd'hui donner la préférence à celui qui sait le mieux » amuser l'esprit et flatter l'indolence du cœur sans paraître » toutefois déroger aux qualités essentielles qui constituent » l'homme de bien. C'est principalement à ces titres qu'Horace » ne peut jamais cesser d'être d'âge en âge le confident et l'ami » d'une postérité que de nouveaux arts, et par conséquent des » besoins nouveaux, éloigneront de plus en plus de la simpli- » cité naturelle. Mais l'homme libre, s'il en est encore, celui qui » s'est bien persuadé que le vrai bonheur ne consiste que dans » nous-mêmes, qu'excepté les relations de devoirs, de bien- » veillance et d'humanité, toutes les autres sont chimériques » et pernicieuses; celui qui s'est fait des principes constans, » qui ne connaît qu'une chose à désirer, le bien; qu'une chose » à fuir, le mal; et qui se dévouerait plutôt à l'opprobre, à » la mort, que de trahir sa conscience, dont le témoignage lui » suffit, celui-là, n'en doutez pas, préfèrera sans hésiter la » rigueur d'une morale invariable à tous les palliatifs d'un au- » teur complaisant. Ainsi Juvénal serait le premier des sati- » riques, si la vertu était le premier besoin des hommes. *Mais*, » comme il le dit lui-même, *on vante la probité tandis qu'elle se* » *morfond.*

» Je conclus de ces considérations qu'Horace écrivit en » courtisan adroit, Juvénal en citoyen zélé; que l'un ne laisse

» rien à désirer à un esprit délicat et voluptueux, et que l'autre » satisfait pleinement une âme forte et rigide. »

Voilà sans doute un morceau d'une éloquence austère et digne d'un traducteur de Juvénal. Mais est-il bien réfléchi? Horace mérite-t-il tous les reproches qu'on lui fait, et Juvénal tous les éloges qu'on lui donne? Enfin, les motifs de la préférence assez généralement accordée au premier sont-ils en effet ceux que l'on nous présente ici? C'est ce que je vais me permettre d'examiner, sans autre intérêt que celui de la vérité, qui doit, aux yeux d'un littérateur philosophe, tel que celui qui a écrit ce morceau, l'emporter sur toute autre considération; et, comme il ne s'est fait aucun scrupule de réfuter, dans un autre endroit de son discours, l'opinion d'un de ses confrères sur Juvénal, j'espère qu'il ne trouvera pas mauvais que je combatte la sienne. Dussé-je me tromper, une discussion de cette nature, avec un homme du mérite de M. Dusaulx, ne peut qu'être honorable pour moi, et intéressante pour tous les amateurs des lettres.

D'abord nos deux auteurs sont-ils suffisamment caractérisés par cette première phrase, qui sert de fondement à tout le reste du parallèle : « L'un n'a saisi que l'enjoûment de la satire, » l'autre que la gravité? » J'avoue qu'Horace est très-enjoué ; c'est chez lui tout à la fois un don de la nature et un principe de goût. C'est d'après un de ses vers, cité partout, que s'est établie cette maxime qui n'est pas contestée, que souvent le ridicule, même dans les sujets les plus importans, a plus de force et d'efficacité que la véhémence. Des exemples sans nombre pourraient le prouver; mais il n'y en a point de plus frappant que celui qu'a donné Montesquieu. L'auteur de *l'Esprit des Lois* savait autre chose que plaisanter, et c'est pourtant avec la seule arme du ridicule qu'il a attaqué l'inquisition. Croira-t-on pour cela qu'il en sentît moins toute l'horreur? On en peut juger par celle qu'il inspire pour le monstre qu'il terrasse en riant. Mais quel rire! C'est bien le cas d'appliquer ici ce mot heureux que M. Dusaulx loue avec tant de raison dans Juvénal : « Quand Dieu regarde les méchans, il en rit et les déteste. » C'est qu'en effet il y a un rire mêlé de mépris et d'indignation, qui exprime le sentiment le plus amer que l'excès du vice et du

crime puisse inspirer à l'homme de bien. Ce n'est pas là, il est vrai, le rire d'Horace ; mais aussi ce n'est pas l'inquisition qu'il combat. M. Dusaulx convient lui-même qu'à l'époque où Horace écrivait, les mœurs étaient beaucoup moins dépravées, moins scandaleuses, moins atroces qu'elles ne le devinrent depuis Tibère jusqu'à Domitien. Il aurait pu ajouter, à la louange d'Auguste, que les sages lois de ce prince contribuèrent à rétablir une sorte de décence, et à réprimer une partie des désordres qu'avaient entraînés les guerres civiles. Mais il semble que M. Dusaulx ne veuille pas rendre plus de justice à Auguste qu'au poète dont il fut le bienfaiteur; et c'est encore, à mon gré, un petit tort que j'oserai lui reprocher.

Horace a donc très bien fait d'être enjoué dans ses satires, non-seulement parce que les traits de la plaisanterie sont à craindre pour le vice, mais parce que c'est un agrément de plus dans ce genre d'écrire, et que, pour instruire et corriger, il faut être lu. Mais n'a-t-il été qu'enjoué? Ne sait-il pas donner souvent à la raison et à la vérité le sérieux qui leur est propre? N'a-t-il pas assez de goût pour savoir que la satire demande et comporte tous les tons, qu'en tout genre il faut en avoir plus d'un, et qu'un poète moraliste ne doit pas toujours rire? Est-il plaisant lorsqu'il met dans la bouche d'Otellus un si bel éloge de la tempérance et de la frugalité, opposées à ce luxe de la table qu'il reproche aux Romains de son temps? Peut-on mieux marquer le juste milieu qui sépare l'avarice de l'économie, et la sordide épargne de la sage simplicité? Peut-on mettre dans un jour plus intéressant les avantages d'une vie saine et active, si propre à faire aimer les mets les plus vulgaires et la nourriture la plus modeste? Est-il plaisant dans la satire sur la noblesse, où il parle d'une manière si touchante de l'éducation qu'il a reçue de son père l'affranchi, et du tendre souvenir qu'il conserve de ce père respectable? N'est-ce pas d'après lui qu'on a fait ce vers de *Mérope?*

Je n'aurais point aux dieux demandé d'autre père.

Je pourrais citer cent autres endroits remplis de cette excellente raison, de ce grand sens qui nous ramène à ses écrits : on y verrait qu'il sait fort bien se passer du mérite de la plaisan-

terie, comme il sait ailleurs s'en servir à propos. Mais je m'en rapporte à M. Dusaulx lui-même, qui dit plus bas : « Tout » homme qui pense ne peut s'empêcher d'en faire ses délices. » Le client de Mécène joignait des qualités éminentes et solides » à des talens agréables. Non moins philosophe que poète, il » dictait avec une égale aisance les préceptes de la vie et ceux » des arts. » Je n'ai rien à ajouter à cet éloge si juste et si complet. Mais ce portrait est-il celui d'un écrivain qui *n'a saisi que l'enjoûment de la satire*? Ce n'est point à moi de concilier M. Dusaulx avec lui-même. Il me suffit de me servir d'une de ses phrases pour réfuter l'autre, et je suis trop heureux de le combattre avec ses propres armes.

Mais, d'un autre côté, est-il vrai que Juvénal *n'ait saisi que la gravité* du genre satirique? Il en a sans doute; mais si j'osais hasarder mon opinion contre celle de son élégant traducteur, qui doit, je l'avoue, être d'un grand poids, je croirais que les caractères dominans de ce poète sont plutôt l'humeur, la colère et l'indignation. Ce sont là du moins les mouvements qui se manifestent le plus souvent dans ses écrits. Il dit lui-même que *l'indignation a fait ses vers*, et l'on n'en peut douter en le lisant. Cette disposition naturelle s'était encore fortifiée par l'habitude de ces déclamations scolastiques qui avaient occupé sa jeunesse, et qui ont fait dire à Boileau avec tant de vérité :

> Juvénal, élevé dans les cris de l'école,
> Poussa jusqu'à l'excès sa mordante hyperbole.

C'est là qu'il s'était accoutumé à ce style violent et emporté qui nuit très-certainement à la meilleure cause, en conduisant à l'exagération. Son traducteur en est convenu : il reconnaît que son *zèle est quelquefois excessif*. Il n'en faudrait pas d'autre témoignage que son épouvantable satire contre les femmes, que Boileau n'aurait pas dû imiter, d'abord parce qu'un grand écrivain doit se garder d'un sujet qui, comme tous les lieux communs, en prouvant trop, ne prouve rien; ensuite, parce qu'en attaquant indistinctement une des deux moitiés du genre humain, il faudrait songer combien la récrimination serait facile; et si une femme qui aurait le talent des vers ne ferait pas tout aussi aisément contre les hommes une satire qui ne

prouverait pas plus que celle qu'on a faite contre les femmes; enfin, parce que la justice, qui est de règle en toute occasion, exigerait qu'en disant le mal on dît aussi le bien qui le balance, et qu'on n'allât pas envelopper ridiculement tout un sexe dans la même condamnation. Boileau, du moins, pousse la complaisance jusqu'à dire qu'*il en est jusqu'à trois* qu'il pourrait excepter. Juvénal n'est pas si modéré : il n'en excepte aucune. Il en suppose une qui ait toutes les qualités : « Eh bien! dit-il, » elle sera insupportable par son orgueil, et mettra son mari au » désespoir sept fois par jour. » Quoi donc! est-ce ainsi que l'on instruit, que l'on reprend, que l'on corrige? Est-ce là *la gravité* de la satire, dont le but doit être si moral? et doit-elle n'être qu'un jeu d'esprit et une déclamation de rhéteur? Je me rappelle à ce propos un mot très-sensé d'une femme devant qui un jeune homme parlait de tout le sexe avec un ton de dénigrement qu'il croyait très-philosophique : « Ce jeune homme, » dit-elle, ne se souvient-il pas qu'au moins il a eu une mère? »

« Horace semble avoir eu plus d'envie de plaire que de corri- » ger. » D'abord tout poète, tout écrivain doit, jusqu'à un certain point, désirer de plaire; car ce n'est qu'en plaisant qu'il peut être utile. Ce fut certainement le but principal d'Horace dans ses odes, dans ses épîtres, et l'on peut y joindre l'envie de s'amuser, quand on connaît son goût pour la poésie et la tournure de son caractère. Mais dans ses satires sa composition me paraît plus sévère, plus morale, et suffisamment adaptée au genre. Cette distinction, qui est réelle, est ici d'autant plus importante, que M. Dusaulx, pour juger Horace comme poète satirique, ne cite jamais que ses épîtres, quoique, pour être conséquent, il ne fallût citer que ses satires.

« Éclairé par son propre intérêt, et se jugeant incapable de » remplir avec distinction les devoirs pénibles d'un vrai répu- » blicain, il sentit jusqu'où pouvaient s'élever sans efforts la » finesse, les grâces et la culture de son esprit, qualités peu » considérées jusqu'alors chez un peuple turbulent, qui n'avait » médité que des conquêtes. »

Ces suppositions sont peut-être plus raffinées que solides. Il est probable que, même sous le gouvernement républicain, le caractère doux et modéré d'Horace, son goût pour les let-

tres, pour le loisir et l'indépendance, l'auraient écarté des emplois publics, puisque sa faveur même auprès d'Auguste ne l'engagea pas à les rechercher. Mais rien ne nous prouve que, dans le cas où il en eût été chargé, il s'en fût mal acquitté. Il avait de la probité et de l'esprit : pourquoi n'aurait-il pas été capable de faire ce que fit Othon, qui, plongé dans toutes les débauches imaginables (ce qui est fort au-delà d'Horace), fut dans son gouvernement de Portugal, de l'aveu de tous les historiens, un modèle de sagesse et d'intégrité? Mais, dans tout état de cause, cela n'était point nécessaire au bonheur d'Horace ni à sa considération; car il n'est pas vrai que les talens de l'esprit en eussent si peu chez les Romains avant Auguste. Térence avait vécu dans la société la plus intime avec Scipion et Lélius, les deux hommes les plus considérables de leur temps; et l'on peut croire qu'Horace n'aurait pas été moins bien traité par les principaux citoyens de la république.

« La politesse, l'éclat et la fatale sécurité de ce règne léthargique n'avaient rien d'odieux pour un homme dont presque » toute la morale n'était qu'un calcul de voluptés, et dont les » différens écrits ne formaient qu'un long traité de l'art de » jouir du présent, sans égard aux malheurs qui menaçaient » la postérité.... il n'affecta point de regretter *l'austérité* de l'ancien gouvernement.... Il vit qu'il pouvait être impunément le » flatteur *et le complice* d'un homme qui régnait sans obstacles. »

J'ai peine à concevoir quels reproches on prétend faire ici à Horace. Veut-on dire que, s'il avait été un vrai républicain, *la politesse et l'éclat* du règne d'Auguste l'auraient indigné? Mais pourquoi veut-on qu'il ait pensé autrement que tout le reste des Romains? C'est M. Dusaulx lui-même qui vient de nous dire, vingt lignes plus haut, ces propres paroles : « Le » souvenir des discordes civiles faisait *adorer* l'auteur de ce » calme nouveau... *L'illusion était générale.* » En quoi donc Horace est-il répréhensible d'avoir partagé les sentimens de tous ses concitoyens? Pourquoi voudrait-on qu'il eût été seul républicain quand il n'y avait plus de république? Il ne reste qu'une seule réponse possible, c'est de soutenir que tout le monde avait tort, et qu'il fallait abhorrer le pouvoir d'Auguste. Mais cette dernière réponse nous obligera seulement à répéter ce qui

depuis long-temps est démontré, que les Romains ne pouvaient ni ne devaient avoir une autre façon de penser. Que peut signifier la *fatale sécurité de ce règne léthargique*, et cette *austérité de l'ancien gouvernement*, que l'on voudrait qu'Horace eût *regrettée?* Certes, il y avait long-temps qu'il n'était plus question d'*austérité* ni du *gouvernement ancien*. C'est cinquante ans auparavant, c'est dans le temps des guerres de Marius et de Sylla que l'on pouvait encore *regretter* quelque chose. Mais après cinq ou six guerres civiles, toutes plus sanglantes les unes que les autres, *la sécurité* du règne d'Auguste était-elle *fatale* ou *salutaire?* Il n'y a pas de milieu : ou il faut convenir que les Romains eurent raison de se trouver très-heureux sous le gouvernement d'Auguste, ou il faut prouver que Rome pouvait encore être libre. Mais M. Dusaulx sait aussi bien que moi que ce n'est plus une question. S'il existe dans l'histoire un résultat bien avoué, bien reconnu, c'est qu'il était moralement et politiquement impossible qu'une république riche et corrompue, qui envoyait des armées puissantes dans les trois parties du monde, sans aucun pouvoir coactif capable d'en imposer aux généraux qui les commandaient, ne fût pas à la merci du premier ambitieux qui voudrait régner. Marius et Sylla l'avaient déjà fait : Pompée, au retour de la guerre de Mithridate, pouvait être le maître de Rome, et c'est pour ne l'avoir pas voulu qu'il devint l'idole du sénat. César et Antoine avaient régné. M. Dusaulx nous dit lui-même que tous les défenseurs de la liberté avaient péri, que tous les Romains étaient enchantés de respirer enfin sous une autorité tranquille. Que deviennent donc les reproches qu'il adresse au poète? Pourquoi l'appelle-t-il *esclave* et *flatteur?* Quand tout le monde est content du gouvernement; quand il est bien avéré que Rome ne pouvant plus se passer d'un maître, n'a rien à désirer que d'en avoir un bon, quand elle l'a trouvé, celui qui prend sa part du bonheur général comme tous les autres est-il *un esclave* ou seulement un homme raisonnable? et celui qui loue son bienfaiteur n'est-il qu'*un flatteur* ou bien un homme reconnaissant.

Ces louanges, d'ailleurs, étaient-elles dénuées de fondement? M. Dusaulx, dans ses notes, traite Auguste avec beaucoup de mépris : ce n'est pas ainsi qu'en parlent les historiens. Il avait

de l'esprit, des talens et du caractère : c'en est assez pour rendre sa haute fortune concevable. Il manqua de courage dans plusieurs occasions, mais il en montra dans beaucoup d'autres; ce qui prouve seulement que la bravoure n'était pas chez lui une qualité naturelle, mais une affaire de raisonnement et de calcul, et qu'il ne s'exposait que quand il le croyait nécessaire. A l'égard de son règne, il semble consacré par le suffrage de tous les siècles. Il faut sans doute détester Octave, mais il faut estimer Auguste. Il y a eu véritablement en lui deux hommes, que, parmi les modernes, l'on n'a pas toujours assez distingués; et il ne faut pas que l'un de ces deux hommes nous rende injustes envers l'autre. M. Dusaulx dit que son caractère a été *dévoilé* depuis que les philosophes ont écrit l'histoire. Il suffisait de la lire dans les anciens pour avoir une idée très-juste de ce caractère, qui n'a jamais été une énigme. Aucun d'eux n'a reproché aux écrivains de son temps les éloges qu'Auguste en a reçus, et c'est une injustice du nôtre de faire un crime à Horace et à Virgile d'avoir célébré un règne qui fit pendant quarante ans le bonheur de Rome, et qui valut à Auguste, après sa mort, l'hommage le moins équivoque de tous, les regrets et les larmes de tout l'empire. On veut toujours confondre ce règne avec les proscriptions d'Octave. On peut contester les louanges; mais jusqu'ici l'on n'a pas, ce me semble, démenti les regrets; et quand les peuples pleurent un souverain, il faut les en croire. Songeons que c'est un principe très-dangereux de refuser justice à celui qui fait le bien après avoir fait le mal. Soit remords, soit politique, en un mot, quel qu'en soit le motif, il est de l'intérêt général de n'ôter jamais aux hommes l'espérance d'effacer leurs fautes en devenant meilleurs. Je crois avoir assez prouvé qu'Horace ne devait ni regretter le passé, ni se plaindre du présent. On l'accuse de n'avoir pas pensé à *l'avenir*. Assurément, c'est l'attaquer de toutes les manières. Mais sous quel point de vue veut-on que cet *avenir* l'ait occupé? Il pouvait craindre (ce qui est arrivé) que des tyrans ne succédassent à un bon maître. Mais cette crainte peut exister en tout temps dans un gouvernement absolu, et en supposant que la liberté républicaine eût été rétablie un moment, comme elle pouvait l'être par l'abdica-

tion d'Auguste, on devait avoir une autre crainte; c'était que cette liberté ne fût bientôt troublée par de nouvelles guerres civiles. L'une ou l'autre de ces inquiétudes doit être l'objet des hommes d'état, de ceux qui peuvent influer sur la chose publique; mais aucune de ces considérations ne peut déterminer le ton ni le genre de la satire; et peut-être M. Dusaulx a-t-il voulu remonter un peu trop haut pour tracer les devoirs du satirique et les différens caractères des deux poètes qu'il a comparés.

Ce qu'il dit d'Horace, qu'il sentit jusqu'où ses talens pouvaient *l'élever* sous un empereur, pourrait le faire regarder comme un politique ambitieux. Il est pourtant vrai que jamais homme ne fut plus éloigné ni de l'ambition ni de la cupidité. Il refusa la place de secrétaire d'Auguste, place qui pouvait flatter la vanité et éveiller l'espérance; et sa fortune et ses vœux furent toujours au-dessous des offres de Mécène. On sait que c'est à deux hommes de lettres, Virgile et Varius, qu'il dut la protection et l'amitié des favoris d'Auguste; ce ne sont pas là les recommandations d'un intrigant.

Est-il juste de dire que *toute sa morale n'était qu'un calcul de voluptés, et ses écrits un traité de l'art de jouir?* On peut aimer et chanter le plaisir, et avoir une autre morale que le calcul des jouissances. La sienne aurait-elle été appelée celle de tous les honnêtes gens, si elle n'avait pas eu un autre caractère? Il était épicurien, il est vrai, mais dans le vrai sens de ce mot : les gens instruits savent combien l'on s'en est éloigné dans l'acception vulgaire. Horace, fidèle à la véritable doctrine d'Épicure, fut toujours loin des excès : on voit par ses écrits, où il se peint avec tant de naïveté, qu'il n'était sujet ni à la débauche grossière, ni à l'ivresse, ni à la crapule, ni aux folles profusions; qu'il n'avait de luxe d'aucune espèce; que tous ses goûts étaient modérés. Il recommande sans cesse cette modération dans les désirs, cette précieuse médiocrité, la mère du bonheur et de la sagesse; mais ce qu'il établit comme le fondement de tout, c'est d'avoir la conscience pure, et, pour me servir de ses expressions, *de ne pâlir d'aucune faute*, *nullâ pallescere culpâ*. Il veut que l'on s'accoutume à se commander à soi-même, à réprimer les penchans déréglés, les passions violentes; que l'on travaille continuellement à corriger ses défauts, et qu'on

pardonne à ceux d'autrui. Indulgence pour les autres, et sévérité pour soi, voilà les deux grands pivots de sa morale. Y en a-t-il de meilleurs? Nul écrivain n'a parlé avec plus d'intérêt des douceurs de la retraite, des attraits et des devoirs de l'amitié, des charmes d'une vie champêtre et paisible, et de cet amour de la campagne qui se mêle si naturellement à celui des beaux-arts. Tel est l'épicuréisme d'Horace, et s'il avait beaucoup de vrais sectateurs, je crois que la société y gagnerait.

M. Dusaulx reconnaît que *nul homme ne sut apprêter plus adroitement la louange;* mais on peut ajouter qu'il n'a loué que tout ce qu'il y avait de plus estimé dans l'empire, Agrippa, Pollion, Métellus, Quintilius Varus. Son commerce épistolaire avec Mécène respire à la fois l'enjoûment le plus aimable et la plus douce sensibilité. C'est parmi les anciens celui qui a le mieux saisi ce ton de familiarité noble et décente qui a servi de modèle à Voltaire, et que bien peu d'hommes peuvent atteindre, parce qu'il faut, pour en avoir la juste mesure, infiniment d'esprit, de grâce et de délicatesse. On conçoit aisément, en lisant Horace, qu'il ait été si cher à ses amis, et qu'Auguste, entre autres, l'ait aimé avec tendresse. Mécène, en mourant, le recommandait à ce prince en peu de mots; mais ils sont remarquables : *Souvenez-vous d'Horace comme de moi-même.* Auguste ne lui sut pas mauvais gré du refus qu'il avait fait d'être son secrétaire. Il se contente d'en plaisanter avec lui dans une de ses lettres : « J'ai parlé de » vous devant votre ami Septimius; il vous dira quel souvenir » j'en conserve : car, quoiqu'il vous ait plu de faire avec moi » le *fier* et le *renchéri*, je ne vous en veux pas plus pour cela. » Une autre fois il lui écrit : « Ne doutez pas de tous vos droits » sur moi. Usez-en comme si vous viviez dans ma maison. Vous » ne pouvez mieux faire; vous savez que c'est mon intention, » et que je veux vous voir toutes les fois que votre santé vous le » permettra.» Je citerai encore une autre lettre; car il est curieux de voir comment le maître du monde écrivait au fils d'un affranchi : « Sachez que je suis très-piqué contre vous, » de ce que, dans la plupart de vos écrits, ce n'est pas avec » moi que vous vous entretenez de préférence. Avez-vous peur » de vous faire tort dans la postérité, en lui apprenant que

» vous avez été mon ami? » Horace fut sensible à ce reproche obligeant, et lui adressa cette belle épître, la première du second livre : *Cùm tot sustineas*, etc.

Tant de caresses, tant de séductions ne tournèrent point la tête du poète philosophe, et ne l'empêchèrent point de passer la plus grande partie de sa vie, soit à Tivoli, dont le nom est devenu si célèbre, soit à sa petite terre du pays des Sabins. Il faut l'entendre badiner avec Mécène sur l'opinion qu'on a de son grand crédit, sur la persuasion où l'on est que Mécène s'entretient avec lui des secrets de l'état, *tandis que le plus souvent*, dit-il, *nous parlons de la pluie et du beau temps.* Il lui promit une fois en partant pour la campagne de n'y être que cinq jours; il y resta un mois, et finit par lui écrire qu'il ne reviendrait à Rome qu'au printemps; et sa lettre est datée du mois d'août. « Que voulez-vous, lui dit-il. Je ne suis pas malade, » il est vrai, mais je crains de le devenir. Il faut me prendre » comme je suis. Quand vous m'avez enrichi, vous m'avez » laissé ma liberté : j'en profite. » On a beaucoup répété qu'Horace était un *courtisan :* il est sûr qu'il en avait la politesse et les grâces; mais on voit qu'il n'en eut ni l'activité, ni l'inquiétude, ni même la complaisance.

Après avoir refusé beaucoup à Horace, M. Dusaulx n'accorde-t-il pas un peu trop à Juvénal? « Il ne cessa de réclamer contre » un pouvoir usurpé, de rappeler aux Romains les beaux jours » de leur indépendance. » Je viens de relire toutes ses satires : j'avoue que je n'ai vu nulle part qu'il réclamât contre le pouvoir arbitraire, ni qu'il revendiquât les droits de la liberté républicaine. Je sais qu'il fit une satire contre Domitien, et qu'il peint en traits énergiques l'effroi qu'inspirait ce monstre et la lâcheté de ses courtisans. Mais Domitien n'était plus; mais tout ce qu'il dit est personnel au tyran; mais il n'y a pas un mot qui tende à combattre en aucune manière le pouvoir impérial; et, puisqu'il faut tout dire, ce même Domitien, qu'il déchire après sa mort, il l'avait loué pendant sa vie. Il l'appelle le seul protecteur, le seul guide qui reste aux arts et aux lettres. Je veux qu'il ait été trompé par cette apparence de faveur accordée aux gens de lettres, qui fut un des premiers traits de l'hypocrisie particulière à Domitien, comme Lucain

fut séduit par les trompeuses prémices du règne de Néron; mais Lucain, dans sa *Pharsale*, n'en élève pas moins un cri continuel et terrible contre la tyrannie. C'est lui qui *réclame* bien formellement *contre le pouvoir usurpé*, qui s'indigne que les Romains portent un joug que la lâcheté de leurs ancêtres a forgé, qui répète sans cesse le mot de liberté, qui crie aux armes contre les tyrans, qui implore la guerre civile, comme préférable cent fois à la servitude. Voilà parler en républicain, en Romain. Aussi Lucain fut conséquent : sa conduite et sa destinée furent telles qu'on devait l'attendre d'un homme qui écrit de ce style sous Néron. Il conspira contre lui avec Pison, et finit, à vingt-sept ans, par s'ouvrir les veines. Je ne reproche point à Juvénal d'avoir eu moins de courage, et d'être mort dans son lit, mais je ne lui donnerai pas non plus des louanges qu'il ne mérite point. Je ne trouve chez lui qu'un seul endroit qui exprime quelque regret pour la liberté : c'est dans sa première satire, lorsqu'il se fait dire : « As-tu un génie égal à ta » matière? Es-tu, comme tes devanciers, prêt à tout écrire avec » cette franchise animée dont je n'ose dire le nom? » Ce nom, qu'il n'ose prononcer, est évidemment celui de liberté. Mais ce regret, comme on voit, est enveloppé et timide, il semble même ne porter que sur la liberté des écrits; enfin, c'est le seul de cette espèce qu'on remarque chez lui. Cette satire fut écrite, comme presque toutes les autres, sous Trajan; plusieurs le furent sous Adrien; une seule fut composée sous Domitien, celle où il eut le malheur de le louer. La date de ses écrits peut donc infirmer à un certain point ce que dit son traducteur des temps où il écrivait, pour justifier l'excès d'amertume et d'emportement, qui est le même dans toutes ses satires. Quoi! Juvénal, après avoir vécu sous Domitien, a vu tout le règne de Trajan, l'un des plus beaux que l'histoire ait tracés; il a vu tour à tour régner un monstre et un grand homme, et ce contraste si frappant, ce contraste que Tacite nous a si bien fait sentir, Juvénal ne l'a pas senti! C'est après Domitien et sous Trajan qu'il n'a que des satires à faire, qu'il ne trouve pas une vertu à louer, pas un mot d'éloge pour le modèle des princes, lui qui avait loué Domitien! Il ne profite pas de cette réunion de circonstances, si heureuses pour un écrivain sensible, qui sait com-

bien les tableaux de la vertu font ressortir ceux du vice, combien ces peintures contrastées se prêtent l'une à l'autre de force et de pouvoir, combien ces différentes nuances donnent au style d'intérêt, de charmes et de variété, et c'est là, pour conclure, un des vices essentiels de ses ouvrages, une monotonie qui fatigue et qui révolte. La satire même ne doit pas être une invective continuelle, et l'on ne peut nous faire croire, ni que l'homme sage doive être toujours en colère, ni que la colère ait toujours raison. Qu'est-ce qu'un écrivain qui ne sort pas de fureur, qui ne voit dans la nature que des monstres, qui ne peint que des objets hideux, qui semble s'appesantir avec complaisance sur les peintures les plus dégoûtantes, qui m'épouvante toujours et ne me console jamais, qui ne me permet pas de me reposer un moment sur un sentiment doux? Joignez à ce défaut capital la dureté pénible de sa diction, son langage étrange, ses métaphores accumulées et bizarres, ses vers gonflés d'épithètes scientifiques, hérissés de mots grecs; et lorsque tant de causes se réunissent pour en rendre la lecture si difficile, faut-il donc chercher dans la corruption humaine et dans la dépravation de notre siècle les motifs de la préférence que l'on donne à un poète tel qu'Horace, dont la lecture est si agréable? Est-il bien sûr que Juvénal soit parmi nous si formidable pour la conscience des méchans? Les mœurs qu'il attaque sont en grande partie si différentes des nôtres; il peint le plus souvent des excès si monstrueux, et qui, par notre constitution sociale, nous sont si étrangers (1), qu'un homme très-vicieux parmi nous, pourrait, en lisant Juvénal, se croire un fort honnête homme. N'est-il donc pas plus simple de penser que, s'il est peu lu, c'est qu'il a peu d'attraits pour le lecteur, c'est qu'il a peint beaucoup moins les travers, les faiblesses, les défauts et les vices communs à l'humanité en général, qu'un genre de perversité particulier à un peuple parvenu au dernier degré d'avilissement, de crapule et de dépravation, dans un climat corrupteur, sous un gouvernement détestable, et avec la dangereuse facilité d'abuser en tous sens de tout ce que mettaient à sa discrétion les trois parties du monde connu?

(1) Ceci était écrit en 1787.

Il faut se souvenir que les degrés de corruption tiennent, non-seulement à l'immoralité, mais aux moyens; si nous ne sommes ni ne pouvons être aussi dépravés que les Romains, c'est que nous ne sommes pas les maîtres du monde.

Toutes ces considérations nous autorisent à ne point admettre la conclusion par laquelle M. Dusaulx termine son parallèle; que si Juvénal a peu de partisans, c'est qu'*il professe la vertu sans alliage et dans toute sa pureté*, et que *les ambitieux et les hommes sensuels ont intérêt à lui préférer un poète indulgent, qui embellit les objets de leurs goûts, excuse leurs caprices, et autorise leurs faiblesses par son exemple.* Il y a ici une espèce de sophisme que j'ai déjà indiqué, et qui pourrait sans doute, contre l'intention de l'auteur, faire prendre le change à des lecteurs inattentifs. M. Dusaulx peint ici dans Horace, non pas le poète satirique, mais l'auteur d'odes galantes et voluptueuses, et de quelques épîtres badines. Ce n'est pas là montrer les objets sous leur véritable point de vue. Ce n'est pas quand Horace invite à souper Glycère et Lydie, ou plaisante avec ses amis, qu'il faut le comparer à Juvénal. Celui-ci même, tout Juvénal qu'il était, probablement n'écrivait pas à sa maîtresse, s'il en avait une, du ton dont il écrivait ses satires : il lui aurait fait peur. M. Dusaulx sait bien que chaque genre a son style. Il faut donc nous montrer, dans les satires d'Horace, cette *indulgence pour les caprices et les faiblesses;* il faut nous faire voir les objets des passions *embellis*, la morale mêlée d'*alliage*, et ce n'est pas ce que j'y ai vu. Que serait-ce donc si nous jugions Juvénal, qu'on nous donne ici pour un philosophe si austère, non par ses satires, mais par ce que ses amis disaient de lui? Martial, son ami le plus intime, lui écrit d'Espagne ces propres mots : « Tandis que, couvert d'une robe trempée de » sueur, tu te fatigues à parcourir les antichambres des grands, » je vis en bon paysan dans ma patrie. » Est-ce là cet homme si étranger au monde? Nous venons de voir qu'Horace le fuyait quelquefois; et voilà Juvénal qui le recherche. On ne l'aurait pas cru; c'est que pour bien juger, pour saisir des résultats sûrs, il ne faut pas s'en tenir à des aperçus vagues, il faut considérer les choses sous toutes leurs faces, lire tout, et entendre tout le monde.

Je conclus que les beautés semées dans les écrits de Juvénal, et qui, malgré tous ses défauts, lui ont fait une juste réputation, sont de nature à être goûtées surtout par les gens de lettres, seuls capables de dévorer les difficultés de cette lecture. Il a des morceaux d'une grande énergie : il est souvent déclamateur, mais quelquefois éloquent; il est souvent outré, mais quelquefois peintre. Ses vers sur la Pitié, justement loués par M. Dusaulx, sont d'autant plus remarquables, que ce sont les seuls où il ait employé des teintes douces. La satire sur la Noblesse est fort belle; c'est à mon gré la mieux faite, et Boileau en a beaucoup profité. Celle du Turbot, fameuse par la peinture admirable des courtisans de Domitien, a un mérite particulier : c'est la seule où l'auteur se soit déridé. Celle qui roule sur les Vœux offre des endroits frappans; mais en total c'est un lieu commun appuyé sur un sophisme. Il n'est pas vrai qu'on ne doive pas désirer une longue vie, ni de grands talens, ni de grandes places, parce que toutes ces choses ont fini quelquefois par être funestes à ceux qui les ont obtenues. Il n'y a qu'à répondre que beaucoup d'hommes ont eu les mêmes avantages, sans éprouver les mêmes malheurs, et l'argument tombe de lui-même : c'est comme si l'on soutenait qu'il ne faut pas désirer d'avoir des enfans, parce que c'est souvent une source de chagrins. Pour répondre à ce raisonnement, il n'y aurait qu'à montrer les parens que leurs enfans rendent heureux, et dire : Pourquoi ne serais-je pas du nombre? De plus, il est faux qu'un père ne doive pas souhaiter à son fils les talens de Cicéron, parce que Cicéron a péri sous le glaive des proscriptions; et quel homme, pour peu qu'il ait quelque amour de la vertu et de la véritable gloire, croira qu'une aussi belle carrière que celle de Cicéron soit payée trop cher par une mort violente, arrivée à l'âge de soixante-cinq ans? Qui refuserait à ce prix d'être l'homme le plus éloquent de son siècle, et peut-être de tous les siècles, d'être élevé par son seul mérite à la première place du premier empire du monde, d'être trente ans l'oracle de Rome, enfin d'être le sauveur et le père de sa patrie? S'il était vrai que le fer d'un assassin qui frappe une tête blanchie par les années pût en effet ôter le prix à de si hautes destinées, il faudrait croire que tout ce qu'il y a parmi les

hommes de vraiment grand, de vraiment désirable, n'est qu'une chimère et une illusion.

Au fond, cette satire si vantée se réduit donc à prouver que les plus précieux avantages que l'homme puisse désirer sont mêlés d'inconvéniens et de dangers; et c'est une vérité si triviale, qu'il ne fallait pas en faire la base d'un ouvrage sérieux.

Horace ne tombe point dans ce défaut, qui n'est jamais celui des bons esprits; et sans vouloir revenir sur l'énumération de ses différentes qualités, je crois, à ne le considérer même que comme satirique, lui rendre, ainsi qu'à Juvénal, une exacte justice, en disant que l'un est fait pour être admiré quelquefois, et l'autre pour être toujours relu.

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM

LIBER QUARTUS.

ODE PRIMA

AD VENEREM.

Cùm Horatius carmina quæ, in honorem Augusti, ætate maturior cecinerat, nec non alia quædam in hoc libro tribus carminum prioribus libris addito, publici juris faceret, iis per odeu sequentem præludit, lyramque diutiùs mutam quasì increpans, se pristinis amoribus, licèt quinquagenarium incalescere fingit. Triste est fateri, quod nonnulli recentiores nostri vatis annotatores frustrà dissimulare aut etiàm diluere conati sunt, vix fieri posse ut, laudato magni poetæ ingenio, argumentum ipsum, quod ex fine carminis præcipuè liquet, non reprehendatur.

Intermissa, Venus, diù
Rursùs bella moves [1]. Parce, precor, precor!

1. *Intermissa bella rursùs moves :* non solùm per usitatam apud poetas eroticos metaphoram, *bella* à Venere sibi *moveri* queritur, ut suprà, III, 26, 2, *Et militavi non sinè gloriâ;* sed sensu proprio magìs, et ad ætatem suam magìs accommodato; in senium enim vergenti, cupiditates hostilitèr obluctantur, et

Non sum qualis eram bonæ
Sub regno Cinaræ [2]. Desine, dulcium
Mater sæva Cupidinum,
Circà lustra decem flectere [3] mollibus
Jàm durum imperiis. Abi
Quò blandæ juvenum te revocant preces.
Tempestiviùs in domum
Paulli [4], purpureis ales oloribus,
Comissabere Maximi,

pacem animi, pretiosissimam hujus ætatis voluptatem et solatium, majori quàm juvenibus damno, disturbant. — *Parce, precor, precor :* repetitio quæ non dolorem solummodò, sed pudorem arguit. *Se erubescendis ignibus aduri* et *amore peccare non ingenuo* agnoscit, suprà, Od. I, 27, 16; ergò, non Veneris gratiam, sed potiùs intelligit hìc adesse ultionem, quam illicò et instantèr et iteratò deprecatur. Cujus loci meminisse videtur Racinius, dum Phædram sibi incestos amores exprobrantem sic inducit : *Pardonne, un dieu cruel a perdu ta famille.* Phædr. Act. IV, Sc. 6.

2. *Non sum qualis eram bonæ Sub regno Cinaræ :* bonam vocat Cinaram, quæ, cùm quæstum corpore vulgò faceret, Horatium tamèn à communi lege exceptum voluerat; *quem scis immunem Cinaræ placuisse rapaci.* Epist. I, 14, 33.

3. *Flectere :* domare, imperio tuo, legibus tuis subdere; metaphora ducta ab equo oris durioris, qui leni et gratâ palpatione et *mollibus imperiis*, ad arbitrium magistri sui sese componere assuescit. Jungi necesse est hanc vocem, *durum*, cum his vocibus, *mollibus imperiis*, quæ in dativo casu accipiendæ sunt. — *Revocant :* benè verbum illud, *vocant*, cum reduplicativâ adhibetur. Propria Veneris sedes juvenum domus, undè, cùm ad seniorum ædes invisendas evolat, rectè *blandis juvenum precibus* non *vocari*, sed *revocari* dicenda est.

4. *Paulli :* exquisito artificio laudes hìc inducit Paulli Fabii Maximi; qui juvenis, nobilis, pulcher et dives, dignior erat quàm Noster, qui sub Veneris vexillis militaret. Idem ille creditur qui anno U. C. 743, consulatum cum Q. Ælio Tuberone gessit. — *Purpureis ales oloribus :* tu, ô Venus, quæ cursu *alite*, hoc est rapidissimo, aera tranas in curru juncto cycnis albore splendentibus. Passìm in poetis *purpurei* colores appellantur quicumque fulgidè nitent. *Manibus date lilia plenis, Purpureos spargam flores;* Virgil. Æneid. VI, 883. — *Comissa-*

Si torrere jecur quæris idoneum.
Namque et nobilis, et decens [5],
Et pro sollicitis non tacitus reis,
Et centum puer artium,
Latè signa feret militiæ tuæ.
Et quandòque potentior
Largis muneribus riserit æmuli,
Albanos propè te lacus
Ponet marmoream, sub trabe citreâ.
Illìc plurima naribus
Duces thura [6], lyræque et Berecynthiæ

bere : te transferes, ibis cum lascivo amorum et omnium quæ ad voluptatem pertinent comitatu. *Comissari* à græcâ voce κωμάζειν derivatur, quæ eodem sensu in Theocrito non semèl legitur. Κωμάσδω ποτὶ τὰν Ἀμαρυλλίδα. Idyll. III, 1. — *Jecur :* ut aliarum cupiditatum, sic et venereæ libidinis sedem. Vide suprà, Od. I, 13, 4, et notam in hunc locum.

5. *Decens :* pulcher, amabilis, ut suprà I, 18, 6. — *Non tacitus :* per litoten, pro, *facundus ;* imò et sempèr paratus ad impendendam clientibus in litem difficilem adactis, et de causæ exitu *sollicitis*, eloquentiæ suæ operam. — *Centum puer artium :* qui, licèt juvenis, innumeris pollet artibus, immensâ doctrinæ supellectile instruitur. — *Latè signa feret militiæ tuæ :* quamcumque puellam aggressurus sit, felicissimo dotium corporis, animi et ingenii consortio, id facilè obtinebit ut victoriam referat. — *Et quandòque :* quotiescumque. — *Potentior riserit :* poeticè et multò elegantiùs quàm si simplicitèr dixisset : *Potentior fuerit.* — *Largis muneribus æmuli :* potentior æmulo, certè præferendus rivali cuilibet, quem majorsolarum divitiarum copia commendaret. — *Albanos propè te lacus :* lacus Albanus, hodiè, *lago di Castel-Grandolfo*, juxtà quem villam amœnissimam Paullus possidebat. — *Sub trabe citreâ :* in sacello tibi extructo, cujus tectum, ad magnificentiam, non quernis aut vulgaribus lignis, sed trabibus citreis, quæ magno sumptu ex Africâ Romam advehebantur, compactum aut sustentatum. Plinius, XIII, 30, Theophrastum citat qui magnum Romæ huic arbori ab anno U. C. 440° honorem habitum tribuit, memoratasque refert ex eâ templorum veterum contiguationes; qui locus ad rem apprimè facit.

6. *Illìc plurima naribus Duces thura :* in fide erat apud ve-

Delectabere tibiæ
Mixtis carminibus, non sine fistulâ;
Illic bis pueri die
Numen cum teneris virginibus tuum
Laudantes, pede candido
In morem Salium tèr quatient humum.
Me nec femina, nec puer [7]
Jàm, nec spes animi credula mutui,
Nec certare juvat mero,
Nec vincire novis tempora floribus.
Sèd [8] cùr, heu! Ligurine, cùr
Manat rara meas lacrima per genas?
Cùr facunda parùm decoro

teres, statuas non meras esse deorum aut dearum imagines, sed iis sensum et animam infundi. — *Berecynthiæ tibiæ :* Phrygiæ : de lyrâ et fistulâ, vide suprà III, 19, 20. — *Pueri cum teneris virginibus :* chorus puerorum et puellarum alternatim cauentium in sacris adhiberi solebat. Vide suprà, I, 21, hymnum ad Dianam et Apollinem, et infrà, poema sæculare. — *Pede candido :* pulchro. — *In morem Salium :* de Saliis, Martis sacerdotibus jàm dictum est, suprà, I, 36, 12.

7. *Me nec femina, nec puer :* connectendæ hæ voces cum verbo subsequenti, *juvat ;* me non juvat femina, etc. Quod notandum, quià rarissimè evenit ut idem verbum in priori phraseos parte substantivis, in alterâ infinitivis adjungatur; eam quidèm licentiam signare potiùs quàm imitandam proponere malim. — *Nec spes animi mutua creduli :* credulos enim se nimis, aut potiùs fatuos exhibent quicumque, ætate jàm provectâ, *mutuum* sibi amorem rependendum præsumunt.

8. *Sed :* per correctionem transit ad fatendum serum et eò turpiorem affectum quo Ligurinum amplectitur. — *Cùr ?* quasi exclamaret: Quid dixi, insanus? Si modò vera attuli, si nullo amore tangor, quî fit ut, etc. — *Heu !* contrà se ipsum dolens et pudore suffusus indignatur. — *Cùr ?* energicè dubii signum iterat. Lacrimarum suarum causæ fidem recusat adhibere. — *Rara lacrima :* non enim fletibus obortis, sed per lacrimas guttatim, et, ut ipse loquitur suprà, I, 13, 7, *furtìm* manantes vividior amoris affectus significatur. — *Cùr facunda parùm decoro In-*

Inter verba cadit lingua silentio?
Nocturnis ego somniis
Jam captum teneo [9], jam volucrem sequor
Te per gramina Martii
Campi, te per aquas, dure, volubiles.

ter verba cadit lingua silentio? Sic construe et explica : cùr *inter verba*, id est, cum effari, cum amorem meum verbis exprimere meditor. Sic apud Virgil. Æneid. IV, 76, Dido, amore suo perturbata, *Incipit effari, mediâque in voce resistit.* Sic apud Racinium Phædra, Act. II, Sc. 5, ad aspectum Hippolyti subitò obmutescens : *J'oublie, en le voyant, ce que je viens lui dire. Lingua facunda,* quæ ad intimos sensus foràs expromendos hactenùs mihi non defuerat, *cadit,* intercipitur, *silentio parum decoro,* silentio quod mihi pudorem incutit, dùm mihi vehementiam libidinis meæ exprobrat. Nam ut ipse fatetur infrà, Epod. XI, 9, *amantem et languor et silentium Arguit.*

9. *Nocturnis ego somniis Jàm captum teneo :* Ego te, quem vigilans cupio, per noctem tenere et amplecti mihi videor. Quo quisque in studio diem conterit, et quibus in curis vigilans fuit occupatus, eas plerùmque somniare solet. Hunc locum ex octavo et duodecimo Anacreontis carmine expressum fuisse facilè crediderim. — *Te... te :* nota repetitionem affectûs tenerrimi plenam; *te,* non alium. Sic et Virg. Orpheum bis raptæ conjugi indolentem, notissimis hisce versibus inducit : Te *dulcis conjux,* te *solo in littore secum,* Te *veniente die,* te *decedente canebat;* Georg. IV, 465. — *Per gramina Martii campi :* in quibus pulcherrimam membrorum dispositionem explicare poterat Ligurinus. — *Per aquas volubiles :* quæ ipso natantis impulsu rapidiùs volvi videbantur. — *Dure :* ut infra, IV, 10, *O crudelis adhùc!*

ODE SECUNDA

AD JULUM ANTONIUM.

Augustus, anno U. C. 738, Sicambros, gentem Germaniæ inferioris, utriusque Rheni ripæ accolam ità profligaverat, ut pacem à victore postulaverint, ipsis concessam eâ conditione ne Galliæ fines unquàm posteà invaderent. Cùm autèm triumphalem reditum Augustus meditaretur, invitatus est à Julo Antonio Horatius Pindarico carmine solennem imperatoris pompam exornare. Tanto operi sese imparem Noster profitetur, et ne fortè negligentiam pro modestiâ præ se ferre videatur, Augusti victorias Pindarique laudes magnifice amplificat, et Antonio ipsi adulatus, eum solum esse poetam declarat qui tantas res versibus æquare possit. Ea est tamèn hujusce carminis gravitas et eloquentia, in eo Horatius tàm lyricum spirat, tàm felicitèr audet, ut ipso excusationis genere et modo sese damnare videatur, dùm se dignissimum Pindari æmulum sinùl et præstantissimum Augusti laudatorem exhibet.

Pindarum [1] quisquis studet æmulari,
Jule, ceratis ope Dædaleâ
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.

1. *Pindarum :* Pindarus, Græcorum lyricorum princeps, è Thebis oriundus, cujus opera, majori saltèm in parte, temporis injuriâ perierunt. Floruit anno antè Christum quingentesimo. Quæcumque ex ejus carminibus supersunt, celebrandis ludorum

Monte decurrens velut amnis [2], imbres 5
Quem super notas aluere ripas,
Fervet, immensusque ruit profundo
Pindarus ore;

Olympiorum victoribus ferè omnia consecrata sunt. — *Jule :* Julus Antonius, M. Antonii triumviri è Fulviâ filius, Octaviæ Augusti sororis filiam uxorem duxit. Paternorum odiorum magìs quàm præsentium beneficiorum memor, in partem conjurationis contrà Augustum initæ venit[1], et capite damnatus, supplicium voluntariâ morte prævertit.—*Ceratis pennis :* rectè *ceratis*, non *cereis*, ut intellexisse videntur nonnulli interpretes, inter quos clar. vir. Ren. Binet annumerandum esse miramur. Quod quidèm tùm ex ipsâ ratione, tùm è communibus veterum poetarum testimoniis liquet. Audi Ovidium, Art. Am. II, 45, Icari volatûs artificium accuratissimâ diligentiâ describentem : *Remigium volucres disponit in ordine pennas, Et leve per lini vincula nectit opus, Imaque pars ceris astringitur igne solutis;* et paulò inferiùs : *Tractabat ceramque puer pennasque renidens;* et, ut omne dubium tollatur, veniat in memoriam locus sequens Metam. VIII, 197; de Icaro agitur : *Modò quas vaga moverat aura Tractabat plumas, flavam modò pollice ceram Mollibat.* — *Ope Dædaleâ :* idem incurrens periculum quod Dædali industria filio suo Icaro imprudentèr paraverat. Porrò Dædalus in carcerem insulæ Cretæ, qui Labyrinthus appellabatur, conjectus, ex eo evolavit aptatis sibi et filio suo Icaro alis cerà alligatis, ut supra diximus. At Icarus, cùm ad solem propiùs volando accessisset, solutis calore ceris et pennis, decidit in Ægei maris partem, quæ ab eo dicta deindè est Icarium mare. — *Nomina :* pro *nomen*, plurale pro singul. poeticè.

2. *Monte decurrens velut amnis :* illicò, veluti Pindarico œstro concitatus, ad laudes Pindari per abruptam orationem transit, illasque eo dicendi impetu, eâ imaginum vi et ubertate celebrat, quibus ipse vates Thebanus in præstantissimis victorum Olympiorum præconiis utitur. Phrasim autèm poeticam sic construe : *Pindarus fervet, immensusque ore profundo ruit, velut amnis monte decurrens, quem,* etc. — *Fervet :* fervore illo et æstu corripitur, quo poetæ agitari solent; hoc dictum continuandæ metaphoræ gratiâ; amnis enìm vehementèr incitatus, propriè *fervere* vel *æstuare* dicitur. *Rapido ferventius amni Ingenium*, infrà, Sat. I, 10, 62. — *Immensusque ruit profundo Pindarus ore :* ex ore Pindari,

Laureâ donandus Apollinari,
Seù per audaces nova dithyrambos [3]
Verba devolvit, numerisque fertur
Lege solutis;
Seù deos [4] regesque canit, deorum
Sanguinem, per quos cecidere justâ
Morte Centauri, cecidit tremendæ
Flamma Chimæræ;
Sivè, quos Elea domum reducit
Palma cœlestes, [5] pugilemve equumve

tanquàm è fonte uberrimo, immensa verborum sententiarumque copia profluit, undè per admirandam metathesin, ipse poeta *ruit immensus*, id est, exuberat, prorumpit. — *Supèr notas ripas :* justum, consuetum alveum.

3. *Per audaces dithyrambos:* de dithyrambis vide suprà notam in titulum Od. II, 19. — *Nova verba devolvit :* verba hactenùs inaudita, et ad licentiam et audaciam dithyrambici generis creata. Nota vim et proprietatem hujus verbi, *devolvit*, quod ad metaphoram ex amne desumptam referendum est. — *Numerisque fertur Lege solutis :* continuatur et explicatur allegoria. Torrentis instàr qui nullum alveum servat, sic Pindarus præscriptas cæteris carminibus *leges* negligit, et furori suo liberiùs indulgens, nullis *numerorum*, id est rhythmi regulis coercitus, ab uno ad aliud versuum genus indesineutèr transilit.

4. *Seu deos :* ut Apollinem. — *Regesve canit :* ut Hieronem qui tempore Pindari regnavit in Siciliâ. — *Deorum sanguinem :* sive heroas qui, ut Hercules et Pirithoüs, à diis ducebant originem, uisì màlis *deorum sanguinem* per appositionem cum illis vocibus, *reges per quos*, etc., jungere. Idem ferè sensus. — *Per quos cecidére justâ Morte Centauri :* Herculem, Theseum, Pirithoüm intelligit, qui Eurytum et alios Centauros, ob vim libidinosam Hippodamiæ Pirithoï sponsæ, in cœnâ nuptiali intentatam occiderunt. Vide suprà, Od. I, 18, 8, et notam in hunc locum. — *Cecidit tremendæ Flamma Chimæræ :* de Chimærâ consule suprà, Od. I, 27, 24, et notam.

5. *Sive quos Elea domum reducit Palma cœlestes :* sivè dicit et laudat eos quos victoria propè Elidem parta in patriam redire sinit *cœlestes*, id est, honoribus ferè cœlestibus cumulatos. — *Pugilemve equum-*

Dicit, et centum potiore signis
Munere donat;
Flebili sponsæ juvenemve raptum
Plorat, et vires animumque moresque
Aureos [6] educit in astra, nigroque
Invidet Orco.
Multa Dircæum levat aura cycnum [7],
Tendit, Antoni, quotiès in altos
Nubium tractus; ego apis Matinæ
More modoque
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum [8], circà nemus uvidique

ve : communi enim præconio Pindarus athletam victorem et equum victoriæ comitem et ministrum concelebrat. — *Et centum potiore signis Munere donat :* et in eorum honorem monumentum erigit duraturum magìs, quàm centum statuas, vel æneas, vèl marmoreas. Sic de seipso loquens, suprà, Od. III, 30, 1, *Exegi monumentum ære perennius.*

6. *Vires animumque, moresque Aureos :* sponsam solatur de morte juvenis mariti quem corporis et animi dotes commendabant, non minùs quàm mores, hoc est probitas, virtus aureo digna seculo. — *Invidet Orco :* oblivioni æternæ eripit, quâ vulgus mortuorum damnatur.

7. *Multa Dircæum levat aura cycnum :* Dirce fons fuit in Bœotiâ, non procul à Thebis, quæ Pindari patria. Poëtas verò cycnos nuncupari notum est, quòd illæ volucres sacræ essent Apollini, et suavissimè canere jactarentur. Dicitur autèm ab Horatio Pindarus multâ sursùm propelli semper aurâ, quòd reipsa Pindarus nunquàm repat humi, aut veluti fatigatus decidat, id quod optimis interdùm poëtis usuvenit. Juvenc. — *Ego apis Matinæ :* quàm egregiam modestiæ professionem jactat Horatius, dùm Pindarum cycno *in nubium tractus*, ventis faventibus, evolantem, se verò api volucrium humillimæ comparat! De Matino monte, Venusiæ, Horatii patriæ vicino, vide notam in vers. 3 odes 28, lib. I.

8. *Per laborem plurimum :* oppone has voces verbis quæ suprà leguntur : *Multa aura levat ;* sese æmulando Pindaro imparem magìs ac magìs declarat.

Tiburis ripas, operosa parvus
Carmina fingo.
Concines majore, poëta [9], plectro
Cæsarem, quandòque trahet feroces
Per sacrum clivum, meritâ decorus
Fronde, Sicambros;
Quo nihil majus meliusve [10] terris
Fata donavêre, bonique divi,
Nec dabunt, quamvìs redeant in aurum
Tempora priscum.
Concines lætosque dies, et Urbis
Publicum ludum, supèr impetrato
Fortis Augusti reditu, forumque
Litibus orbum [11].
Tùm meæ (si quid loquor audiendum [12])

Ille facillimè in altissima rapitur. Ego, humi ferè reptans, thymeum florem, vix solo eminentem, non sinè magnâ operâ delibo. — *Parvus :* tenuis, grandi ingenio destitutus. — *Fingo :* delectissimum verbum, et ad metaphoram ex apium laboribus depromptam aptissimè accommodatum. *Excudunt ceras et mella tenacia fingunt*, Virg. Georg. IV, 57.

9. *Poeta :* tu, qui, licèt Imperatoriæ familiæ affinis, licèt publicis rebus addictus, poesim colere non dedignaris. Julus enìm Antonius carmen epicum scripserat, in XII libros, Æneidos instàr, divisum, cui titulus : *Diomedeïs.* — *Per sacrum clivum :* per viam sacram quæ ad montem ubì stabat Capitolium, triumphantes ducebat. — *Sicambros :* vide *Argumentum*, in initio.

10. *Quo nihil majus meliusve :* sìc infrà, Epist. II, 1, 17 : *Nil oriturum aliàs, nil ortum tale fatentes.* — *Quamvìs redeant in aurum Tempora priscum :* eleganti periphrasi, pro, quamvìs aurea ætas redeat.

11. *Forumque Litibus orbum :* in lætis solemnitatibus haud secùs ac in rebus trepidis *justitium* à magistratibus indicebatur, et per tempus præstitutum cessabant causarum actiones. Idem juris apud nos locum obtinet.

12. *Si quid loquar audiendum :* ut hæc verba cum precedentibus congruant, sìc, opinor,

Vocis accedet bona pars, et, O Sol
Pulcher! ô laudande! canam, recepto
Cæsare felix.
Duxque dùm procedit [13], Io triumphe!
Non semèl dicemus, Io triumphe!
Civitas omnis; dabimusque divis
Thura benignis.
Te [14] decem tauri, totidemque vaccæ,
Me tener solvet vitulus, relictâ
Matre, qui largis juvenescit herbis
In mea vota,
Fronte curvatos imitatus ignes
Tertium lunæ referentis ortum [15],

intelligendæ sunt. Declaravit Horatius se canendo dignè Augusto imparem. Ne tamèn silentium suum malevoli iniquè interpretentur, se non poëtæ (quæ partes ad Antonium solum pertinent), sed civis devoti et fidelis munia adimpleturum profitetur. Sese turbæ gratulantium et acclamantium immiscebit. Majori et altiori voce quàm cæteri, si fas est, cantus triumphales instaurabit; simplicibus quidèm verbis, sèd verbis bis, tèrque quaterque repetitis communi lætitiæ sese aggregabit.

13. *Duxque dùm procedit :* sic, sinè dubio, legendum; quis enim prætèr Imperatorem in triumpho procedit, cùm in Capitolium vehitur? Cui nisi Imperatori triumphus acclamatur? cujus denique gratiâ populus rem sacram facit, nisi ejus qui triumphat? Sèd certò credo scriptum fuisse *Duque*, extritâ unâ, ut solet, litterâ, Vera autem lectio est : *Duxque dùm procedit*, etc. Heinsius.

14. *Te :* te, scilicèt, ô Antoni, quem sumptuosa decet hostia. Vide suprà, Od. III, 23, 18. — *Me :* per modestam antithesim, tener vitulus me à voto meo liberum reddet. — *Relictâ matre :* recentèr à lacte depulsus. — *In mea vota :* subaudi exsequenda.

15. *Fronte curvatos imitatus ignes Tertium lunæ referentis ortum :* ostendens in fronte prima cornuum germina, lunæ die tertio à Novilunio orientis formam falcatam imitantia. Sic et Claudianus, de Rapt. Proserpin. I, 128, de vitulâ : *Pedibus quæ nondùm proterit arva, Nec nova lunatæ curvavit germina frontis.* — *Quà*

Quà notam duxit niveus videri,
Cætera fulvus. 60

notam duxit : eâ corporis parte (haud dubiè fronte) quæ diversi coloris maculâ notata est. — *Niveus videri :* ut suprà, Od. I, 19, 8, *lubricus aspici;* quem locum consule.

ODE TERTIA

AD MELPOMENEN.

Musis acceptum refert Horatius, quòd, earum numine à natalibus instinctus, tantum jàm gloriæ poeticæ paraverit, ut Romæ digito monstretur, et invidiam ad silentium propè redigat. Facilè quis crediderit Nostrum hâc ode voluisse censores nonnullos retundere, laudibus læsos magnificis quas de se ipso in primo primi libri et in ultimis librorum sequentium carminibus prædicare, ut vidimus, non dubitaverat. Hìc quoque se romanæ principem lyræ agnoscit, sed successus suos et famam, gratuitum fuisse Musarum beneficium modestè declarat, quâ quidem professione pietatis, adversariorum suorum vituperiis se facere satìs arbitrari potuit; quanquàm, Musis gratias agere quòd se nascentem placido lumine viderint, *quid est reverâ aliud quàm sibi ob felicissimam ingenii venam à Naturâ concessam plaudere? Quidquid sit, intèr consummatissima, non solùm Horatii, sed totius etiàm antiquitatis opera carmen sequens à doctis litteratisque viris jamdudùm annumeratum est; imò à severissimo Horatii judice, Julio Scaligero qui, ut ferè sempèr aliàs* Hypercriticus, *sìc in laudatione aliquandò nimius, illud invenisse, ut aiebat, maluisset quàm Aragoniæ solio insidere.*

Quem tu, Melpomene [1], semèl
Nascentem placido lumine videris,

1. *Melpomene :* pro aliâ qualibet Musâ, ut suprà, Od. III, 30, 16. — *Nascentem :* nascuntur enim poetæ, ut ait Quintilianus, fiunt oratores. *Si son astre en naissant ne l'a créé poète;* Bolæus, Ars poet., lib. I, in initio. — *Placido lumine videris :*

Illum non labor Isthmius [2]
Clarabit pugilem; non equus impiger
Curru ducet Achaïco
Victorem; neque res bellica Deliis
Ornatum foliis ducem,
Quòd regum tumidas contuderit minas,
Ostendet Capitolio;
Sed quæ Tibur aquæ fertile præfluunt [3],
Et spissæ nemorum comæ,
Fingent Æolio carmine nobilem.

in hâc suavissimâ imagine præiverunt Horatio complures poetæ græci, è quibus Hesiodum citare juvat. Ὄντινα τιμήσουσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο, Γεινόμενόν τ' ἐσίδωσι διοτρέφεων Βασιλήων, Τῷ μὲν ἐπὶ γλώσσῃ γλυκερὴν χείουσιν ἀοιδήν, Τοῦ δ' ἔπέ ἐκ στόματος ῥεῖ μείλιχα.

2. *Labor Isthmius :* ludi, qui magno athletarum *labore* propè Corinthum tertio quoque anno celebrabantur, a Sisypho Corinthiorum rege, in honorem Melicertæ, dei marini, anno 1350° antè Chr. instituti. — *Clarabit :* illustrem faciet. — *Curru ducet Achaïco Victorem :* alii de reditu victoris in patriam inter plausus urbium, alii de ipso cursu in stadio ubi victoria reportata fuit, hanc vocem, *ducet,* intelligunt; quem posteriorem sensum prætulerim. — *Achaïco :* Græco, ut passim in poetis, et præsertim in Virgilio. — *Deliis foliis :* lauro, quæ Apollini, cujus Delos patria, sacrata erat. — *Quòd regum tumidas contuderit minas :* nihil gratius erat Romanis quàm si reges durissimi servitii meritò impatientes, et in minas erumpentes, domarent, cosque catenis oneratos currui triumphatoris astringerent. Vide suprà, Od. II, 12, 11. — *Ostendet Capitolio* : pars enim triumphi præclarissima erat, quòd victor, curru sublimis, omnium oculos in se converteret, sicque turbæ admirauti et plaudenti ostentaretur. Quam circumstantiam non omisit Racinius, dùm Titi triumphum describit in Berenice, Act. I, Sc. V : *Tous ces yeux qu'on voyoit venir de toutes parts Confondre sur lui seul leurs avides regards.*

3. *Sed quæ Tibur aquæ fertile præfluunt :* vide in ode præcedenti versus 31 et 32. — *Et spissæ nemorum comæ :* vide suprà, Od. I, 1, 30, et notam in hæc verba : *Me gelidum nemus,* etc. — *Æolio carmine nobilem :* cur carmen lyricum nominetur *Æolium* sàt explicuimus in not. Od. III, 30, 13.

Romæ, principis urbium,
Dignatur soboles [4] inter amabiles
Vatum ponere me choros,
Et jam dente minùs mordeor invido.
O testudinis aureæ
Dulcem quæ strepitum [5], Pieri, temperas!
O mutis quoque piscibus
Donatura [6] cycni, si libeat, sonum!
Totum muneris hoc tui est
Quòd monstror digito prætereuntium
Romanæ fidicen lyræ;
Quòd spiro et placeo, si placeo, tuum est.

4. *Romæ soboles:* poeticè, pro, Romani cives. — *Et jàm dente minùs mordeor invido :* Invidiæ *dens* à poetis vulgò tribuitur, quo viros ingenii præstantioris virtutemque ipsam indesinenter appetat. Exempla apud Nostrum passim affluunt. Consule quoque in Fontanio fabulam V, 16, et præcipuè epilogum fabulæ cui titulus : *Serpens et lima.*

5. *Dulcem strepitum :* per antithesim, quâ fit ut quod minùs grati in illâ voce, *strepitum,* inerat, per hoc epitheton, *dulcem,* illicò corrigatur. — *Pieri :* in vocativo, græcâ inflexione. *Pierides* Musæ appellabantur à Pierio monte Macedoniæ ipsis sacro. — *Temperas* : modularis; lyræ meæ sonos per certa *tempora* certamque mensuram dirigis.

6. *O donatura :* in cujus potestate esset, si libuerit, donare, etc. — *Cycni :* nota, ob liquiditatem litteræ *n,* primam syllabam corripi, ut in *Progne* apud Ovidium, in *Daphne* apud Petronium, in *Ichneumon* apud Martialem. De canorâ autèm cycni voce, nemo est hodiè qui veteres errasse in dubium revocet. Legendus tamèn Buffo in fine cycni descriptionis, t. XVII (*des Oiseaux*), t. I edit. Lupar. in-12, ubi causa et excusatio veterum erroris jucundissimè explicantur. Neque reticendus senex ille Norwegianus qui, teste Isaaco Vossio, asserebat se canentem cycnum, suavesque sonos edentem non semèl audivisse. — *Quòd monstror digito prætereuntium :* sic Persius, I, 28. *At pulchrum est monstrari, et dicier : Hic est.* Apùd nos, *monstrari digito* (*être montré au doigt*) sempèr in malam partem accipitur. — *Quòd spiro :* alii putant hìc alludere Horatium ad ea quæ jam cecinit suprà, Od. III, 4, 15, nempè se ab imminenti mortis periculo,

Musarum patrocinio se tèr servatum fuisse; alii, *quòd spiro* sìc interpretantur; *quòd* lyrici poetæ me spiritus agit; alii nihil aliud hìc vident, quàm translationem ab adjectivo ad verbum, à poetis frequentèr usurpatam, ità ut, *quòd spiro et placeo* simplicitèr significet: *quòd spirans*, *quòd vivus placeo*, quòd mihi nondùm extincto (res rara et admiratione digna!) legitimi à meis honores tribuuntur, id totum ad vos, ad vestram tutelam, ò Musæ, pertinet. Hanc postremam interpretationem à Sanadone traditam, cum totius odes tractatione et materiâ faciliùs congruentem adoptandam esse censui, quanquàm fateor, in duabus aliis interpretationibus, nihil omninò absoni, et una qnæque magnis se nominibus tueatur.

ODE QUARTA.

DRUSI LAUDES.

Cùm Rhæti, et Vindelici Rhætis conterminî, populus uterque tùm virtute militari, tùm regionum quas incolebat situ Romanis formidatissimus, perpetuis incursionibus Galliæ et Italiæ partes fatigarent, Augustus eorum audaciæ terminum imponere certus, adversùs eos exercitum misit, anno Urbis 738; cui præfecerat juniorem è privignis suis Drusum Neronem, quem tenerrimo amore complectebatur; Drusus, vix tres et viginti annos natus, ingenti clade geminos hostes afflixit, ità tamèn, ut non nisi post biennium à Tiberio Drusi fratre, ut in ode decimâ quartâ hujus libri videbimus, omninò profligati fuerint. Tantam autem lætitiam è primâ Drusi victoriâ suscepit Augustus, ut eam præcipuo Nostri carmine celebrari voluerit, teste Suetonio, in Vitâ Horatii, quæ primo volumini præfixa facilè à lectoribus consuli potest. Mandatum Imperatoris alacritèr executus est Horatius, et quod in carminibus de jussu editis rarò contigit, spem jubentis propriamque famam exsuperavit. In nullo alio carmine Pindaricam vim et impetum fideliùs expressit. Nusquàm aliàs, grandiori spiritu instinctus, poeticæ eloquentiæ nervos fortiùs intendit, uberiori fluxit verborum sententiarumque copiâ, opusque protulit adeò ex omni parte absolutum, ut ipsi Scaligero hanc laudem expresserit, totâ hâc cantione Horatium et seipsum et omnem Græciam superavisse. *Cui judicis parùm suspecti opinioni adhærere non dubitabit quisquis eâ quâ dignum est attentione carmen eximio artificio perfectum legerit.*

Qualem ministrum fulminis alitem [1],

1. *Qualem ministrum fulminis alitem:* longa quidèm, sed

Cui rex Deorum regnum in aves vagas
Permisit, expertus fidelem
Jupiter in Ganymede flavo,
Olim [2] juventas et patrius vigor
Nido laborum propulit inscium,
Vernique, jàm nimbis remotis,
Insolitos docuere nisus

magnifica periodus, non nisi ad versum decimum quartum terminatur; quam si ad grammaticam constructionem reducere velis, resumenda est ab ultimis hisce versibus. *Videre Rhœtis bella sub Alpibus Drusum gerentem Vindelici;* et statìm repetendum initium : *Videre Vindelici Drusum, qualem alitem,* hoc est, similem aliti, quem, etc. *Videre Drusum, qualem caprea videt leonem,* etc. Nemo est autèm tàm poetici sensûs expers, qui non sentiat quantam vim addat exordienti præconio mira illa suspensio quâ fit ut multò priùs quàm nomiuetur, Drusus admirationi desiguetur, per geminam comparationem cum nobilissimis bellicosissimisque animalibus, quorum etiàm nùnc imagines in maximorum principum insignibus, ceu viva potestatis fortitudinisque emblemata, figurantur. — *Cui rex deorum:* aquila, cæterarum avium regina, quòd eas viribus et fortitudine superet, regnum tamèn uon à suàpte naturâ, sed à Jovis liberâ concessione, in fidei ministeriique mercedem mutuatur; alludit Horatius ad Augustum et ad juvenem priucipem hìc aquilæ assimilatum, innuitque Drusum (quod mòx clariùs indicabit) omnia Augusto debere. Sìc se cautum et prudentem laudatorem Noster exhibet. — *In Ganymede flavo :* Ganymedes, pulcherrimus Troïs, Trojanorum regis, filius, quem poetæ fingunt jussu Jovis ab aquilâ raptum fuisse, ut, Hebes loco substitutus, nectar Superis in cœlo misceret.

2. *Olìm :* attende ad miram gradationem, quâ varia educationi aquilæ tempora assignantur, ejusque progressus notantur. *Olìm, jàm, mòx, nùnc ; Olìm,* hoc est, vix ex ovo exclusa, ipso natalium vigore, ipsâ patrii sanguinis virtute *propulsa,* licèt omninò *laborum,* id est, volatûs inscia, ferè implumis, attamèn nidi impatiens, vellet ventis tenuiores adhùc pennas committere. Invita igitùr nido affixa aliquamdiù manet. *Jàm,* h. e. post breve tempus, ubì ver advenit et placidiore flatu venti spirant, viribus levitèr quidèm auctis, insolitos nisus tentat ales generosa, sed cautè tamèn et timidè, pavens, ità ut à teneris prudentiam in se cum virtute conjunctam testetur; quod poetæ propòsito mirè congruit, qui

Venti paventem; mox in ovilia
Demisit hostem vividus impetus;
Nùnc in reluctantes dracones
Egit amor dapis atque pugnæ;
Qualemve lætis caprea pascuis
Intenta [3], fulvæ matris ab ubere
Jam lacte depulsum leonem
Dente novo peritura vidit;
Videre [4] Rhætis bella sub Alpibus

Drusi prudentiam per universum carminis tenorem, attentiùs forsàn quàm fortitudinem prædicat. Vide infrà, v. 20 : *Consiliis juvenis revictæ;* et v. 71 : *Curæ sagaces*, etc. *Mòx* adolevit, et statìm nobilioribus præliis præludens, in imbelle pecus vires et animos exercet, quod libentèr referam ad venatoria juventutis Romanæ, et præsertìm Drusi studia, quæ in primis bellicorum exercitationum rudimentis ponebantur; *nùnc*, h. e. tandèm matura, et plenis pollens viribus, metuendos hostes aggreditur, ut dracones, qui cum ipsâ luctam imparem et cruentam inire non dubitant. Hìc eam ætatem attingit poeta, quâ Drusus feroces et indomitos hactenùs populos aggressus, ex iis præclaram victoriam reportavit. Non autèm excidat quàm justo verborum temperamento, quàm proprio vocum delectu hæc omnia successivè explicentur. Gradatìm ascendunt, ut decebat, tres illæ voces, *propulit*, *demisit*, *egit;* neque silentio prætereunda præclara illa imago ventorum vere spirantium, quorum quasi magisterio edoctus aquilæ pullus, volandi artem et præcepta edocetur.

3. *Lætis caprea pascuis Intenta :* artificiosè opponit securitatem capreæ pascentis, terrori quo subitò corripitur ad aspectum leunculi à quo mòx se dilacerandam intelligit. — *Matris ab ubere Jàm lacte depulsum :* aliquid in his *ubere* et *lacte* redundare videtur. Undè in nonnullis edit. *Jàm lacte* mutatum est in adverb. *jamjàmque*. Sensus servatæ lectionis clarior quàm ut inutilis prorsùs emendatio admittatur. — *Dente novo peritura :* dente adhùc inexperto, cædis inscio. Nunquàm adolescentiæ Drusi, quæ tantum splendorem primæ ipsius victoriæ addiderat, Noster obliviscitur.

4. *Videre :* subaud. *talem*. — *Rhætis sub Alpibus :* Rhæti nùnc Grisones, Helvetii, Boii. Non procùl erant *Vindelici*, ubì nùnc partìm Bavaria, Suevia, ad ripas Danubii et Rheni. Juvenc. Hìc strophen sequentem à materiâ carminis omninò alienam pas-

Drusum gerentem Vindelici, et diù
Latèque victrices catervæ [5]
Consiliis juvenis revictæ,
Sensere, quid mens ritè, quid indoles
Nutrita faustis sub penetralibus
Posset, quid Augusti paternus
In pueros animus Nerones.
Fortes creantur fortibus [6], et bonis
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

sìm legere est quam, contrà doctiss. vir. Vanderbourg opinionem, sed aliorum interpretum, inter quos Renatus Binet, consensu freti, è textu rejecimus, ut spuriam et Horatio prorsùs indignam. Censuimus tamèn eam in notis retinendam, quò faciliùs discerneretur nùm jure àn injuriâ à carmine tàm splendido, tàm perfecto exularet. *Vindelici quibus Mos undè deductus per omne Tempus Amazoniâ securi Dextras obarmet, quærere distuli; Nec scire fas est omnia; sed diù*, etc. Iis qui longam illam parenthesim cum præced. et sequent. conjungi posse putant, libentèr gratulamur; nos autèm qui ea quæ non intelligimus à nobis non intelligi, ingenuè fatemur, totam strophen eradere nullatenùs piguit.

5. *Diù Latèque victrices catervæ:* impunè enìm et multotiès, ut in *Argumento* dictum est, Galliæ et Italiæ fines depopulatæ fuerant. — *Revictæ:* procùl dubio, in vicem victæ; post audaces nisus successusque plurimos profligatæ. — *Consiliis juvenis:* prudentiâ adolescentis, quam virtutem, ut eâ ætate rariorem, ex industriâ commendat vates. Vid. suprà not. 2. — *Quid mens ritè, quid indoles Nutrita faustis sub penetralibus:* felicem à naturâ indolem sortitus erat Drusus; sed quantùm illi addidit *nutritum*, educatum fuisse in Augusti palatio, et *paternas* vitrici sui curas excepisse! Sic nihil est in Druso laudandum quod ad ipsum Imperatorem referri non debeat. — *Pueros Nerones:* Drusum et Tiberium, fratrem ejus natu majorem, qui à pueritiâ juxtà Augustum aliti fuerant. Tiberius quadrimus erat, cùm Livia in Druso gravidam Augustus uxorem duxit.

6. *Fortes creantur fortibus:* sic legendum, et adjectivum, *bonis*, multò rectiùs cum *equis* et *juvencis* connectitur. — *Doc-*

Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant;
Utcùmque defecere mores,
Dedecorant benè nata culpæ.
Quid debeas, ô Roma, Neronibus [7]
Testis Metaurum flumen, et Hasdrubal
Devictus, et pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris,

trina : educatio. — *Vim promovet insitam :* dotes à naturâ insitas adanget, in altius evehit; metaphora ducta est à plantis, quæ, modò cultura adsit, rapidiùs crescunt, et in aera excelsiùs *promoventur.* — *Rectique cultus pectora roborant :* et bona cultura virtutem animis ingenitam confirmat. — *Utcùmque defecêre mores :* quotiescumque abest liberalis institutio. *Morum* enìm observantia multò magìs à disciplinâ quàm à naturâ pendet. Per *mores* autèm iutellige omnia quæ ad religionem, ad leges et consuetudines publicas, ad familiæ jura pertinent, quæ omnia piè venerari, non nisì per præcepta et exempla homines vèl optimè nati edocentur. — *Benè nata :* refer ad *pectora.*

7. *Quid debeas, ó Roma, Neronibus :* nexus sententiæ; non hodiè primùm Roma experta est virtutem Neronum : jàm ducentis abhìnc annis salutem suam illi debuerat. *Testis*, etc. Tiberius Claudius Nero, ultimus extitit è quatuor filiis Appii Claudii Crassi, sivè Cæci, qui viam Appiam stravit. Tiberii Neronis nepos fuit ille Nero qui consul anno 546 cùm Livio Salinatore Hasdrubalem cecidit; abnepos verò, Tiberius Nero qui ex Liviâ procreavit Tiberium, posteà imperatorem, et Drusum. — *Testis Metaurum flumen :* Hannibal, qui bellum secundum Punicum gessit, devictis ad Ticinum, Trebiam, Thrasymenum lacum et Cannas, Romanis, cùm ipsi Romæ immineret, fratrem Hasdrubalem in Italiam evocavit; ille jàm in Cisalpinam Galliam pervenerat, cùm ei se Livius Salinator consul opposuit, ut transitum ad Hannibalem ipsi intercluderet. Erat Hannibal in Apuliâ, et contrà illum castra Claudius Nero alter consul habebat, qui interceptis Hasdrubalis litteris, clàm inscio Hannibale, summâ celeritate, ad collegæ castra cum copiarum parte venit, commissoque statìm prælio, et cæsis sex et quinquaginta hostium millibus propè Metaurum Umbriæ fluvium, antè ad sua castra rediit in Apuliam, quàm eum discessisse Hannibal sentiret. Caput Hasdrubalis in stativa Pœnorum ab Ne-

Qui primus almâ risit adoreâ [8],
Dirus per urbes Afer ut Italas,
Ceu flamma per tædas, vel Eurus
Per Siculas equitavit undas.
Post hoc [9], secundis usquè laboribus
Romana pubes crevit, et impio
Vastata Pœnorum tumultu
Fana, Deos habuere rectos,
Dixitque tandèm perfidus Hannibal :
« Cervi luporum præda rapacium,
» Sectamur ultrò [10], quos opimus
» Fallere et effugere est triumphus.
» Gens, quæ cremato fortis ab Ilio,

rone projectum, triste indicium acceptæ cladis, et omen futuri deinceps belli funestum, Hannibali fuit. Ea Neronis victoria contigit anno urbis conditæ 546. Juvenc. — *Pulcher ille dies Latio : Latio,* pro, Italiæ, in dativo casu.

8. *Qui primus almâ risit adoreâ :* ador, olim *eder,* ab *edendo* vocatum, ut Festo placet, far è tritico vel frumento. Mos erat apud Romanos post insignem victoriam, unicuique militi certam hujus farris mensuram distribuere ; illa autèm distributio *adorea* vocabatur. Undè nomen *adoreæ* per extensionem, ad ipsam victoriam posteà translatum est. — *Ut :* ab eo indè tempore quo primùm. — *Ceu flamma per tædas :* per silvas arboribus resinosis consitas. — *Equitavit :* durior fortassè catachresis, flammæ et vento applicata. Zephyrus tamèn apud Euripidem, Phœniss. 220, ἱππεύειν dicitur.

9. *Post hoc :* ex eo tempore. — *Romana pubes :* Romani exercitus qui ferè in universum juvenibus constabant. — *Fana Deos habuére rectos :* à Pœnis ex altaribus suis dejectos, nùnc in suam basim, magno cum honore revocatos. — *Dixitque tandèm perfidus Hannibal :* hic incipit eloquentissimum Romanæ virtutis et constantiæ encomium, eò gratius, quòd ex ore infensissimi hostis, per vim veritatis et evidentiæ extorqueri videtur.

10. *Sectamur ultrò :* insani ! audemus provocare, et in ipsis Italiæ visceribus quærere ferocem illum populum ! Nimis felices si ipsi instanti et persequenti valemus nos hodiè subtrahere !

» Jactata Tuscis æquoribus, sacra,
» Natosque, maturosque patres,
» Pertulit Ausonias ad urbes [11],
» Duris ut ilex tonsa bipennibus [12]
» Nigræ feraci frondis in Algido,
» Per damna, per cædes, ab ipso
» Ducit opes animumque ferro.
» Non Hydra secto corpore firmior [13]
» Vinci dolentem crevit in Herculem,
» Monstrumve summisere Colchi
» Majus, Echioniæve Thebæ.
» Merses profundo, pulchrior evenit [14];

11. *Sacra Natosque maturosque patres Pertulit Ausonias ad urbes :* sic propè Virgil. Æneid. I, 71; *Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor, Ilium in Italiam portans victosque Penates.*

12. *Duris ut ilex tonsa bipennibus :* quemadmodùm ilex, aut alia quæcumque arbos, amputatis hinc et indè ramis, trunco manet integra, et in novas frondes lætiùs solet efflorescere, sic gens Romana, dùm cladibus in bello afficitur, ab ipso ferro hostili quo mutilata est, novum vigorem et animum accipit.

13. *Non Hydra secto corpore firmior :* hydra Lernæa, serpens immanis, paludem juxtà Argos occupabat. Occisa est ab Hercule, non sinè magno labore, cùm, pluribus capitibus instructa, uno ex iis abscisso, duobus aliis renascentibus statìm vigeret. *Firmior;* metuenda magis; subaud. quàm gens Romana in nos. — *Vinci dolentem :* indignantem tantas victoriæ suæ moras à tàm vili hoste afferri. — *Monstrumve summisere Colchi Majus, Echioniæve Thebæ;* non tauros ignem vomentes, nec pervigilem draconem intellige; sèd Terrigenas illos, qui satis draconis dentibus, tàm Colchis quàm Thebis, serente illic Jasone, hìc Cadmo exiliere. *Summisere;* propriè *summitti* dicuntur quæcumque è terrâ exeunt; *tibi dædala tellus Summittit flores,* Lucret. I, 8. Thebæ dicuntur *Echioniæ* ab Echione, qui è viris à draconis dentibus ortis, mutuâque clade occisis, unus cum quatuor aliis superfuerat. Cadmi factus gener, socerum in condendis Thebis adjuvit.

14. *Merses profundo, pulchrior evenit :* hic locus, in aliquot codic. aliâ interpunctione notatur *: Merses ; profundo pulchrior evenit.* Sensus idem. —

» Luctere, multâ proruet integrum
» Cum laude victorem, geretque
» Prælia conjugibus loquenda.
» Carthagini jàm non ego nuntios
» Mittam superbos [15]. Occidit, occidit
» Spes omnis, et fortuna nostri
» Nominis, Hasdrubale interempto. »
Nil Claudiæ non efficient manus [16],
Quas et benigno numine Juppiter
Defendit, et curæ sagaces
Expediunt per acuta belli.

Luctere, multâ proruet integrum Cum laude victorem : finge par gladiatorum, quorum alter jàm pœnè victus alterum jàm pœnè victorem et *integris* adhùc viribus pollentem, magnâ cum laude, *proruit*, h. e. prosternit. — *Prælia conjugibus loquenda :* vèl deploranda, ob amissos viros, vèl prædicanda, ob eosdem victores et servatos.

15. *Carthagini jàm non ego nuntios Mittam superbos :* victis ad Cannas Romanis, misit in Africam Hannibal, qui, lauro coronati, urbem ingressi sunt, et plenos annulorum cæsis equitibus Romanis detractorum modios, in mediâ curiâ effuderunt. — *Occidit, occidit :* plena doloris et vividissimi affectûs repetitio. — *Fortuna nostri Nominis, Hasdrubale interempto :* auditâ Hasdrubalis clade, inspectoque fratris capite, vid. suprà, notam 7, Hannibal exclamavit : *Agnosco fortunam Carthaginis.* Liv. XXVII, 51, et Flor. II, 6, 53.

16. *Nil Claudiæ non efficient manus :* hìc poetam orationem repetere, et terminari Hannibalis sermonem, contrà Mitscherlich opinionem, cum Sanadone, Dacierio, et omnibus antiquis interpretibus, facilè crediderim. Quî fieri enim posset ut *benignum Jovem* laudaret Hannibal, à quo se devictum fateretur ? — *Et curæ sagaces :* industria cum virtute, virtus cum sagaci prudentiâ conjuncta. — *Expediunt :* ab omni periculo liberant. — *Per acuta belli :* per bella quæ in asperis montium semitis, in jugis præcipitibus geruntur. In montanis enim expeditionibus, major vulgò prudentiæ et sagacitati, et opportunorum locorum notitiæ, quàm fortitudini militari, campus datur.

ODE QUINTA

AD AUGUSTUM.

Postquàm in secundo hujus libri carmine (v. 41 et 42) *spem de Augusti in urbem reditu præceptam Pindarico spiritu cecinerat, hìc Augustum diutiùs cunctantem, et longiore bellorum morâ in Galliâ Hispaniâque à suis abstractum piè incusat Horatius, et ei honestissimas maturandi reditûs causas prætendit; Romanorum scilicèt amorem et sollicitudines, qui summam quâ nùnc fruuntur tranquillitatem prosperitatemque, totam Imperatori suo acceptam referunt. Ità autèm hoc carmen comparatum est, tàm mollibus numeris decurrit, affectus spirat adeò teneros, ut si per alia carmina Augusti potentiæ Noster aliquandò fortiùs assentatus fuerit, in nullo alio blandiori suaviorique laudationum genere charitatem ejus, Patriæ tàm benè memori debitam, excitare et fovere videatur.*

Divis orte bonis [1], optime Romulæ
Custos gentis, abes jàm nimiùm diù;
Maturum reditum pollicitus Patrum
Sancto concilio, redi!

1 *Divis orte bonis:* Romæ propitiis; per adoptionem Augustus in gentem Juliam adscitus fuerat; porrò Julius Cæsar inter deos à senatu relatus, ipse à Venere per Æneam oriundus. Adoptionis autèm apud Romanos ea vis erat, ut naturam imitaretur. — *Romulæ gentis*: *Romulæ*, pro, Romuleæ; sìc Virg. Æneid. VI, 877, *Romula tellus.* — *Abes jàm nimiùm diù:* à tribus ferè annis Augustus Romam reliquerat. — *Maturum reditum:* promptum, acceleratum. Eodem sensu in Cic. Verr.

Lucem redde tuæ, dux bone, patriæ [2];
Instàr veris enim vultus ubi tuus
Affulsit populo, gratior it dies,
Et soles meliùs nitent.
Ut mater juvenem [3], quem Notus invido
Flatu Carpathii trans maris æquora
Cunctantem spatio longiùs annuo
Dulci distinet à domo,
Votis ominibusque [4] et precibus vocat,
Curvo nec faciem littore dimovet;

VII, de Gavii supplicio : *ea vox*, Civis Romanus sum, *mortem illius acerbiorem et supplicium maturius tulit. — Patrum sancto concilio : sanctissimum* quoque senatum vocat Cic. Catil. I, 9. — *Redi :* en votorum summam, in uno verbo expositam quod de industriâ ad finem strophes rejectum est. In unâ hâc voce totum carminis argumentum continetur.

2. *Lucem redde tuæ, Dux bone, patriæ :* rectè Italiam, Romamque imprimis, *patriæ* nomine salutat. Provinciæ enim, etsi, jure belli, imperio adjunctæ, à barbaris, non à civibus incoli dicebantur, neque Romanis *patria*, sed *patriæ* quasi appendices habebantur et servæ. Nota hanc vocem, *tuæ*, h. e. tibi addictæ, te tenerrimo affectu complectenti, quam igitùr, ut *tuum* bonum, non debes deserere. — *Instàr veris enim :* metaphoram in versu præcedenti è luce depromptam fusiùs explicat. Dilecti enim principis aspectus tristitiæ nebulas fugat, et lætitiæ radiis omnia serenare videtur. — *Et soles meliùs nitent : soles* in plur., poeticè pro *sol*, quatenùs unicuique diei suus *sol* assignatur. Sic Virg. Ecl. IX, 52 : *Cantando puerum memini me condere soles.*

3. *Ut mater juvenem :* Quid hâc comparatione aptius ad exprimendum desiderium quo patria parentem et custodem suum prosequitur? Quid maternâ sollicitudine magis inquietum? Vid. similem ferè comparationem apud Homer. Odyss. XVI, 17. — *Notus :* ventus australis, navigantibus in Italiam à Carpatho (hodiè *Scarpanto*), insulâ inter Creten et Rhodum mediâ, contrarius. Vid. not. 2 in Od. I, 35, 8. — *Maris æquora :* maris planitiem.

4. *Ominibus :* omnia consulens, omnia præsagia avidè arripiens undè celer et faustus filii sui reditus nuntietur. — *Desi-*

Sic, desideriis icta fidelibus,
Quærit patria Cæsarem.
Tutus bos etenìm [5] rura perambulat;
Nutrit rura Ceres, almaque Faustitas;
Pacatum volitant per mare navitæ;
Culpari metuit fides;
Nullis polluitur casta domus stupris [6];
Mos et lex maculosum edomuit nefas;
Laudantur simili prole puerperæ;
Culpam pœna premit comes.

deriis fidelibus : desideriis quæ à constanti ergà Imperatorem fide et amore profluunt. — *Icta :* vehementèr perculsa.

5. *Tutus bos etenìm :* per hanc conjunctionem, *etenìm*, quæ sequuntur cum præced. cohærent. Explicat causas vividissimi illius affectûs quem modò descripsit. — *Rura perambulat : rura*, quæ vox in versu sequenti iteratur, per errorem irrepsisse suspicatus fuerat doctiss. vìr *Lefebvre*, Dacieri socer, cujus in locum substituebat, *prata*. Felicem, meo quidèm sensu, emendationem adoptavit et fortitèr tutatus est Sanado. Boves enim *per rura*, h. e. in agris non ambulant, sed aratro adacti gravitèr laborant; dùm è contrà, jugo soluti liberrimè *per prata* vagantur. *Ille meas errare boves*, Virg. Eclog. I, 9. Adde ejusdem vocis in duobus versibus contiguis parùm commodam iterationem. Textum tamèn mutari noluimus cùm, Sanadone excepto, nulla alia hanc immutationem tueatur auctoritas. — *Almaque Faustitas :* faustus uberrimusque frugum proventus quo homines aluntur. — *Culpari metuit fides :* benè et è consilio, *metuit ;* probitas enim suâpte naturâ, virtus est timoris plena, et quæ vel minimæ labis suspicionem reformidat.

6. *Nullis polluitur casta domus stupris :* paululùm hyperbolicè; sed ad poetæ excusationem sufficit mores reverâ Augusti legibus et curis in meliùs versos fuisse. — *Mos et lex maculosum edomuit nefas :* per *morem* intellige veterem morum domesticorum disciplinam, et restitutam patriæ et maritali potestati dignitatem. *Lex ;* alludit ad legem Juliam *De Adulteriis. Maculosum nefas :* licentiam et adulteriorum frequentiam quæ, ut ait Noster, suprà Od. III, 6, 18, *et genus et domos inquinaverant*, et indelebiles *maculas* nuptiarum sanctitati asperserant. — *Laudantur simili prole puerperæ :* similitudo filios inter et matris maritum legitimæ originis indicium, ideòque maternæ

Quis Parthum paveat [7]? quis gelidum Scythen? 25
Quis, Germania quos horrida parturit
Fœtus, incolumi Cæsare? quis feræ
Bellum curet Hiberiæ?
Condit quisque diem collibus in suis [8],
Et vitem viduas ducit ad arbores; 30
Hinc ad vina redit lætus, et alteris
Te mensis adhibet Deum;
Te multâ prece, te prosequitur mero
Defuso pateris; et Laribus tuum

castitatis argumentum vulgò reputatur. Huic opinioni neque omninò adversari, neque cæcam et absolutam adhibere fidem prudentiæ est. — *Culpam pœna premit comes :* vigilantem Augusti diligentiam laudat, dùm pœnam effingit, ità peccatis vestigia *prementem* ut flagitiorum contagio periculosâ dilatione nunquàm vim et robur assumere queat.

7. *Quis Parthum paveat ?* non satis est bono principi res internas ad legum normam componere, si ab externis periculum ingruat, vel etiam si securitas absit. Longam igitur domesticæ prosperitatis possessionem Romanis asseruerat Augustus, perdomitis ferocibus populis quos sempèr hactenùs reformidandos habuerant.

8. *Condit quisque diem collibus in suis :* horridarum gentium ennumerationi suavissima succedit tranquillæ atque inter innocuos ruris labores actæ vitæ descriptio; *condit dies*, ut sup. not. 2, è Virgilio *condere soles* citavimus, quisquis opus exercet, per quod continuandum *dies* vel *sol conditur*. — *Et vitem viduas ducit ad arbores :* et jungit, maritat vitem arboribus quæ, per aliquem casum, exempl. grat. per prioris stirpis excisionem, dulci illo, quo gaudere videntur, consortio privatæ et quasi *viduæ* erant. — *Hinc :* postquàm opus dimrnum absolvit. — *Ad vina redit :* vespertinam cœnam instituit. — *Alteris mensis :* prima mensa appellabatur à Romanis ea in quâ cibi, altilia ponebantur; secunda, vel *altera*, quæ pomis et bellariis instructa erat. In eâ antèm cœnæ parte, deorum Larium sivè tutelarium imagines floribus coronatæ afferebantur, vinum in eorum honorem fundebatur, cantus resonabant, etc. Augusti igitùr effigiem cæterorum deorum statuis immisceri solitam fuisse innuit Horatius, et sensu physico intelligenda

Miscet numen [9], utì Græcia Castoris
Et magni memor Herculis.
Longas ô utinam, dux bone, ferias
Præstes Hesperiæ [10]! dicimus integro
Sicci manè die, dicimus uvidi,
Cùm sol Oceano subest.

sunt hæc verba : *Te mensis adhibet Deum.*

9. *Miscet numen :* ex iis quæ mòx dicta sunt recollige *numen* hìc legendum esse, non *nomen*, ut aliquot interpretibus placuit. — *Utì Græcia :* exemplo Græcorum qui, in conviviis, Castoris et Herculis *memoriam* retinent et celebrant. Nihil hic subaudiendum ; hæ voces, *Castoris et Herculis*, à voce *memor* reguntur.

10. *Longas, ó utinàm, Dux bone, ferias Præstes Hesperiæ :* ò utinàm, per te diutissimè in terris morantem, longùm Italia pergat *feriari*, id est, otio et tranquillitati indulgere, cannere, potare, tibi, ut deo præsenti, honores largiri. quæ omnia non nisì in diebus festis aut *feriatis* agi solebant. — *Integro :* cujus nulla pars adhùc veluti decisa fuit, et labori negotiisque data ; recenti, novo. Juvenc. — *Sicci :* cùm nondùm vino irrigati sumus, cui opponitur *uvidi*, h. e. vino madidi. *Uvidus* autèm non ab *uvâ*, ut facilè credi posset, derivatur, sed à verbo græco, ὕω, *pluo. Uvidus hibernâ venit de glande Menalcas ;* Virg. Eclog. X, 20. Quod ad *uvas* in eo loco certè referri non potest. — *Dicimus, dicimus* : repetitionis istius vim quid indicare prodesset?

ODE SEXTA

AD APOLLINEM.

Cùm, jubente Augusto, Carmen Sæculare Horatius scribere meditaretur (vid. post Epod. librum Argumentum in Carmen Sæculare), hoc hymno præmisso Apollinis favorem sibi tentat conciliare. Laudes Dei canit qui Musarum choro præsidet, easque præcipuè depromit è faciliori quam de Niobe ejusque numerosâ prole retulit victoriâ, et multò potiùs de metuendâ quam in Achillem exercuit ultione. Hinc in Pelidæ ferociam delabitur, ut hanc ex Apollinis potestate conclusionem cruat, Romam scilicèt omnia debere Apollini, cujus sine numine et tutelâ, omnes Trojani, nullo ætatis sexúsve discrimine, excisi fuissent, deletaque prorsùs Romani imperii incunabula. Post hanc digressionem quæ in nimis longâ quatuor et viginti versuum parenthesi includitur, ad se redit poeta, et ut in tertiâ hujusce libri Melpomenæ, sic in hâc ode Apollini, quiquid poetico ingenio famæ consecutus est, acceptum refert. Mox ipsi Carmini Sæculari præludit, pueros puellasque edocendo, quo ritu, quibus modis carmen illud mòx in solemnibus Palatinis celebrandum exsequi debeant.

Ex iis quæ præcedunt, liquet quantùm erraverit Sanado, qui, solis conjecturis fidens, non solùm hoc carmen, sed vigesimam et primam libri primi, sed etiàm primam tertii libri primæ odes strophen, quamvis alcaïco metro procedentem (Odi profanum vulgus, et arceo), *Carmini Sæculari ità immiscuerit, ut ex iis variis partibus unum carmen, contrà omnium codicum et mss. fidem, composuerit, verumque, ut aiunt, ediderit centonem.*

Dive [1], quem proles Niobea magnæ

1. *Dive :* sex et viginti versus transiliendi ut verbum re-

Vindicem linguæ, Tityosque raptor
Sensit, et Trojæ propè victor altæ
Phthius Achilles,
Cæteris major, tibi miles impar [2];
Filius quamvis Thetidis marinæ
Dardanas turres quateret tremendâ
Cuspide pugnax.
Ille, mordaci velut icta ferro
Pinus, aut impulsa cupressus Euro,
Procidit latè [3], posuitque collum in
Pulvere Teucro.

periatur, ad quod vocativus iste referri queat; *Dauniæ defende decus Camenæ*, quæ dilatio reprehensione certè digna est. (Vid. suprà *Argumentum.*) — *Quem proles Niobea :* Niobe, Tantali filia, cùm duodecim, aut plures etiàm, haberet liberos, contempsit Latonam, quæ duorum duntaxat parens foret. Apollo et Diana illatam matri suæ injuriam ità vindicâruut, ut hæc filias Niobes, Apollo filios interfecerit. JUVENC. — *Magnæ vindicem linguæ :* superbæ nimis jactantiæ. Vid. not. præced. Sic de eâdem Niobe Ovid. Metam. VI, 150 : *Nec tamen admonita est..... Cedere Cœlitibus*, verbisque minoribus *uti.* — *Tityos :* græci nominativi exitu. De Tityo vid. suprà Od. II, 14, 9 et notam 3, in fine. — *Trojæ propè victor altæ :* Hectore interfecto, qui unus tutissimum Trojæ propugnaculum habebatur. — *Phthius Achilles :* è Phthiâ, Thessaliæ urbe, oriundus, cui infestissimus erat Apollo, quòd ab eo verbis contumeliosis lacessitus fuerat. Vid. Hom. Iliad. XX, 15, ubi deorum perniciosissimus, ὀλοώτατος, appellatur.

2. *Cæteris major, tibi miles impar :* Apollinem cò magnificentiùs laudat, quò altiùs virtutem Achillis ab eo solo victi extollit. — *Filius quamvis Thetidis :* duplicem tùm è divinâ Achillis origine, tùm è propriâ virtute laudem eruit, undè major Apollini victori gloria accedit. — *Tremendâ cuspide :* vid. Achilleæ lauceæ descriptionem apud Homer. Iliad. XIX, 388.

3. *Procidit latè :* Κεῖσο μέγας μεγαλωστί. Homer. Od. XXIV, 40. Achilles Polyxenæ amore captus, in Apollinis templum se contulit, de nuptiarum, ut existimabat, conditionibus acturus. Ibi à Paride, qui pòst Apollinis simulacrum latebat, sagittâ ictus est in plantâ pedis, quâ solâ corporis parte poterat vulnerari,

Ille, non inclusus equo [4] Minervæ
Sacra mentito, malè feriatos
Troas, et lætam Priami choreis
Falleret aulam;
Sed palàm [5] captis gravis, heu nefas! heu!
Nescios fari pueros Achivis
Ureret flammis, etiàm latentes
Matris in alvo;
Ni, tuis victus Venerisque gratæ
Vocibus [6], Divûm pater annuisset
Rebus Æneæ potiore ductos
Alite muros.
Doctor argutæ fidicen Thaliæ [7],
Phœbe, qui Xantho lavis amne crines,

quòd ea Stygiis aquis tincta non fuisset, cùm in iis reliquum infantis corpus mater, pedem ipsum tenens, ablueret. Sepultus est in Sigeo, Trojæ promontorio, ubi Polyxenam ejus Manibus Pyrrhus immolavit. JUVENC.

4. *Ille, non inclusus equo :* de notissimo illo equo ligneo consule Virg. Æneid. II, 248 et seqq. — *Malè feriatos :* qui imprudentèr dies festos ob Græcorum discessum celebrârunt. — *Falleret — Ureret :* pro, fefellisset, ussisset, ut suprà, Od. III, 14, 27 : *Non ego hoc ferrem.*

5. *Sed palàm :* publicè, aperto marte, per oppositionem iis quæ præceduut : *inclusus equo.* — *Captis gravis :* in Trojæ vi captæ incolas atrocitèr sæviens. — *Nescios fari pueros :* ut passim apud Homer. νήπια τέκνα. — *Etiam latentes Matris in alvo :* ejusmodi minas jacit Agamemnon, Iliad. VI, 57. Quàm igitùr gratos se et memores ergà Apollinem exhibere debent Romani, qui, tàm metuendum Trojanis hostem interficiendo, alterius Trojæ, Romæ scilicèt, conditor habendus est.

6. *Vocibus :* precibus. — *Rebus Æneæ :* ipsi Æneæ, qui *res*, h. e. fortunam Trojæ secum advexit in Italiam. — *Potiore ductos Alite muros :* urbem melioribus auspiciis et in æternum conditam. Sic suprà, Od. I, 15, 5 : *Malâ ducis avi domum.*

7. *Doctor argutæ fidicen Thaliæ :* tu, à quo Thalia, pro quâlibet aliâ Musâ, argutos, h. e. plenos et potentes è lyrâ sonos elicere didicit. — *Qui Xantho lavis amne crines :* duo erant ejusdem nomiuis amnes, alter

Dauniæ defende decus Camenæ,
Lævis Agyieu.
Spiritum Phœbus mihi, Phœbus artem
Carminis, nomenque dedit poëtæ [8].
Virginum primæ, puerique claris
Patribus orti,
Deliæ tutela Deæ [9], fugaces
Lyncas et cervos cohibentis arcu,

in Troade, alter verò in Lyciâ : uterque Phœbo carus et consecratus. Suprà, Od. III, 4, 61 : *Qui rore puro Castaliæ lavit Crines solutos ;* vid. not. in h. locum. *Dauniæ defende decus Camenæ : Dauniæ*, h. e. Latiæ, *Romanæ*, pars pro toto, ut passim. Sensus est : fac ut ego in Carmine Sæculari canendo lyrici poetæ gloriam et honorem inter Romanos tuear. — *Levis :* imberbis, perpetuæ juventutis signum et honores gerens. — *Agyieu :* à voce græcâ Ἀγυιεύς, quasi viis publicis præsidens. Hinc Apollini statuæ antè domorum fores et in compitis vulgò positæ.

8. *Spiritum Phœbus mihi, Phœbus artem Carminis, nomenque dedit poëtæ :* precem in strophe præcedenti emissam, quasi illicò exauditam sentiret vates, in subitos impetus erumpit, et incohando Carmini Seculari præludere videtur. Nota repetitionem, *Phœbus, Phœbus ;* nota quoque tres illas voces, *spiritum, artem, nomen*, per quas Phœbo gratias agit quòd primùm vim naturalem et ingenitam, deindè studium et exercitationem, sine quibus nemo est poeta, famam denique, dulcissimam poeticorum laborùm mercedem, obtinuerit. *Ego nec studium sine divite venâ, Nec rude quid prosit video ingenium :* Ars poet. 408. — *Virginum primæ, puerique claris Patribus orti :* jàm orationem convertit ad pueros illos et puellas nobiles quæ, de more, gemino septem et viginti ex unâ quâque parte canentium choro Carmen Sæculare debebant exsequi ; chorodidæscali partes suscipit, edocet quantâ religione, quàm severâ legum musicarum observantiâ Apollo et Diana ab iis celebrandi sint.

9. *Deliæ tutela Deæ : tutela* duplici sensu, nùnc passivo, nùnc activo accipitur. *Rerum tutela mearum ;* Epist. I, 1, 103 ; in eo loco, activè. Hic passivè eadem vox intelligenda ; vos, quæ estis sub tutelâ Dianæ. *Dianæ sumus in fide Puellæ et pueri integri ;* Catull. XXXI, in initio. — *Cohibentis :* telo figentis inevitabili, ità ut lethali ictu perculsi, rapidissimum cursum sistant,

Lesbium servate pedem, meique
Pollicis ictum,
Ritè [10] Latonæ puerum canentes,
Ritè crescentem face Noctilucam,
Prosperam frugum, celeremque pronos
Volvere menses.
Nupta jàm dices [11] : « Ego Dîs amicum,
» Sæculo festas referente luces,
» Reddidi carmen, docilis modorum
» Vatis Horatî. »

statim morituri. — *Lesbium servate pedem :* ad carminis sapphici numeros benè exprimendos attendite. Carmen enim Sæculare numeris sapphicis constat. — *Meique Pollicis ictum :* et ad modos quos ego, lyram meam pulsans pollice, cantibus vestris sociabo. Agite igitùr ut voces vestræ cùm lyrâ meâ benè sint concordes.

10. *Ritè :* religiosè. E consilio eadem vox in versu sequenti repetitur. — *Noctilucam* : cognomen Lunæ; ratio patet. — *Crescentem face :* quæ, postquàm per aliquot noctes lucere desiit, lucem crescendo reparat. *Nec nova crescendo reparabat cornua Phœbe;* Ovid. Metam. I, 11. — *Prosperam frugum :* quòd nocturno frigore nocturnisque roribus fruges non minùs quàm solis calore juventur. — *Celeremque pronos volvere menses :* ut suprà, Od. I, 16, 18; *Et celerem sequi Ajacem;* et III, 12, 12 : *Celer excipere aprum.* Porrò *celer* luna, *et proni menses* dicuntur, quià, dùm sol semèl, luna duodeciès cursum suum peragit, et in anno duodecim menses sunt.

11. *Nupta jàm dices :* quondàm erit ut unaquæque è vobis, uxor materque facta, cum gratâ recordatione diem illum solemnem et augustum animo revolvat, quo carmina mea magno cum plausu cecinerit. Sic chorum incitat Horatius ad munere suo rectè et attentè fungendum, quæ res ad ipsius poetæ gloriam maximè spectabat, cùm de versibus, prout benè aut malè redditi sunt, diversum et contrarium prorsùs judicium pronuntietur.

ODE SEPTIMA

AD TORQUATUM.

Magnam intèr hoc carmen et quartam libri primi oden similitudinem animadverterunt plerique interpretes. In utroque enìm carmine poeta amicos suos, dùm veris reditum illorum oculis subjicit, ad vitæ brevitatem et necessitatem moriendi jubet attendere, et hìnc sapientèr, dùm licet, genio indulgere. Per Torquatum, *haud dubiè intelligendus est idem ad quem infrà Epistola quinta libri primi scripta est, nempè L. Manlius Torquatus, consulis, sub quo natus est Horatius, nepos.*

Diffugere nives [1], redeunt jàm gramina campis,
Arboribusque comæ.
Mutat terra vices, et decrescentia ripas
Flumina prætereunt,

1. *Diffugére nives :* non veris igitùr initium, sed ver jàm adultum indicatur, quod ad intelligentiam sequentium notandum est. Incipiente enìm vere, nives tantummodò solvi incipiunt, quarum solutione flumina subitò augentur et alveum solitum superant, nedùm *decrescentia*, *præter ripas eant*, h. e. intrà ripas à naturâ concessas labantur. Cùm autèm *nives* omninò *diffugére*, tùnc *gramina campis*, tùnc *arboribus comæ redeunt*, tùnc dilapsis quibus amnes intumuerant nivalibus undis, hi justo et placido cursu fluunt. In hoc ergò *prætereunt*, per tmesim separanda est à verbo *eunt* præpositio *præter*. Quòd si de legitimo hujus loci sensu à nonnullis interpretibus violentèr contorti, et sine ullâ auctoritate in contrarium immutati ambigi adhùc posset, liceat saltèm Horatio semetipsum interpretari, qui infrà, duodecimam hujusce libri oden per descriptionem redeuntis veris incipiens, primam strophen sic

Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet
Ducere nuda choros.
Immortalia ne speres monet annus [2], et almum
Quæ rapit hora diem.
Frigora mitescunt Zephyris [3]; ver proterit æstas
Interitura, simùl
Pomifer autumnus fruges effuderit, et mòx
Bruma recurrit iners.
Damna tamèn celeres reparant cœlestia lunæ [4];

concludit : *Nec fluvii strepunt Hybernâ nive turgidi.* — *Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet Ducere nuda chorus :* eamdem imaginem iisdem ferè verbis jàm bis Noster expressit. Vid. suprà, Od. I, 4, 6, et III, 19, 17. Vide quoque notas ad hos locos.

2. *Immortalia ne speres monet annus :* sivè quòd per rapidissimam tempestatum vicissitudinem de brevitate vitæ et de mortis appropinquatione sæpiùs admoneamur, quàm si annus æquali tenore sibique semper similis flueret; sivè potiùs, quòd continuarum illarum vicissitudinum contemplatione ad id adducamur, ut perpetuam juventutis viriumque nostrarum, sine ullâ reditùs spe, imminutionem æterno Naturæ vigori vel inviti opponouere cogamur, quæ damna sua indesinenter reparat. — — *Et almum Quæ rapit hora diem :* nàm ut annus in quatuor tempestates distributus, sic et eàdam ratione unaquæque dies in quatuor et viginti horas divisa, nos de *rapido* (undè rectissimè, *rapit*), temporis fluxu admonet; quod quidèm, quicumque ad propositam antè oculos horologii cuspidem aliquid serii agunt, facillimè intelligent.

3. *Frigora mitescunt Zephyris :* in quatuor versibus quatuor anni tempestates exquisitâ brevitate et exquisitiori poeticarum locutionum varietate complectitur vates. — *Ver proterit æstas :* delicati enim vernæ tempestatis honores, rosæ violæ, liliaca (gallicè, *les lilas*), narcissi juncifolii (*les jonquilles*), rabidis æstatis caloribus quasi prostrati pereunt.

4. *Damna tamèn celeres reparant cœlestia lunæ :* non diffitemur hunc locum, judice Dacierio, difficillimum, à veteribus interpretibus, eodem teste, ob ipsam difficultatem omissum et silentio præteritum, diversam ab eâ quam adoptandam censuimus, à ferè universis recentioribus annotatoribus interpretationem accepisse. *Damna cœlestia* intelligunt alterum ætatis cujusque annuæ cui alia ætas succedit interitum, ità ut tamèn

Nos ubi decidimus [5]
Quò pius Æneas, quò Tullus dives et Ancus, [15]
Pulvis et umbra sumus.

inquiunt, interitus ille non sit æternus, sed per *lunas*, h. e. per menses sibi invicèm succedentes reparetur. Sic interpretati sunt Dacierius, Sanado, Mitscherlich, Dœring, Batteux, Ren. Binet, contrà quorum opinionem insurgere, sine gravissimi momenti rationibus, nos non decebat.

Per *damna cœlestia*, multò simpliciore sensu nihil aliud intelligimus quàm menstrua ipsius lunæ decremenla, quæ, *damna*, à multis poetis Horatio posterioribus appellata sunt, quæque post paucos dies, lunâ in suum orbem redeunte, citò reparantur. Undè Manilius, Astron. II, 95 : Et *cùm* damna *tuas imitantur, Delia, vires.* Et Sidon. Apollin. XV, 41 : *Quid menstrua lunæ Incrementa parent, totidèm cùr* damna *sequantur.*

Jàm verò dicant doctissimi à quibus dissentimus interpretes, quid *damni* è tempestatum vicibus *cœlum* pati videatur, præsertim cum ver hyemem excipit, cùm auctumnus æstivos calores sedat; dicant, etiàmsi illæ mutationes temporum reverà *damni*, non è contrà maximi *commodi* loco habendæ essent, quid imperii lunæ celeres, h. e. menses in eas exercerent, cùm tribus mensibus unaquæque tempestas constet, et sub trium lunarum influxu decurrat.

Gratulari nobis liceat quòd nostra interpretatio unicà quidèm, sed magnâ clariss. viri Vanderbourg auctoritate sese tueatur, qui versum Horatianum sic in nostram linguam transtulit. *Mais le flambeau des nuits, dans sa course rapide, Sait rallumer les feux qu'il a perdus.*

5. *Nos ubi decidimus :* junge hoc verbum, *decidimus*, cum conjunctione quæ sequitur, *quò;* nos ubi in eam sedem advenimus, quam attigerunt, etc. — *Quò pius Æneas, quò Tullus dives et Ancus :* nomina quædam apud Romanos celebrata percurrit ut ostendat nullum omninò hominem sivè pietate, sivè regali dignitate, seu denique divitiis præstantem, à moriendi conditione immunem esse; quod eodem ferè modo demonstraverat suprà, Od. I, 28, 7, cùm Archytas in hanc rem laudat Tantalum, Tithonum, Minoa et Pythagoram. Tullus *dives* dicitur, quia Albanorum opes Romam transtulerat, habitâ, ut decet, temporum ratione. Quanquàm sunt qui hoc epitheton, *dives*, ad utrumque regem referant, testante Livio, I, 31 : *In magnâ gloriâ magnisque opibus regnum Tulli ac totam rem Romanam fuisse*, et paulò post, 33 : *Non urbem tantùm rege Anco crevisse, sed etiàm agrum finesque.* — *Pul-*

Quis scit an adjiciant hodiernæ crastina summæ [6]
Tempora Dî superi?
Cuncta manus avidas fugient hæredis, amico
Quæ dederis animo.
Quum semèl occideris, et de te splendida Minos
Fecerit arbitria [7],
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Restituet pietas.
Infernis neque enim tenebris Diana pudicum

vis et umbra sumus : corpus in *pulverem* redigitur; quod superest, anima scilicèt, *cavæ sub imagine formæ, tenuis sine corpore vita*, Virg. Æneid. VI, 292 et 293; vera denique *umbra*, inferos adit, sed eheu! nunquàm ad superas auras reditura. Confer cum Horatio Delillium nostrum, qui in poemate cui titulus *La Pitié*, lib. III, in fine, dùm virginum Virodunensium indignè mactatarum Manes lacrimis et immortali carmine decorat, hunc locum felicissimè imitatus est. *Le temps, qui rajeunit et vieillit la nature, Ramène les zéphirs, les fleurs et la verdure ; Mais les ans dans leur cours ne raméneront pas Une vertu si pure, unie à tant d'appas*, etc.

6. *Hodiernæ summæ :* dierum hodiè expletorum numero. — *Cuncta manus avidas fugient hæredis :* nullum majus incitamentum ad fugiendam avaritiam et ad vitam honestè et hilaritèr transigendam, quàm illa cogitatio : *exstructis in altum Divitiis potietur hæres*, suprà Od. II, 3, 20; cùm præsertìm tibi non filii, sed cognati, et, à fortiori, hæredes ascititii successuri sunt. — *Amico quæ dederis animo :* quæ genio tuo, h. e. voluptati indulseris. Malè interpretantur qui munificentiam ergà amicos, pauperes, etc. hìc ab Horatio suaderi existimant. Hæ voces, *amico animo*, in dativo, non in ablativo casu ponendæ sunt. Nota in hoc verbo, *dederis*, ut in versùs sequentis *occideris*, ultimam syllabam naturâ snâ brevem, per cæsuræ licentiam produci.

7. *De te splendida Minos fecerit arbitria :* solemne de te judicium pronuntiaverit.—*Torquate :* qui fuerit Manlius ille Torquatus in *Argumento* dictum est. Observa quàm gravitèr in hâc negativâ, *non*, tèr in eodem versu repetitâ vates insistat. — — *Diana pudicum Liberat Hippolytum :* Thesei, et Hippolytæ Amazonis filium, qui à Phædrâ novercâ delatus apud patrem est, tanquàm de stupro ipsam appellasset. Theseus filio malè precatus, rogavit Neptunum ut pœnas

Liberat Hippolytum,
Nec Lethæa valet Theseus abrumpere caro
Vincula Pirithoo.

ab eo repeteret. Neptunus eduxit è mari phocas, cùmque Hippolytus iram creduli parentis effugere, conscenso curru, tentaret, ab equis phocarum conspectu exterritis, abreptus est in scopulos et littoreas cautes, ibique discerptus. Dianæ, ob pudicitiam et venationis studium, dilectus erat. Noster antiquiorem fabulæ faciem repræsentat. Rem alitèr narrat Ovidius Metam. XV, 532 et seqq. Hippolytus ipse asserit se ab Æsculapio, Apollinis filio, ad vitam reductum fuisse, à Dianâ deindè ab inferis retractum, et nùnc, immortalitate donatum, cum nymphâ nemoris Aricini, sub nomine Virbii divinos honores partiri. — *Lethæa vincula :* catenas quibus Pirithoüs in Tartaro ubi fluvius *Lethe*, in æternum alligatur. De iis vide suprà, Od. III, 4, 80, et notam in h. l.

ODE OCTAVA

AD CENSORINUM.

C. Marcius Censorinus, L. M. Censorini filius, anno U. C. 746 cum C. Asinio Gallo consul fuit, quem virum demerendis hominibus genitum *vocat Vell. Paterc. II,* 102. *Qui, cùm Horatium in amicitiam recepisset, eum pretiosis, ut verisimile est, muneribus donaverat. Impar referendis ejusdem generis muneribus vates, carmen, grati sui animi testimonium, mittit; et, ne fortè liberalitate inferior appareat, doni sui pretium magnificè extollit, et poeseos laudes canit, ità ut (quòd revera evenit), multò magis carminis vi et potentiâ quàm rerum à se pulchrè gestarum gloriâ, immortalitati Censorinus consecratus fuerit.*

Donarem pateras, grataque commodus,
Censorine, meis æra sodalibus;
Donarem tripodas [1], præmia fortium
Grajorum; neque tu pessima munerum

1. *Pateras, æra, tripodas:* vasa plerumque ex ære, et miro artificio confecta, quæ tùnc temporis in magno pretio apud Romanos jampridèm habebantur, ut judicare licet ex orationibus in Verrem, et ex litteris ipsius Ciceronis ad Atticum. — *Commodus:* junge cum verbo, *donarem; donarem commodus*, id est liberalitèr, absque ullo rei donatæ desiderio. — *Præmia fortium Graïorum:* hujusce modi instrumenta et vasa apud veteres, et præsertìm apud Græcos, in athleticæ virtutis mercedem proposita fuisse constat tùm ex Homero, Iliad. XIX, 264, tùm è Virgilio, Æneid. V, 110: *In medio sacri tripodes, viridesque coronæ, Et palmæ, pretium victoribus.*

Ferres [2], divite me scilicèt artium
Quas aut Parrhasius protulit, aut Scopas,
Hic saxo, liquidis ille coloribus
Solers nunc hominem ponere, nunc Deum.
Sed non hæc mihi vis [3]; nec tibi talium
Res est, aut animus deliciarum egens.
Gaudes carminibus; carmina possumus
Donare, et pretium dicere muneri.
Non incisa notis marmora publicis [4],
Per quæ spiritus et vita redit bonis
Post mortem ducibus; non celeres fugæ,

2. *Neque tu pessima munerum Ferres:* per litoten; optima tibi munera seligerem. — *Divite me scilic. artium:* si magnam copiam istorum operum possiderem, ad artes illas pertinentium in quibus excelluerunt Parrhasius aut Scopas. — *Hic saxo:* Scopas scilicet, insignis statuarius, Ephesi floruit, anno antè Christum 430°. — *Ille:* Parrhasius, pictor egregius, natus quoque Ephesi, artem suam Athenis exercuit anno A. C. 400°.—*Ponere:* vox, ut aiunt, technica, cùm de picturâ aut sculpturâ agitur, a Græcis translata (ἱστάναι, τίθεναι): *Si Venerem Coïs nunquàm posuisset Apelles,* Ovid. Art. Am. III, 401; et infrà Art. poet. 34: *Infelix operis summâ, quia ponere totum Nesciet.*

3. *Sed non hæc mihi vis:* non mihi ad talem munificentiam sàt magnæ opes suppetunt. — *Nec tibi talium Res est, aut animus deliciarum egens: res* tua, h. e. fortuna tua non eget istis rebus quas abundantèr possides; *animus,* cùm nihil ultrà id quod habes appetas. — *Pretium dicere muneri:* et ipso carmine quo te remuneror indicare quale sit doni istius pretium, qualis dignitas.

4. *Non incisa notis marmora publicis:* non statuarum Africano erectarum marmoreæ bases, titulis et inscriptionibus publicâ auctoritate incisis decoratæ, *clariùs indicant* ejus *laudes* (vid. infrà, versus 19 et 20) *quàm* etc. — *Per quæ spiritus et vita:* nàm heroes in suis imaginibus reviviscere et adhùc spirare videntur. Eamdem sententiam retractatam reperias infrà, Epist. II, 1, 248: *Nec magis expressi vultus per ahenea signa, Quàm per vatis opus, mores animique virorum Clarorum apparent.* — *Non celeres fugæ:* neque ipsa facta Scipionis, quanquàm per se egregia, ut trajectus ille in Africam per quem Hannibalem compulit ut, *celeritèr,* desertà

Rejectæque retrorsùm Hannibalis minæ;
Non incendia Carthaginis impiæ,
Ejus, qui domitâ nomen ab Africâ
Lucratus rediit, clariùs indicant

Italiâ, ad auxilium patriæ ferendum evolaret. — *Rejectæque retrorsùm Hannibalis minæ:* pòst *celerem* nempè ejus ex Italiâ fugam, minæ quas de Romæ excidio jecerat, retrorsùm in Carthaginem rejectæ sunt. — *Non incendia Carthaginis impiæ* : versum illum qui in omnibus antiquis codicibus legitur, quanquàm à Bentleio rejectum, ab aliis interpretibus uncis inclusum vèl asterisco notatum ut spurium et Horatio indignum, retinuimus. Supponunt illi quidem Horatium gravitèr errasse, personasque et tempora confudisse, dùm debitam secundo Africano qui Carthaginem incendit et delevit laudem, priori Africano tribuit; et tàm inauditæ ignorantiæ labem à Nostro removere cupientes, versum aut eliminaverunt, aut in melius mutare conati sunt, substitutâ hâc voce, *impendia*, vel *stipendia*, loco hujusce *incendia*, quòd major Scipio reverâ Carthaginem Romæ stipendiariam fecisset, aut certè illi maxima damna attulisset. Non animadverterunt doctissimi interpretes, nihil esse facilius quàm servare versum, qualis stat in omnibus mss., eumque, salvo Horatii honore, ad sensum legitimum adducere.

1° *Incendia*, in plurali num. malè pro incendio et ruinâ Carthaginis interpretantur. Nunquàm ea vox pro unius rei excidio, pro unius civitatis subversione usurpata est. Passìm eam in Virgilio reperias, conflagrantes simùl plures domos, naves, etc. sempèr exprimentem, nusquàm Trojæ fatalem exitum. *Victorque Sinon incendia miscet; dant clara incendia lucem; propiusque æstus incendia volvunt.*

2° Infelicitèr *stipendia*, multò infeliciùs *impendia*, voci *incendia* substituuntur. Nàm *stipendia Carthaginis*, pro *vectigalia Carthagini imposita* vix latina, nedùm poetica lingua admitteret; et altera vox, *impendia*, semèl eo sensu, sed à Statio adhibita est, cujus auctoritas non adeò firma est ut fidem integram dubitanti faciat. Locus est in Sylv. III, 3, 88 : *Sparsæque per omnes Divitiæ populos, magnique* impendia *mundi;* ubi aliam interpretationem facilè ea vox, *impendia*, accipere posset.

3° Quid igitùr, per *Carthaginis incendia* intelligendum, cùm ipsa Carthago à majore Africano non incensa fuerit? Intellige magnas illas opum Carthaginiensium per ignem subversiones; intellige bina tùm Syphacis, tùm Hasdrubalis castra, quorum conflagrationem

Laudes, quàm Calabræ Pierides [5]; neque,
Si chartæ sileant quod benè feceris,
Mercedem tuleris. Quid foret Iliæ
Mavortisque puer, si taciturnitas
Obstaret meritis invida Romuli?
Ereptum Stygiis [6] fluctibus Æacum
Virtus, et favor, et lingua potentium
Vatum, divitibus consecrat insulis.

tàm graphicè descripsit Livius, XXX, 5 et 6; intellige etiàm crematas à Scipione quingentas Pœnorum naves, et afflictam in perpetuum illo incendio rem hujus populi maritimam: qui eventus non minùs Scipionis imaginibus subscribi debuerunt, quàm *Hannibalis fuga* et *rejectæ retrorsùm* istius *minæ*.

5. *Calabræ Pierides:* versus Ennio à Musis Calabriam incolentibus afflati. Ennius, poeta latinus antiquissimus, patriam habuit Rudias, quod oppidum est Calabriæ, in Italiâ. Scripsit res gestas Scipionis Africani majoris, cujus æqualis fuit, in octodecim Annalium, quos ab urbe conditâ deduxerat, libris, qui omnes, si paucula fragmenta excipias, perierunt. JUVENC. — *Si chartæ sileant*, si à poetis non celebretur. — *Quid foret Iliæ Mavortisque puer:* Romulus, quamvìs è deo originem ducens. — *Si taciturnitas Obstaret meritis invida Romuli:* si injuriosum poetarum silentium obstaret, quominùs res à Romulo præclarè gestæ in omnium ore versarentur. Historia enìm in paucorum manibus; carminibus verò, ut Achillis Ulyssisque apud Græcos, Æneæ et Augusti apud Romanos, sìc apùd recentiores Gothofredi, Rollandi, Henrici Quarti fama multò latiùs quàm historicorum ope pervagata est.

6. *Ereptum Stygiis fluctibus Æacum:* Æacus, in insulâ Eginâ (hodiè *Engia*) rex, tantâ severitate justitiam in suos exercuit, ut post mortem dignum eum poetæ finxerint, qui non, ut ceteræ umbræ, Stygiis fluctibus cohiberetur, cum turbâ confusus, sed mortuis judicandis cum Minoe et Rhadamantho præficeretur. Egina sita est in eâ parte maris Ægei quæ sinus Saronicus dicitur (hodiè *golfe d'Engia*), quæque Argolida alluit. — *Virtus:* ingenii præstantia. Viles enìm poetæ nullam heroibus suis laudem pariunt; undè meritò addit: *vatum potentium*, h. e. excellentium. — *Favor:* studium, amor, admiratio, affectus quidam ergà virum inter multos alios selectum, quem cantibus suis immortalitati poeta consecret. — *Divitibus insulis:* intellige *locos lætos et amœna vi-*

Dignum laude virum Musa vetat mori,
Cœlo Musa beat. Sic Jovis interest 7
Optatis epulis impiger Hercules;
Clarum Tyndaridæ sidus ab infimis
Quassas eripiunt æquoribus rates;
Ornatus viridi tempora pampino
Liber, vota bonos ducit ad exitus.

reta Fortunatorum nemorum, sedesque beatas, quæ sub terrâ à Virgilio, Æneid. VI, 638, in quibusdam insulis priorum ætatum imaginem referentibus ab Homero, Odyss. δ, 563, et ab Hesiodo Ἔργ. 170, constituuntur. Hìc Homeri et Hesiodi sententiam Horatius sequitur. Neque indè colligas eam Nostro mentem fuisse, ut Æaci apotheosim velutì merum poetarum commentum irrideret. Universum sui carminis argumentum illustri exemplo confirmat, scilicèt non per poetas suam Æaci justitiæ mercedem tributam fuisse; sed ejus nomen et merita cum præmio iis concesso per eos solos innotuisse. Quod è versu liquet: *Dignum laude virum Musa vetat mori;* qui quidèm ad explicationem versuum sequentium accommodandus est. — *Cœlo Musa beat:* non in cœlo collocat, sed, quod hominum respectu idem valet, cœlo collocatum declarat, et sìc beatiorem, vota, preces, sacrificia in ejus honorem provocando, efficit.

7. *Sìc Jovis interest:* eodem sensu, de Hercule, de Castore et Polluce, de Baccho ad divinos honores evectis interpretandum est. — *Liber vota bonos ducit ad exitus:* votis mortalium respondere et felici cumulare exitu, Numinis est. Observa quàm variâ periphrasi eamdem sententiam exprimat, heroas nempè illos quos nominavit divinitatis honore auctos fuisse.

ODE NONA

AD LOLLIUM.

Postquàm sua carmina poëscosque vim et dignitatem, ut in ode præcedenti, commendavit Horatius, ad laudes Lollii delabitur, ipsique immortalitatem per versus suos asserendam pollicetur.

Ne fortè credas interitura [1], quæ
Longè sonantem natus ad Aufidum,
Non antè vulgatas per artes
Verba loquor socianda chordis.
Non, si priores Mæonius [2] tenet
Sedes Homerus, Pindaricæ latent,
Ceæque, et Alcæi minaces,
Stesichorique graves Camœnæ;

1. *Nè fortè credas interitura :* crede mihi, nunquàm interibunt, etc. quod jàm suprà Od. III, 30, 1, non minori fiduciâ affirmavit. — *Longè sonantem natus ad Aufidum :* de Aufido, qui Apuliam Horatii patriam alluit, Vid. suprà Od. III, 30, 10. Natalis terræ, honestè non semel Noster meminit.—*Non antè vulgatas per artes :* per artem lyricam antè me Romanis incognitam. Vide quæ locos jàm citatos in eodem carmine sequuntur : *Princeps Æolium carmen*, etc.

2. *Mæonius :* vid. notam in Od. I, 6, 2.—*Latent Camœnæ :* ut in Od. præcedenti, *Calabræ Pierides*, pro, *Ennio.* — *Cæque :* Simonides; suprà II, 1, 38. Consule notam. — *Alcæi minaces :* respicit ad illa carmina de quibus jàm II, 13, 27, adversùs patriæ suæ tyrannos minarum et indignationis plena. — *Sthesichorique graves,* magna enim, teste Quintiliano I, 10, hujus poetæ carminibus gravitas et magnificentia

Nec, si quid olim lusit Anacreon [3],
Delevit ætas; spirat adhùc amor,
Vivuntque commissi calores
Æoliæ fidibus puellæ.
Non sola comptos arsit adulteri
Crines [4], et aurum vestibus illitum
Mirata, regalesque cultus
Et comites, Helene Lacæna;

inerat, quorum fragmenta tantùm exstant. Stesichorus patriam habuit Himeram, Siciliæ civitatem; anno 556 antè Chr. floruit.

3. *Si quid olim lusit Anacreon :* celeberrimus inter Græcos lyricos, quem *ludere* dicit Noster, et id quidèm exquisitissimè, cùm non dignitate, ut præcedentium, sed amatoriâ levitate et hilaritate bacchicâ ejus carmina commendentur. Ejus patria, Teos, maritima Iouiæ civitas, quam tamen inter insulas annumerat Plinius, VI, 31. — *Spirat adhùc amor :* quod de universis Sapphûs carminibus, vivente Horatio, verum erat, nostris etiàm temporibus, saltèm ex parte, inconcussum manet. Quamvis enìm maxima pars Æoliæ puellæ carminum, ætatis injuriâ, exciderint, supersunt tamen plura, undè fama infelicium ejus amorum vigeat; vivunt ignes illi quos *fidibus suis commisisse* videtur, quasi hanc curam lyræ suæ credidisset ut sibi superstes, per sonos illos seculorum victores, quique auribus nostris etiamnùm obstrepunt, suam Phaonisque à se incassùm adamati memoriam, posteris commendaret. Vide plura de Sappho, suprà, Od. II, 13, 24.

4. *Non sola comptos arsit adulteri Crines :* de Paride, propter pulchram cæsariem superbiente, vid. suprà Od. I, 15, et notas. De ejus apparatu magnifico, per quem Helenes oculos præcipuè perstrinxit, lege Ovid. Heroid. XIII, 57-70. Dubitatur inter annotatores, utrùm verbum illud *arsit* sensu absoluto accipiendum sit, àn accusativi, *comptos crines, aurum, cultus, comites* ab eo regantur, ut in illo Virg. Ecl. II, 1 : *Corydon ardebat Alexim.* In dubio, pro lege aut regulâ generali tenendum esse arbitramur; et cum in eâdem periodo, verbum *mirata* legitimè verbi activi munere fungi possit, credimus sìc phrasim construendam esse : *Non sola Helene mirata comptos crines, aurum, etc. arsit* : h. e. adultero amore inflammata est. — *Helene Lacæna :* vox illa, *Lacæna*, non vagi et simpliciter poetici epitheti locum obti-

Primusve Teucer [5] tela Cydonio
Direxit arcu; non semèl Ilios
Vexata; non pugnavit ingens
Idomeneus Sthenelusve solus
Dicenda Musis prælia; non ferox
Hector vel acer Deiphobus graves
Excepit ictus pro pudicis
Conjugibus puerisque primus.
Vixere fortes ante Agamemnona
Multi [6]; sed omnes illacrimabiles

net; sed de industriâ ad finem rejecta est. Mulier Spartanæ severitati assueta multò vividiùs magnifico Paridis cultu et comitatu affici debuit.

5. *Primusve Teucer:* de Teucro, Ajacis Telamonii fratre, vid. suprà Od. I, 7, 21. — *Cydonio arcu:* Cydon, urbs Cretæ nobilissima. De arcubus et sagittis Cretensibus, vide suprà Od. I, 15, 17. — *Non semèl Ilios vexata*: Ilios, græcâ inflexione, et tùm feminini generis. Troja bis antè Græcorum obsidionem, primùm ab Hercule, deindè ab Amazonibus oppugnata fuerat; quæ duæ priores obsessiones, à poetis nunquàm celebratæ, vix innotescunt. — *Idomeneus:* Cretensium rex. — *Ingens:* fortitudine deo haud absimilis. Vid. Iliad. III, 230. *Sthenelus:* de Sthenelo, suprà, Od. I, 15, 24. — *Hector vel acer Deiphobus:* uterque Priami filius, uterque notus magis quàm ut hìc longior de iis mentio fiat. Vide tamèn de Deiphobi morte insignem Virg. locum, Æneid. VI, 494-529. — *Pro pudicis Conjugibus puerisque:* generalitèr de Trojanis conjugibus puerisque, non de duorum fratrum conjugibus intellige. Andromache quidèm, Hectoris uxor, casta fuit; sed nullam aliam duxit uxorem Deiphobus, quàm exitialem illam Helenam, quæ ipsi mortem conscivit, et de qnâ Racinius Noster: *Combien nos fronts pour elle ont-ils rougi de fois?* Iphig. act. IV, scen. 4.

6. *Multi:* cum vi et consilio in initio versûs et in fine membri phraseos posita vox! — *Illacrimabiles:* non fleti, nullis ætatum sequentium quibus ignoti sunt, lacrimis decorati. Nota eamdem vocem, *illacrimabilem*, sensu prorsùs diverso usurpatam fuisse, suprà Od. II, 14, 6. Quem locum consule. — *Urgentur longâ nocte:* longâ oblivione, quasì perpetnis tenebris, obruuntur. — *Carent*

Urgentur ignotique longâ
Nocte, carent quia vate sacro.
Paulùm sepultæ distat inertiæ
Celata virtus [7]. Non ego te meis
Chartis inornatum silebo,
Totve tuos patiar labores
Impunè [8], Lolli, carpere lividas
Obliviones. Est animus tibi
Rerumque prudens, et secundis
Temporibus dubiisque rectus;

quia vate sacro : nullum virtutis suæ præconem nacti. Non autèm de quolibet poetâ Noster loquitur, sed de poetâ *sacro*, h. e. quem Musæ et Apollo ut dignum sui cultûs ministrum *sacraverint, quem nascentem Melpomene placido lumine viderit*, sup. Od. III, hujusce libri. Eâdem magnificentiâ, infrà Art. Poet. 400 : *Sic honor et nomen divinis vatibus atque Carminibus venit.*

7. *Paulùm sepultæ distat inertiæ Celata virtus :* virtus, quæ à nemine celebrata ignoratur, à vitâ ignavâ parùm differt. Idem est enìm, ut aiunt jurisconsulti, non esse et ignorari. Quæ quidèm sententia, si ad gloriam spectes, verissima rem ipsam intuspiciendo, circumscriptione quâdam indiget. Multò sapientiùs Claudian. de Mall. Theod. consulatu, I : *Ipsa quidèm virtus pretium sibi..... Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis, Divitiis animosa suis.* Nota has voces, *sepultæ inertiæ*, in dativo casu, quidquid contradicat Dacierius ponendas esse, ut alibi reperire est : *Infido scurræ distabit amicus;* Epist. I, 18, 4.

8. *Impunè :* quasi diceret : etiamsi alii res à te benè gestas, injurioso silentio premerent, ego te ab istâ *lividâ*, h. e. quam solus livor parere posset, *oblivione*, per meos cantus vindicabo. — *Lolli :* bella contrà Germanos diuturna Lollius gesserat, itemque in Asiâ, etc. Consul fuerat anno U. C. 733. Demùm ob prudentiam et spectatam fortitudinem, datus fuit ab Augusto moderator juventæ C. Cæsaris. Posteà tamèn egregios mores illos dedidicit, et collectam dùm Horatius viveret, famam inquinavit. — *Dubiis temporibus :* cùm Lollius Germanos difficili bello vexaret, ab iis victus semèl et fugatus fuit, quæ *clades Lolliana* est appellata. Labem hanc tamèn postmodùm eluit

Vindex avaræ fraudis, et abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniæ;
Consulque [9] non unius anni,
Sed quoties bonus atque fidus
Judex honestum prætulit utili, et
Rejecit alto dona nocentium
Vultu, et per obstantes catervas
Explicuit sua victor arma.
Non possidentem multa vocaveris
Rectè beatum; rectiùs occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapientèr uti [10],

hostium sanguine, quos secundis prœliis non semèl superavit. Juvenc.

9. *Consulque non unius anni:* cùm, ut suprà dictum est, unum jàm consulatum gessisset Lollius, ad quem virtute multotiès spectatâ evectus fuerat, innuit Horatius eum, easdem virtutes continuando, consulatum quoque continuare videri. Quam enim auctoritatem solâ supremi magistratûs potentiâ in suos Consul exercet, illam vir probus, gravis et integer, licèt privatus, exercere dici potest. Nescio quid tamèn duri et insoliti manere in his vocibus: *Est tibi animus consul,* non diffitebimur. Eas, quamvis à Torrentio et Juvencio probatas, et à Mitscherlich propugnatas, nos, cum Dacierio consentientes, reprehendere, timidè licèt, ausi fuerimus, memores modestè de tanto poetâ pronuntiandum, ne fortè, ut ait Quintilianus, damnent quod non intelligunt. — *Sed quotiès:* conjunge cum præcedentibus: sed sempèr consul, et præcipuè quotiès, etc. — *Judex:* indè concludere fas est, Lollium consulatu defunctum, alios magistratus, non solùm militares (quod constat), sed etiàm civiles, ut proprætoris vel proconsulis, in Germaniâ, videlicèt, exercuisse. Res à sequentibus liquet. Quod autèm de *animo consule*, id de *animo judice*, et multò magis, de *animo qui rejicit alto vultu dona nocentium*, profiteri non dubitamus. — *Per obstantes catervas Explicuit sua victor arma:* catervæ obstantes justitiæ, sunt munera, largitiones, favor, adulatio et ceteræ id genus pestes. Juvenc. Ad rem apprimè facit metaphora è verbis militaribus desumta, cùm de duce et de Germanorum victore agatur.

10. *Deorum muneribus sapientèr uti:* beatus ille est, qui divitias à diis sortitus, divitiis

Duramque callet pauperiem pati,
Pejusque letho flagitium timet;
Non ille pro caris amicis,
Aut patriâ timidus perire.

moderatè et prudentèr utitur; beatus quoque qui, si pauper est, paupertatem *callet*, h. e. novit *pati* fortitèr; sed beatus antè alios, qui, sivè dives sit, sivè pauper, timet dedecorari turpibus vitiis, et flagitio mortem præfert. Vir eâ fortitudine, eâ animi constantiâ præditus, pro servandis amicis, pro tutandâ patriâ mortem ultrò appetit, quæ summa laus est. Eam ad Lollium pertinere indirectè significat Horatius.

ODE DECIMA

AD LIGURINUM.

Sub finem primæ hujusce libri odes, confessus fuerat Horatius se, quamvis senescentem, mollis et delicati pueri Ligurini amore consumptum, nihil aliud ab eo quàm superba expertum fuisse fastidia, et ideò durum *vocat. Hìc, quasi irrita suspiria ulturus, eumdem à quo novas, procùl dubio, repulsas senserat, de caduco puerilis ætatis flore admonet, nec longum abfore minatur quìn cum, ab omnibus desertum amatoribus, arrogantiæ suæ seriùs pœniteat.*

O CRUDELIS adhùc [1], et Veneris muneribus potens,
Insperata tuæ quùm veniet pluma superbiæ,

1. *O crudelis adhùc :* per hanc vocem, *adhùc*, patet Ligurinum sese Horatii votis indocilem præbere non destitisse. — *Et Veneris muneribus potens :* aptâ membrorum compositione, elegantibus faciei lineamentis, roseo genarum colore, quæ totidèm sunt pretiosa Veneris dona, excellens. — *Insperata tuæ cùm veniet pluma superbiæ :* cùm tibi præpuellari pulchritudine superbienti, lanugo barbaque veniet, floris juvenilis damnum, genarum nitori infesta. Legendum esse *bruma* pro *pluma* censet Bentleius, et post Bentleium censuit Sanadon, contrà omnium codic. fidem; per *brumam* uterque intelligit, vitæ hyemem, h. e. senectutem. Ad confirmandam illam textûs omninò alieni introductionem, ambo in eo innituntur quòd *pluma*, eorum quidèm sententiâ, sensu careat, dùm admissâ semèl levi duarum litterarum immutatione, *bruma* sensum planum efficiat, et cum iis quæ sequuntur, *deciderint comæ*, *faciem hispidam*, multò meliùs concordem. Calvities enim et rugæ, inquiunt, ad solam senectutem pertinent.

E primo doctissimorum virorum errore plures alii errores, ut plerùmque fieri solet, exorti

Et, quæ nunc humeris involitant, deciderint comæ [2],
Nunc et qui color est puniceæ flore prior rosæ,
Mutatus, Ligurinum in faciem verterit hispidam;

sunt; in hoc enim loco nullatenùs de senectute, sed de eâ ætate agitur quæ, adolescentiæ proxima, virilitatem attingit, nec jàm alliciendis amatoribus, summo puerorum istorum desiderio et dolori, idonea est. Non tàm seram, tàm inutilem, et quâ nunquàm ipse jàm quinquagenarius fruiturus esset, ultionem minatur Horatius. Porrò molles et effeminati puelluli non magìs tempus illud quo amatores fugantur exhorrescebant, quàm mulieres quarum se æmulos indignè præferebant, ætatem illam timent ubì legitimis amoribus valedicendum est. Barbâ autèm succrescente, amatores fugatos fuisse innumeris poetarum oratorumque utriusquè linguæ testimoniis confirmatur, è quibus duo tantùm referre sufficiat. Martialis, I, 32, 5, de Encolpo centurionis cujusdam amasio : *Dùm nullâ teneri sordent lanugine vultus.* Statius de Earino spadone infamibus Domitiani voluptatibus inserviente, Sylv. III, 4, 66 : *Olim etiàm ne prima genas lanugo nitentes Carperet, et priscæ fuscaret gaudia formæ.*

Jàm verò nihil est quòd vox illa, *pluma* pro primâ illa lanugine accepta, legentem tantillùm moretur : ut enim avium pullis adhùc implumibus *lanuginem*, sic per similitudinem quamdam pueris imberbibus *plumam* venire dicere quid vetat? Græci, unâ eâdemque voce, πτίλα, duplicem hunc sensum complectuntur. Cur autèm pluma illa *inesperata* vocatur? Quòd superveniendo *spem* fallit mollium illorum cinædorum qui æternæ puritiæ, non dicam honorem, sed fructum sibi polliciti fuerant. Barbatos se prævidere rennunt. *Sperare* idem sæpissimè valet ac *timere*, ut in notissimo illo Virg. Æneid. IV, 419 : *Hunc ego si potui tantum sperare dolorem*, quod felicitèr æmulatus est Racinius, Androm. scenâ ultimâ : *Grâce au ciel, mon malheur passe mon espérance !*

2. *Et quæ nùnc humeris involitant deciderint comæ : deciderint* non senectute (vid. not. præced.), sed Romanorum universo more, apud quos soli impuberes comam alebant, puberes verò tondebantur. Verùm delicati ac molles majore curâ et diutiùs capillos profluere sinebant, ut virilitatem, sic enim Plinius loquitur, effugerent, et sibi pumice barbam exstirpare conabantur; undè Martial. XIV, 205 : *Sit nobis ætate puer non pumice lævis.* — *Nùnc et qui color est :* sic construe : et cùm color qui nunc est rosâ splendidior. — *Puniceæ rosæ :* rosæ quæ ad vividissimum punici mali vel granati (*la grenade*) ruborem vergit. — *Ligurinum in fa-*

Dices : Heu! (quotiès te in speculo videris alterum [3])
Quæ mens est hodiè, cùr eadem non puero fuit?
Vèl, cùr his animis incolumes non redeunt genæ?

ciem verterit hispidam : Liguriuum non rugis, sed vultu pilis horrido deformaverit.

3. *Te videris alterum :* te in pejus mutatum animadverteris. — *Quæ mens est hodiè, cùr eadem non puero fuit?* sensus : hodiè intelligo quàm turpitèr primam ætatem degerim. Cùr, heu! eadem puer non intellexi? Locum Noster mutuatus fuisse videtur à Terentio, Hecyr. I, 1, 17 : *Eheu me miseram! cur non aut istæc mihi ætās et forma est, aut tibi hæc sententia?* — *His animis :* mihi talitèr sentienti, h. e. sentienti quàm breve sit ver puerititiæ, quàm caduci primi ejus flores, ut ait Ovidius, Metam. X, 85, quique præsagire debueram vitæ ulterioris honestatem fluxis illis voluptatibus quæ nil post se nisi dedecus et pœnitentiam afferunt, multò antepouendam. — *Incolumes genæ :* genæ læves, et non pilis horridæ. Genæ enim barbatæ, si ad sensum totius odes respicias, morbo quasi affectæ Liguriuo et ejus paribus videbantur.

ODE UNDECIMA

AD PHYLLIDEN.

Amicam ad epulas secum et in suâ domo, ad celebrandum Mœcenatis diem natalem, instituendas invitat, eamque simùl admonet ne ab hoc lœto convivio, Telephi amore, se amoveri patiatur.

Est mihi nonum superantis annum
Plenus Albani [1] cadus; est in horto,
Phylli, nectendis apium coronis;
Est hederæ vis
Multa, quâ crines religata fulges.
Ridet argento domus [2]; ara, castis
Vincta verbenis, avet immolato
Spargier agno.
Cuncta festinat manus [3]; hùc et illùc

1. *Albani :* subaud. *vini.* Alba, urbs Latii, cujus in collibus generosa vina. — *Nectendis apium coronis :* plantæ genus (gallicè, *ache*), quod non minùs quàm *hedera* valere credebatur ad fumos vini discutiendos et arcendam ebrietatem.

2. *Ridet argento domus :* depromptis, quotquot possideo, vasis argenteis domus respleudet; similitèr, *renidet*, suprà II, 18, 2. — *Ara castis Vincta verbenis :* de verbenâ in sacris adhiberi solitâ, vid. suprà Od. I, 19, 14. Hic *casta* vocatur, ut alia quæ aris admovebantur. — *Avet :* impatientèr exspectat. — *Immolato Spargier agno :* ut apud Virg. Eclog. I, 8 : *Sæpè tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.*

3. *Cuncta festinat manus :* universa famulorum meorum

Cursitant mixtæ pueris puellæ;
Sordidum flammæ trepidant rotantes
Vertice fumum.
Ut tamèn nôris quibus advoceris
Gaudiis [4], Idus tibi sunt agendæ,
Qui dies mensem Veneris marinæ
Findit Aprilem,
Jure solemnis mihi, sanctiorque
Pænè natali proprio, quòd ex hâc
Luce Mœcenas meus affluentes
Ordinat annos.

turba apparandis epulis alacritèr accingitur. — *Cursitant :* observa quàm graphicè per verbum illud frequentativum exprimatur motus et trepidatio, quæ in magni cujuslibet festi præludiis sempèr animadvertitur. — *Sordidum flammæ trepidant rotantes Vertice fumum : flammæ trepidant*, h. e. celerrimo motu agitantur, magnâ lignorum congerie excitatæ; *rotantes*, h. e. agentes in turbinem, *fumum sordidum*, h. e. nigrum, densum, qui è tecti vertice in auras exit et diffunditur. Sic magnam indicat ciborum in culinâ coquendorum copiam.

4. *Quibus advoceris Gaudiis :* quid tantos festi illius, ad quod à me invitaris, apparatus provocet. — *Idus tibi sunt agendæ :* dies decima quinta in mensibus maio, octobri, julio, ac martio; in aliis autèm mensibus, decima tertia Idus erant, sic dictæ ab Etruscâ voce *Iduare*, hoc est, dividere, quià mensem in duas partes dividebant. A Kalendis usque ad Nonas intercedebant vulgò dies quatuor, ità ut Nonæ inciderent in diem quintum, præterquàm in mensibus quatuor suprà memoratis; intererant enim in illis mensibus à Kalendis ad Nonas dies sex, et Nonæ incurrebant in diem septimum. At verò à Nonis ad Idus, dies octo semper numerabantur. Juvenc. — *Qui dies mensem Veneris marinæ Findit Aprilem :* qui medium occupat mensis Aprilis Veneri consecrati, eumque in duas partes æquales *findit*, dividit. Aprilis Veneri sacer erat, quod in eo mense terra sinum aperit, et fructus parere incipit. De *Venere marinâ* vid. supr. Od. III, 26, 5. — *Sanctiorque Pænè natali proprio :* addit hoc adverb. *pænè*, quòd, ad Phylliden scribens, sese fidum quidèm Mæcenati amicum, sed non ridiculum adulatorem ostendere debet. — *Affluentes Ordinat annos :* numerare incipit annos qui sibi posteà affluxerunt.

Telephum, quem tu petis [5], occupavit,
Non tuæ sortis juvenem, puella
Dives et lasciva, tenetque gratâ
Compede vinctum.
Terret ambustus Phaeton avaras
Spes [6], et exemplum grave præbet ales
Pegasus, terrenum equitem gravatus
Bellerophontem,

5. *Telephum, quem tu petis, occupavit:* nexus sententiæ: non ignoro equidèm te nùnc in Telepho persequendo totam, compotationes cum alio amatore instituendas reformidaturam. Sed quid in irritis conatibus perstas? Nonne satius est prædam tibi præreptam relinquere, et frustratos amores conviviorum saltèm et musices hilaritate cum amico solari, qui post te nulli alii feminæ unquàm adhærebit? Veni igitùr, etc. — *Occupavit:* tibi præripuit. — *Non tuæ sortis juvenem*: Telephum, juventutis flore, genere et fortunâ longè tibi superiorem. — *Dives et lasciva:* tantæ sunt tuæ rivalis opes, ut Telephum vel invitum aureis catenis quasi constrictum retineret; tanta libido, ut illum à se abstrahi, quolibet pretio, non passura sit. Quid quod catenæ illæ ipsi Telepho sunt *gratissimæ?* nulla igitùr tibi spes remanet. — *Tenetque gratâ Compede vinctum;* ut suprà Od. I, 33, 14: *Gratâ detinuit compede Myrtale;* vid. not. in h. l.

6. *Terret ambustus Phaëton avaras Spes:* ad exempla transit quibus periculum ultrà vires aliquid tentandi demonstrando, Phylliden ab insanâ et inæquali cupidine deterreat. Notissima Phaëtontis fabula, Jovis fulmine combusti. Quam qui integram noscere velit, adeat Ovid. Met. II, in initio. Per *avaras spes* intellige spes per quas ea quæ suprà vires nostras sunt, assequi posse nos confidimus. — *Exemplum grave præbet:* jungenda hæc τῷ *ut* strophes sequentis; exemplo gravi admonet ut, etc. — *Ales Pegasus:* de Pegaso, equo alato, et de ope quam Bellerophonti tulit ad Chimæram interficiendam, vid. suprà I, 27, 24. Cùm verò in usu illo ad quem traditus ei à Minervâ fuerat Pegasus, haud acquievisset Bellerophon, cœlumque ipsum stultitiâ petivisset, indignatus Pegasus tantam *terreno equiti*, h. e. mortali incidisse audaciam, sessorem in campos Aleios excussit, ubi graves temeritatis suæ pœnas dedit. — *Terrenum equitem gravatus:* ægrè, molestè ferens. *Gravari*, formâ, ut aiunt gram-

Sempèr ut te digna [7] sequare, et, ultrà
Quàm licet sperare nefas putando,
Disparem vites. Age, jàm meorum
Finis amorum,
(Non enìm posthàc aliâ calebo
Feminâ [8]), condisce modos, amandâ
Voce quos reddas. Minuentur atræ
Carmine curæ.

matici, *deponente*, cum accusativo reperiri constat apud multos scriptores. *Quæ si quis gravabitur, non rationi defuerit, sed oneri;* Quintilian. I, 2. *Romanos odère omnes, dominosque gravantur, Quò novère magìs;* Lucan. VII, 284.

7. *Te digna :* tuæ ætati et fortunæ rectè accommodata, quod illicò explicatur : *Disparem vites; Non tuæ sortis juvenem*, ut suprà, v. 22. — *Age, jàm meorum Finis amorum :* veni igitùr, non dubita, ô tu quam unam in posterum amabo. Sic Propert. I, 12, 19 : *Mì neque amare aliam, neque ab hác discedere fas est; Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.*

8. *Aliâ calebo Feminâ :* sic supra Od. I, 4, 19 : *quo calet juventus Nùnc omnis.* — *Condisce modos :* cantus perfectè disce (ea enim vis præpositionis verbo adjunctæ), quos voce illâ *reddas*, h. e. exsequaris, quæ meis auribus tàm suavitèr blanditur. — *Minuentur atræ Carmine curæ.* Sic Calpurn. XI, 19 : *Cantet, amat quod quisque; levant et carmina curas.*

ODE DUODECIMA

AD VIRGILIUM.

Veris amœnitate fruiturus, jocosè et familiaritèr Virgilium suum ad hilarem compotationem advocat. Dulcissimâ descriptione præmissâ, vinum Calenum venturo ad se amico promittit, hâc tamèn lege et conditione, ut nardum secum afferat, et hâc merce redimat promissi vini munera. Ne fortè autèm hunc lætioris vitæ fructum intercipi sibi negotiorum curis et administratione patiatur, de vitæ fruendæ brevitate cum cogitare, et sic sapientèr dulcia seriis miscere jubet. Admodùm familiarem poetæ fuisse eum, quocum tàm liberè jocari posset, nemo non intelligit. Quis autèm Nostrum cum magno poetâ Virgilio in ejusmodi familiaritate vixisse dubitare potest? Jàm verò, quòd v. 25, lucri studium *ponere jubetur Virgilius, indè eum, non poetam illum, sed mercatorem quemdam vèl unguentarium fuisse, qui seriò contenderent fuere plures. Sèd illi si cogitassent, non ad mercatores tantùm, sèd ad omnes, qui diligentem rerum suarum curam gerunt, honestiore sensu* lucri studium *pertinere, profectò neque ex magno poetâ mercatorem fecissent, neque tàm humilitèr de Horatii cum mercatore Romano amicitiâ sensissent! Vid. not. ad v.* 25.

Jam veris comites, quæ mare temperant [1],
Impellunt animæ lintea Thraciæ;

1. *Jàm veris comites, quæ mare temperant :* de ventis loquitur, qui, redeunte vere, molliùs spirant, hybernosque maris furores sedant. — *Impellunt animæ lintea Thraciæ :* quamvis ventus è Thraciâ flans frigora et gelu secum asportare vulgò dicatur, constat tamèn sub finem februarii, è parte bo-

Jàm nec prata rigent, nec fluvii strepunt
Hybernâ nive turgidi.
Nidum ponit, Ityn flebilitèr gemens,
Infelix avis [2], et Cecropiæ domûs
Æternum opprobrium, quòd malè barbaras
Regum est ulta libidines.
Dicunt, in tenero gramine, pinguium

reali, ubì Thracia, spirare ventos veris et avium peregrinantium reditûs indices, et ideò *Ornithias*, à voce græcâ, ὄρνις appellatos. Ὀρνιθίαι καλούμενοι ἐαρινοί τίνες ὄντες ἄνεμοι, Θρᾴαι ἐισὶ τῷ γένει. « Venti quidam verni, *Ornithii* appellati, origine sunt Aquilones. » ARIST. de Mundo, IV. Quam observationem confirmat Columell. XI, 2, 21. *Decimâ die Calend. martiarum* (18 februar.) *venti septentrionales qui vocantur* Ornithiæ, *per dies triginta esse solent; tùm et hirundo advenit.* Venti autèm illi *impellunt lintea*, h. e. vela navium, quia mare navigationem tùnc temporis repetentibus aperiunt. — *Jàm nec prata rigent:* non *jàm* horrent pruinis, nec *rigido* gelu constringuntur. — *Nec fluvii strepunt Hybernâ nive turgidi.* Vide, suprà Od. IV, 7, 3 et notam in h. l.

2. *Nidum ponit, Ityn flebilitèr gemens, Infelix avis:* passim apud poetas veris initium per hirundinis reditum indicatur, infrà, Ep. I, 7, 13: *Cum Zephyris, si concedes et hirundine primâ;* et Ovid. Fast. II, 853: *Fallimur, àn veris prænuntia venit hirundo?* Notissima autèm ex Ovid. Metamor. VI, Procnes, Philomelæ et Terei fabula. Procne, Pandionis, Atheniensium regis filia, cùm à Tereo, marito suo, vim Philomelæ sorori suæ illatam fuisse cognovisset, filium quem ab eo susceperat ipsi Tereo epulandum apposuit. Scelere aperto, cùm Tereus crudelissimam matrem ferro occidendam persequeretur, in upupam mutatus est, Philomela in lusciniam, Procne in hirundinem. Cùm verò cantus hirundinis brevissimo tractu et quasi singultìm intercidat, gemitusque potiùs quàm modulos exprimere videatur, ideò filii sui mortem *flebilitèr gemere* fingitur. — *Cecropiæ domûs Æternum opprobrium:* per *Cecropiam* domum, non stirpem Cecropis, sed regnum quod fundavit et familiam Athenien-sem intellige. — *Malè ulta:* pessimè etiàm, quippè parricidio. — *Regum libidines:* crudelitatem et injustam Terei libidinem; ideò *libidines* in plural. dicit. Cùr autèm, *regum*, cùm de uno rege Tereo hìc agatur? Libentèr clarissimo viro Mitscherlich. assentiar, qui per *regum li-*

Custodes ovium, carmina fistulâ [3],
Delectantque Deum, cui pecus et nigri
Colles Arcadiæ placent.
Adduxêre sitim tempora [4], Virgili;
Sed pressum Calibus ducere Liberum
Si gestis, juvenum nobilium cliens,
Nardo vina merebere.
Nardi parvus onyx eliciet cadum [5],

bidines explicat libidines regias, eas nempè quæ non nisi in regiam, h. e. impotentem et sævam dominationem cadere possunt. Voces enìm illæ, *rex*, *regius*, vel Horatii temporibus, nescio quid invidiosi retinuerant.

3. *Dicunt carmina fistulâ :* fistulæ sonis carminum cantus consociant. — *Delectantque Deum :* Pana; sic et Virg. Georgic. I, 17 : *Pan ovium custos, tua si tibi Mœnala curæ.* Mænalus vel Mænalum, erat unus ex iis *Arcadiæ collibus* quos Pan, deus incola, peculiari tutelâ fovebat. — *Nigri :* umbrosi, densis arboribus conferti.

4. *Adduxêre sitim tempora :* nùnc solis calor bibendi necessitatem adduxit. — *Virgili :* de interpretibus qui alium quàm Maronem somniârunt, vide *Argumentum*. — *Pressum Calibus Liberum :* ut suprà Od. I, 20, 9 : *prælo domitam Caleno Tu bibes uvam.* Consule notam in h. l. — *Juvenum nobilium cliens :* notam doctissim. viri Dœring ingeniosissimam referre non pigebit. Per *juvenes nobiles* haud dubiè innuit Nerones, Augusti privignos, Drusum et Tiberium; non sine causâ autèm Horatius Virgilium suum nùnc *juvenum nobilium clientem*, appellasse videtur; latet enìm, nisi fallor, in hâc appellatione jocus ferè hic : dummodò à te impetrare poteris hoc, ut è fastigio tuo descendas, et *juvenum nobilium* consortium cum pauperis Horatii societate permutes. — *Nardo vina merebere :* nardus, genus frnticis è cujus foliis et spicis unguentum magni pretii exprimebatur. In strophis sequentibus, quid à Virgilio expetat ità evolvet, ut ne minimè quidèm dubitari possit, amicum unum esse, eumdemque familiarissimum cum quo tàm suavitèr jocari liceat.

5. *Nardi parvus onyx eliciet cadum :* vinum præstantissimum convivis præbiturus, à Virgilio vicissìm collectam sivè symbolam exigit. Cœnam ergò collativam instituit Horatius, et cadum integrum vini optimi, exiguo nardi vasculo elici posse ait. *Onyx* ergò pro vasculo ad unguenta ex onyche lapide confecto, accipitur. Qui lapis ab

Qui nunc Sulpiciis accubat horreis,
Spes donare novas largus, amaraque
Curarum eluere efficax.
Ad quæ si properas gaudia [6], cum tuâ
Velox merce veni. Non ego te meis
Immunem meditor tingere poculis,
Plenâ dives ut in domo.
Verùm pone moras et studium lucri [7];

unguis humani similitudine in nominis quoque societatem venit, dictus etiàm *alabastrites*. Initio quidèm rarior, post, invalescente luxu, etiam in columnas ac pavimenta transiit. Et quoniàm *onychis* præcipuus olim ad unguenta usus, hinc factum, ut quodcunque vasculum unguentarium, etiam alterius materiæ, *onyx* diceretur. Vide Plin. XXXVI, 7 et XXXVII, 6. — *Qui nùnc Sulpiciis accubat horreis :* qui nùnc repositus est in vinariis Sulpicii Galbæ *horreis*, h. e. apothecis vel cellis. Plurimas hujusce modi apothecas (gallicè, *des magasins*) Romæ extitisse verisimile est, inter quas Sulpicii apothecæ amplitudine et rerum venalium delectu eminebant. Memoranda antiquissimi inter Horatianos interpretes Porphyrionis in h. l. nota : « Sulpicii « Galbæ horrea dicit ; hodièque « autèm Galbæ horrea vino et oleo, « similibusque aliis, referta sunt. » Quantâ autèm liberalitate cum Virgilio agat Horatius ex eo concludi potest quòd suprà I, 20, 9, *vile Sabinum* Mæcenati ipsi propinaturum se profitetur, non *Calenum*, dùm, ad dignè excipiendum amicum, vinum illud pretiosissimum è cellis Sulpicianis, multo ære emptum depromit. — *Spes donare novas largus :* ut suprà, de amphorâ, III, 21, 17 : *Tu spem reducis mentibus anxiis.* — *Amara Curarum :* Hellenismo noto, pro, *curas amaras.*

6. *Ad quæ si properas gaudia :* quòd si tibi prompta et vivida inest amici tui invisendi voluntas. — *Cum tuâ merce :* cum tuâ nardo quæ à me veluti pretium vini Caleni exigitur. Elegantissimè in joco perstat Horatius. — *Immunem :* ità ut de tuo nihil conferres. — *Plenâ in domo :* ut suprà Od. II, 12, 24 : *Plenas aut Arabum domos.*

7. *Verùm pone moras et studium lucri :* persuasum habeo has voces per quas multi interpretes allucinati sunt, et ad id adducti ut unguentarium nescio quem à negotiis et à lucro captando aliquantispèr abstinere jussum arbitrarentur, has, inquam, voces ad ea quæ præcedunt, *nardo vina merebere*,

Nigrorumque memor, dùm licet, ignium,
Misce stultitiam consiliis brevem.
Dulce est desipere in loco.

eum merce tuâ, immunem, per continuationem joci referri debere. Veni, propera, inquit ad amicum Horatius; ne tamèn speres, fraudato symbolo, te posse lucelli aliquid mecum facere. Severus creditor, severè debitum exigam. — *Nigrorumque memor ignium;* rogi, adeòque mortis. — *Dùm licet:* conjungendæ hæ duæ voces cum sequentibus: *misce dùm licet,* dùm vitâ et firmâ valetudine frueris. — *Misce stultitiam consiliis brevem:* solitæ tuæ prudentiæ sinas per momenta aliquot hilarem insaniam immisceri, qualis est ea quæ è festivâ inter amicos compotatione oriri potest. — *Dulce est desipere in loco:* non sempèr, sed quandò res, *locus* et occasio postulant.

ODE DECIMA TERTIA

IN LYCEN.

Ut Lydiam, suprà, I, 25, *et Chlorin,* III, 15, *sic in sequenti carmine Lycen, quam, licèt tenerrimè à se adamatam, sempèr crudelem invenerat, crudelitèr vicissìm irridet Horatius, quòd jàm ad senium vergens ab amatoribus deseratur.*

Audivere, Lyce, Dî mea vota; Dî
Audivere, Lyce [1]; fis anus, et tamèn
Vis formosa videri,
Ludisque et bibis impudens,
Et cantu tremulo, pota, Cupidinem
Lentum sollicitas [2]. Ille virentis et

1. *Audivêre, Lyce, Dî mea vota; Dî Audivêre, Lyce:* egregia poetæ veteres injurias ulciscentis, diligentisque ultionem suam exclamatio! Quid enìm acerbius qnàm feminæ oris sui non solum exprobrare deformationem, sed profiteri simùl hanc in summâ votorum fuisse, quotidianisque precibus expetitam? Jàm de ejusdem Lyces superbià amarè Noster questus erat suprà, Od. III, 10, Venerisque vindictam ei fuerat minitatus. — *Ludisque et bibis impudens:* lascivis exercitationibus vacas, amatoriisque conviviis interes, quæ omnia, ut jàm dixit Noster, Od. III, 15, 5 et 16, vetulam non decent.

2. *Et cantu tremulo, pota, Cupidinem Lentum sollicitas:* nullum est hìc verbum quod non ad contumeliam conferat. *Cantu tremulo,* h. e. voce anili (gallicè, *d'une voix chevrotante et cassée*) pota, h. e. ebria; ridiculnm dedecore cumulat; *sollicitas;* ad te Amores vicissim attrahere conaris, qui te olìm vel reluctantem petebant, nùnc surdas provocationibus tuis aures

Doctæ psallere Chiæ
Pulchris excubat in genis.
Importunus [3] enim transvolat aridas
Quercus, et refugit te, quià luridi
Dentes, te, quià rugæ
Turpant, et capitis nives.
Nec Coæ referunt jàm tibi purpuræ [4],

præbent. — *Chiæ :* meretricis cujusdam ex insulâ Chio oriundæ. Quæ et quo nomine fuerit ignoratur. — *Pulchris excubat in genis :* in pulchro illius vultu sedem et quasi domicilium elegit Amor. Quantùm per oppositionem illam puellæ formâ et ætate florentis augeatur illata Lyce injuria qui non intelligeret, is se muliebribus affectibus extraneum procùl dubio profiteretur.

3. *Importunus :* vox intellectu difficillima. Alii, *nunquam quiescens,* ut Dacierius, interpretantur; quem sensum nusquàm alibi reperire est; repugnat aliundè iis quæ mòx dicta sunt de psaltriâ Chiâ, in cujus genis *excubat,* seu, quod idem valet, *quiescit.* Alii, ut Dæring, *difficilis, parùm commodus vetularum precibus, quasi,* inquit, *ii quoque qui vocati non veniunt, importuni sint.* Sanado interpretatur : *Amor transvolat aridas quercus, quibus est intempestivus,* laudato in hunc sensum, sed non citato quodam Ciceronis loco, qui suæ interpretationi favet. Mitscherlich vertit, *inhumano more,* quod Horatii consilio contradicere mihi videtur, qui in hoc loco Amoris judicium laudibus, non contumeliis, onerare debet. A clariss. viro Daru, Amor importunus vertitur : *le papillon capricieux;* à non minùs digno interprete Vanderbourg : *l'ingrat!* ironicè quidèm; à Batteux siletur epitheton, à Martignac per periphrasim, parùm elegantèr de more, *pour vous faire enrager,* circumducitur. Totam odeu omisit Renatus Binet. Quid indè? Vocem tàm diversè à tot doctis interpretibus intellectam, intellectu, ut suprà dictum est, difficillimam esse. Nos fatemur sensum à Martignac indicatum ad veritatem propius accedere videri. *Importunus* igitùr est, nostro saltèm judicio, *tibi meritò infestus, iratus.* — *Aridas quercus :* jàm vetulas cum *aridis frondibus,* puellas verò teneras cum virente hederâ comparavit supr. Od. I, 25, 17. — *Capitis nives :* albi capilli; hanc metaphoram in oratoribus, ut duriorem, damnat, poeticæ tamen audaciæ concedit Quintilianus, VIII, 6.

4. *Coæ purpuræ :* Cos, insula maris Ægei, in quâ multi bombyces, teste Plinio, VI, 23.

Nec cari lapides tempora, quæ semèl
Notis condita fastis
Inclusit volucris dies.
Quò fugit Venus? heu! quove color? decens
Quò motus? Quid habes illius, illius [5],
Quæ spirabat amores,
Quæ me surpuerat mihi,
Felix post Cinaram, notaque et artium
Gratarum facies? sed Cinaræ breves
Annos fata dederunt,
Servatura diù parem
Cornicis vetulæ temporibus Lycen [6];
Possent ut juvenes visere fervidi,
Multo non sine risu,

Coæ purpuræ sunt igitùr vestes sericæ, purpurâ tinctæ. — *Cari lapides :* adamantes, et alia pretiosorum lapidum genera. — *Non tibi referunt tempora :* non annos elapsos revocabunt. — *Quæ semèl Notis condita fastis Inclusit volucris dies :* quæ, cùm rapido dierum cursu præterierint, vivunt tamèn in hominum memoriâ, notato natalium die in publicis tabulis, quæ unoquoque momento consuli possunt.

5. *Quid habes illius, illius :* inest in illâ repetitione, *illius, illius,* nescio quid amatorii desiderii. Subaudi, *faciei,* et sìc explica : quid reliquum tibi est venustissimi illius vultùs qui omnibus illum aspicientibus amorem inspirabat, etc. — *Quæ me surpuerat mihi :* usitatâ contractione, pro, *surripuerat.* Sìc infrà, Sat. II, 3, 283 : *Unum me surpite morti.* — *Felix post Cinaram :* per ellipsim, pro, post Cinaræ faciem ; quæ unius Cinaræ pulchritudini cederet. Hanc Cinaram, ut à se juvene dilectam, celebrat Horatius in primo hujusce libri carmine, v. 4. — *Notaque et artium Gratarum facies :* et facies illa quæ omnibus delinimentis instructa, tantam tibi celebritatem pepererat ; quæ certatìm et ab innumeris admiratoribus tuis laudabatur.

6. *Parem Cornicis vetulæ temporibus Lycen :* Lycen cui tot annos fata destinârunt quot vulgò credebatur cornicem à naturâ sortitam fuisse. De illo veterum errore vid. not. 3, in Od. III, 17, 13. — *Juvenes fervidi :* per oppositionem vetulæ quæ ipsa, non fervere, sed fervorem juvenum alere et excitare desiit.

Delapsam in cineres facem.

— *Delapsam in cineres facem :* alii legunt, *dilapsam ;* sensus idem. Benè comparatur vetula faci, quæ, dùm integra vigebat, lucem et calorem quocùmque circumferebat, nùnc penè consumpta, nihil de se reliquit nisi frigidos cineres.

ODE DECIMA QUARTA

AD AUGUSTUM.

Jussus ab Augusto, ut in Argumento *ad quartam hujusce libri oden jàm dictum est, reportatas de Rhætis et Vindelicis à Tiberio et à Druso victorias celebrare, priorem muneris sui partem in carmine citato exsequutus Horatius, ad alteram transit, et breviùs, ut decebat, commemorato Drusi nomine, Tiberii laudibus insistit; ità tamèn, ut partam ab utroque gloriam adoptivo eorum patri referat, omniaque consiliis, militibus, auspiciisque paternis prosperè facta affirmet. Augusti denique encomium directè aggreditur, et gentes ejus imperio subditas magnifico verborum ornatu enumerat.*

Quæ cura Patrum, quæve Quiritium [1],
Plenis honorum muneribus tuas,
Auguste, virtutes in ævum
Per titulos memoresque fastos

1. *Quæ cura Patrum, quæve Quiritium:* sensus : quidquid curent, quidquid moliantur senatus populusque Romanus, ad virtutes tuas immortalitati consecrandas, nunquàm sàt dignos honores tibi decernent. De hâc voce, *Quirites*, vid. not. 13, suprà Od. I, 2, 46. — *Plenis honorum muneribus:* cave ne hanc vocem, *honorum*, ab adjectivo, *plenis*, regi existimes. Sìc construe : *muneribus honorum*, honoribus in tui remunerationem ità cumulatis, ut *pleni* sint, b. e. ut satìs ampla virtutum tuarum præmia videantur. — *In ævum Æternet:* ad remotissimas usquè ætates transmittat, *per titulos* statuis in honorem

Æternet? O! quà Sol habitabiles
Illustrat oras, maxime principum [2],
Quem legis expertes Latinæ
Vindelici didicere nupèr
Quid marte posses. Milite nàm tuo
Drusus Genaunos, implacidum genus,
Breunosque veloces [3], et arces
Alpibus impositas tremendis
Dejecit acer, plus vice simplici.

tuum erectis subscriptos; *per memores fastos*, per tabulas publicas, in quibus non solùm res ab Augusto præclarè gestæ, sed etiàm dies festi in memoriam ejus quotannis celebrandi, notari debebant. Hinc dicuntur, *memores*, ut suprà, Od. III, 17, 4.

2. *O quâ Sol habitabiles Illustrat oras, maxime principum :* non, maxime principum in terrâ habitabili nùnc regnantium; omnis enìm comparatio Augustum intèr et alios reges ant potiùs regulos instituta, injuriæ propiùs quàm laudationi accederet; verùm, ô tu qui ab omnibus terræ populis ut maximus qui unquàm imperitaverit, suspiceris, eodem sensu quo infrà, Epist. II, 1, 17: *Nil orturum aliàs, nil ortum tale fatentes. — Quem didicere Quid Marte posses :* insolita prorsùs verborum connexio, et à Græcis petita; intellige: quem noscere didicerunt, damno suo potentiam tuam militarem edocti. — *Legis expertes Latinæ :* hactenùs indomiti. De Vindelicis, vid. suprà Od. IV, 4, 18.

3. *Genaunos, implacidum genus, Breunosque veloces :* uterque hic populus cum Rhætis et Vindelicis qui soli in quarto hujusce libri carmine nominati sunt, regionis vicinitate et armorum societate conjuncti erant. Genauni autèm, si Straboni credas, tàm ferocitèr bellum gerebant ut mares captivos trucidarent, neque etiàm fœtni quem matres in utero gerebant, parcerent, si eum masculini sexùs, vatibus prædicentibus, suspicarentur. — *Alpibus tremendis :* ipsâ montium difficultate formidandis. — *Dejecit :* vox graphica, quâ mirè exprimitur illa et populorum et arcium è montibus inaccessis præceps ruina et prompta eversio.—*Plus vice simplici :* alii intelligunt, *non semèl;* constat enìm Drusum bis cum Rhætis congressum, bis eos ingenti prælio superavisse. Alii, per locum è Velleio Paterc. depromptum Horatium interpretantes, vertunt : Drusus non solùm *simplicem vicem*, h. e. par pari hostibus retulit, sed

Major Neronum [4] mòx grave prælium
Commisit, immanesque Rhætos
Auspiciis pepulit secundis;
Spectandus in certamine Martio
Devota morti pectora liberæ
Quantis fatigaret ruinis [5];
Indomitas propè qualis undas
Exercet Auster [6], Pleïadum choro
Scindente nubes; impiger hostium
Vexare turmas, et frementem
Mittere equum medios per ignes.

priores clades à Romanis acceptas cladibus multò majoribus ultus est. Hunc posteriorem sensum, ut pleniorem et ad carminis materiem meliùs appositum, facilè prætulerim.

4. *Major Neronum :* Tiberius, quatuor annis antè Drusum natus. — *Auspiciis pepulit secundis :* Augusto Deos suos, ut infrà v. 33, dicitur, præbente.

5. *Spectandus Quantis fatigaret ruinis :* audactèr et lyricè pro illo vulgari et prosaïco : admiratione dignus, cùm se suis spectandum præberet, *fatigando*, h. e. repetitis ictibus et ad internecionem, ad ruinam universam affligendo *Devota morti pectora liberæ*, hostes eo magis metuendos, quòd mori quàm servire mallent. Sìc victoriæ laus amplificatur.

6. *Indomitas propè qualis undas Exercet Auster :* comparatione vim et impetum Tiberii illustrat Noster. Nullus ventus Africo vel Austro violentius in undas exercet imperium; undè *arbiter Hadriæ*, suprà, I, 3, 15, et *dux inquieti turbidus Hadriæ*, III, 3, 5, dicitur. Ut igitùr ventus ille *undas indomitas*, adversùs eum reluctantes prorumpit, sìc Tiberius, etc. — *Pleiadum choro Scindente nubes :* Pleiades septem sunt stellæ inter Taurum et Arietem positæ in modum globi, seu chori et circuli. Hinc nomen πλειάδες, quià plures et turmatìm apparent, quasì πλείονες, vel à verbo πλεῖν, quià ortu suo primæ navigationis tempus ostendunt. Latinis Vergiliæ dicuntur, quià ver significant; oriuntur enìm circà æquinoctium vernum; item Atlantides, quià fingunt poetæ illas fuisse Atlantis filias, ex Pleione nymphâ. Juvenc. Porrò, æquinoctii verni tempore, procellæ sævinnt, venti debacchantur. Dicuntur quoque Pleiades *nubes scindere*, non quòd nubes pellant, sed quòd, stellarum omnium instàr, non

Sic tauriformis volvitur Aufidus [7], 25
Qui regna Dauni præfluit Appuli,
Cùm sævit, horrendamque cultis
Diluviem meditatur agris;
Ut [8] barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu [9], 30
Primosque et extremos metendo
Stravit humum, sine clade victor,
Te copias, te consilium, et tuos
Præbente Divos. Nam [9] tibi, quo die

nisi absentibus nubibus, oculis appareant. *Pleiadum choro Scindente nubes* idem igitùr valet ac : Pleiadibus oriri et videri incipientibus, suprà horizontem ascendentibus.—*Hostium vexare turmas :* ut suprà, Od. III, 2, 4 : *Parthos Vexet eques metuendus hastâ*, h. e. indesinentèr lacessat.

7. *Sic tauriformis volvitur Aufidus :* novâ comparatione priorem confirmat. Ut venti enìm, sìc et undæ omnia obstantia prorunnt. De Aufido Apuliæ flumine, et de Dauno ejusdem provinciæ rege, vid. suprà Od. III, 30, 10 et 11, et notas. *Tauriformis* dicitur, usitato apud poetas epitheto, et omnibus fluminibus communi, quià fluctuum sonitu boum mugitus imitari amnes videntur. —*Meditatur :* vox propria, et de deo fluvii intelligenda, qui non fortuitò, sed ex industriâ, ad ultionem aliquam ut Tiberis in secundo lib. I carmine, exercendam, undas in agros dispergere, messibusque inferre perniciem fingebatur.

8. *Ut :* alter comparationum præcedentium terminus, inverso vulgari ordine. Incipiunt enìm ferè omnes comparationes per *ut*, et per *sìc*, *ità*, concluduntur. — *Agmina ferrata :* benè de barbaris. Romani enim *loricâ*, id est tegmine è loris vèl coriis contexto protegebantur; barbari è contrà toti ferro rigebant, undè de iis Claudianus : *Credas simulacra moveri Ferrea, cognatoque viros spirare metallo.* — *Primosque et extremos metendo :* à primis usque ad ultimos hostium ordines cædem continuando. — *Sine clade victor :* exiguâ suorum militum jacturâ, quæ res ut Romanis pretiosissima erat, sìc et duci laudem afferebat maximam. — *Te copias, te consilium et tuos Præbente Divos :* vitat Noster solertissimè scopulum ad quem offendere non sine periculo potuisset. Omnes utriusque privigni successus prudentiæ et fortunæ imperatoriæ debentur.

9. *Nàm :* notandum transitionis artificium. Argumento est

Portus Alexandrea supplex,
Et vacuam patefecit aulam,
Fortuna lustro prospera tertio [10]
Belli secundos reddidit exitus,
Laudemque et optatum peractis
Imperiis decus arrogavit.
Te [11] Cantaber non antè domabilis,
Medusque, et Indus, te profugus Scythes
Miratur, ô tutela præsens
Italiæ, dominæque Romæ!
Te fontium qui celat origines

res secundè à Tiberio et à Druso peractas ad Augustum referendas esse, quòd victoriæ de Vindelicis reportatæ, egregiæ licèt, in partem felicium eventuum veniunt qui Augusti imperium à captâ Alexandriâ, per quindecim annos constantèr honestaverunt. — *Quo die :* volunt nonnulli interpretes hìc agi de ipso Alexandrinæ expugnationis anniversario die; malè, cùm de continuâ victoriarum serie loquatur vates, et ipsum contrà Vindelicos bellum non uno et præfixo die, sed pòst acerrima prælia et biennio transacto, tandèm compositum fuerit. Mâlim igitùr interpretari : ex eo die quo, Alexandriâ captâ, summâ rerum solus, ô Auguste, potitus es. — *Alexandrea supplex :* finge mulierem (ut passìm in antiquis et in recentibus numismatibus videre est) Augusti genibus advolutam, et ipsi portus suos et regale palatium aperientem. — *Vacuam aulam :* regiam à Cleopatrâ quæ sibi necem consciverat, desertam.

10. *Lustro tertio :* capta fuerat Alexandria anno U. C. 724, finitum autèm Vindelicum bellum, anno 739. — *Secundos reddidit :* fecit prosperos omnes *belli exitus*, non solùm, durante bello, victoriam tuis signis affigendo, sed pacem gloriosam simùl et utilem, in quam *bella exibant*, procurando. — *Optatum decus :* splendorem ex omnium votis tibi conciliatum. — *Peractis Imperiis arrogavit :* novam *laudem* rebus sub tuo imperio felicitèr peractis addidit.

11. *Te :* septiès idem *te*, in strophis sequentibus repetitur; è suprà dictis patet Horatii consilium. — *Cantaber non antè domabilis :* de Cantabris et eorum pertinaciâ vide suprà, Od. III, 8, 22, et notam in h. l. — *Medus :* Parthus, ut passìm. — *Indus :* confer suprà, I, 12, 56. — *O tutela præsens :* qui

Nilusque [12], et Ister, te rapidus Tigris,
Te belluosus qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis,
Te non paventis funera Galliæ
Duræque tellus [13] audit Hiberiæ;
Te cæde gaudentes Sicambri
Compositis venerantur armis.

absentem Jovem Romæ protectorem, eo solo minor, vivus in terris repræsentas.

12. *Te, fontium qui celat origines Nilus:* jàm remotas populorum ab Augusto devictorum terras per flnvios eas alluentes designat : per Nilum quidèm Ægyptum; per Istrum, vèl Dannbium, Daciam; per Tigrim, Armeniam. Porrò Nili fontes veteribus ignotos recentiorum viatorum investigationibus innotuisse constat. — *Te belluosus Oceanus :* mare Gallo-Britannicum (gallicè, *la Manche*), tùnc temporis balænis et aliis monstris marinis scatens, teste Plinio IX, 5; quæ quidèm hodiè ibì multò rariora, in partes septentrionales emigrâsse videntur.

13. *Te non paventis funera Galliæ tellus :* de fortitudine majorum nostrorum in bello mortem non reformidantium confer Cæsar. B. G. VI, 14; Lucan. I, 460 et sqq. — *Audit :* tuis jussis audientem se præstat. — *Duræ Hiberiæ :* Hispaniæ à populis bellicosis habitatæ. — *Te cæde gaudentes Sicambri :* de Sicambris vide suprà, Od. IV, 2, 36. — *Compositis armis :* arma deponentes et arbitrio tuo sese permittentes.

ODE DECIMA QUINTA.

AUGUSTI PACIFICI LAUDES.

Quod in quinto hujusce libri carmine de civilibus Augusti virtutibus præconium inchoaverat, in sequenti absolvit Horatius. Omnia per Imperatorem in melius mutata, mores emendatos, novas leges conditas, agrorum et urbium securitatem assertam, datam universo orbi pacem, vindicatam denique, neque ulteriùs, vivo Cæsare, violandam Imperii majestatem celebrat.

Phœbus volentem prælia me loqui
Victas et urbes increpuit lyrâ [1],
Ne parva Tyrrhenum per æquor
Vela darem. Tua, Cæsar, ætas [2]

1. *Phœbus increpuit lyrâ :* Phœbus ad me *volentem prælia* canere accurrit, præsentiamque suam sonis è lyrâ suâ excitatis testatus, temeritatem meam *increpuit*, h. e. vituperavit, monuitque *ne*, etc. Dei cujuslibet præsentia signo aliquo sensus afficiente confirmari debebat, ità ut omne dubium procùl amoveretur, et jussa ejus ineluctabilem obtinerent exitum. Sìc et Virgilius, dùm ad canendos reges et prælia, vates hactenùs bucolicus, accingitur, de suâ temeritate ab eodem Phœbo admonetur, qui ei *aurem vellit;* Eclog. VI, 3 et 4. — *Ne parva Tyrrhenum per æquor Vela darem :* metaphoricè; ne fragiliori cymbâ me procellosis fluctibus committerem, h. e. ne carmina vires meas superantia tentarem.

2. *Tua, Cæsar, ætas :* nota vim illius vocis, *tua;* ætas quam verè *tuam* appellari fas est, cùm à te uno defluant omnia bona quorum ea testis est. Nec vana et adulatoria canit Noster. Ætas enìm illa à posteris Augusti nomine insignita est, ut seculum

Fruges et agris rettulit uberes,
Et signa nostro restituit Jovi
Derepta Parthorum superbis
Postibus, et vacuum duellis
Janum Quirini clausit [3], et ordinem
Rectum evaganti frænа licentiæ
Injecit, emovitque culpas,
Et veteres revocavit artes,
Per quas Latinum nomen et Italæ
Crevere vires, famaque et Imperî
Porrecta majestas ad ortum
Solis ab Hesperio cubili.
Custode rerum Cæsare, non furor

decimum septimum, recentiori tempore, apud omnes populos solo Ludovici decimi quarti nomine decoratur. — *Rettulit :* propriè : antè Augustum agri bellis civilibus vastati, eo imperante, priscam fertilitatem receperunt. — *Et signa nostro restituit Jovi:* de signis militaribus loquitur, quæ Crasso Parthi deripuerant, quæque, Augusto jubente, restituta, Jovisque Capitolini muris affixa, longæ pacis securitatem de quâ imprimis hic agitur, promittebant. Vide *Argumentum* suprà, Od. III, 5; et infrà, Epist. I, 18, 76.

3. *Et vacuum duellis Janum Quirini clausit :* templum Jani, ut satis notum est, flagrante bello aperiebatur, extincto autèm claudebatur. Vide de templo illo locum illustrem apud Livium, I, 19. Tèr sub Augusto clausum fuit, primùm quidèm anno U. C. 725, deinde 730, deniquè 734. *Janum Quirinum* sic vocatum fuisse testatur Macrobius, I, 9, ab hastâ, quam Sabini *Curim* vocant, quasi *armorum potentem;* undè à Lucano I, 62, *belliger* appellatur. Hic igitur *Janum vacuum duellis*, intellige Janum, pace compositâ, à cæris militaribus immunem. De *duellis* pro *bellis* vide suprà Od. III, 5, 38, et notam in h. l. — *Ordinem Rectum evaganti :* licentiæ, cujus ea est natura ut ultrà legitimos fines irrumpat. — *Emovitque culpas :* vitiorum causas legibus et exemplis resecuit. — *Veteres artes :* priscos mores, veterem disciplinam restituit. Sic suprà, Od. III, 3, 9 : *Hâc arte Pollux*, etc. Consule notam. — *Solis ab Hesperio cubili:* à mari Hispano ubi sol cubare vel occidere videtur.

Civilis, aut vis eximet otium [4],
Non ira, quæ procudit enses,
Et miseras inimicat urbes.
Non, qui profundum Danubium bibunt [5],
Edicta rumpent Julia; non Getæ,
Non Seres, infidive Persæ,
Non Tanaïm propè flumen orti.
Nosque [6] et profestis lucibus et sacris,
Inter jocosi munera Liberi,
Cum prole matronisque nostris,

4. *Eximet otium :* legitur quoque, *exiget ;* sensus idem. Neque civiles tumultus, neque violentia ab externo hoste ingruens pacem ab Augusto assertam turbabunt. — *Non ira :* vividus ultionis aut ambitionis impetus, quo incitante cives ad arma ruunt, *miseræque urbes* mutuum sibi bellum inferunt.

5. *Non qui profundum Danubium bibunt :* Germani, Rhæti, Daci. — *Non Getæ :* populi Scythiæ Europeæ, qui versùs Orientem et Pontum Euxinum sedes suas habebant, Gothi postea appellati. — *Edicta rumpent Julia :* leges ipsis ab Augusto impositas, qui *Julius* quoque dictus est à C. Julio Cæsare, à quo adoptatus fuerat. — *Seres :* Orientis populi, propè Indiam : eorum sylvæ bombycibus abundant; hinc panni serici. Ipsæ etiàm arbores lanam seu lanuginem mollissimam in froudibus ferunt, ex quâ vestes conficiunt indigenæ. — *Infidive Persæ :* Parthi, qui hìc perfidiæ arguuntur, quòd Crassum in insidias perductum dolo interemerant. — *Non Tanaïm propè flumen orti :* Scythæ, Tanais accolæ, qui fluvius (hodiè, *le Don*') Asiam ab Europâ dividit. Fluit à septentrione ad meridiem, et in Mæotidem paludem devolvitur.

6. *Nosque :* Suavissima oppositio! exclamat meritò doctiss. vir. Mitscherlich. Exteræ gentes nominis tui majestatem reverentur; nos, maximo felicitatis cumulo à te ornati, tenerrimo te amore amplectimur, non potestatem, sed beneficia tua venerati. — *Profestis lucibus et sacris :* omnibus quibusque, sivè festi sint, sivè non festi, anni diebus. — *Cum prole matronisque nostris :* pax enim et tranquillitas publica maximè ad domesticam felicitatem pertinent, et liberis conjugibusque et matribus gratissimæ sunt. Quapropter, idem præcipit Cicero, Catil. III, 10, in supplicatione ob servatam à se Rempublicam

Ritè Deos priùs apprecati,
Virtute functos, more patrum, duces 7,
Lydis remisto carmine tibiis, 3.
Trojamque, et Anchisen, et almæ
Progeniem Veneris canemus.

decretâ : *Celebratote illos dies cum conjugibus ac liberis vestris.* — *Ritè :* relligioso et solemni ritu. — *Priùs :* ab Jove enìm et à cæteris Diis principium. *Jupiter secundo Cæsare regnat :* vide suprà Od. I, 12, 52 et notam.

7. *Virtute functos-duces :* qui munus à naturâ et à patriâ sibi impositum, fortitèr et perseverantèr virtutis leges sequendo adimpleverunt. Sìc et ferè eodem sensu Cic. Tusc. I, 45 : *Nemo parùm diù vixit, qui virtutis perfectæ functus est munere.* — *Lydis remixto carmine tibiis :* vocem et cantus sociantes tibiarum sono ad Lydos modos accommodatarum. Lydi autèm modi erant graves, vigoris pleni, quales decebat esse eos quibus laudes Augusti celebrabantur. — *Trojamque et Anchisem, et almæ Progeniem Veneris canemus :* sìc, quòd Augusto maximè arridere debebat, non Imperatorem solum, sed totam adeò Cæsaris à primâ origine familiam in quam Augustus per adoptionem intraverat, Noster uno eodemque tenore complectitur. Confer ad h. l. Virg. Georg. III, 34 : *Stabunt et Parii lapides, spirantia signa, Assaraci proles,* etc.

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM

LIBER QUINTUS,

SIVE

EPODON.

ODE PRIMA

AD MÆCENATEM.

Cum Mæcenas, Augusto bellum contrà Antonium et Cleopatram sustinenti fortitèr operam navaturus, de trajectu in Græciam cogitaret, et jàm ad Italiam relinquendam sese accingeret, Horatius, quamvìs, ut ipse fatetur, imbellis ac firmus parùm, *sese patrono suo periculorum et laborum militarium comitem offert, nullâ quidem lucri spe adductus, sèd ut sese acceptis jàm beneficiis dignum præbeat, nullas sortis vices, modò eas cum amico partiatur, reformidans.*

Cùr autèm liber ille Epodon *nomine insigniatur intèr eruditos non convenit, quorum opiniones perpendere et suis quasque argumentis innixas evolvere cùm longum nimìs et fastidiosum foret, satis sit duas referre præcipuas. Alii volunt hunc librum* Epodon *nomine inscriptum fuisse, quià multis annis post quatuor alios libros, et defuncto Horatio evulgatus, titulum ab editoribus accepit, quo odis præcedentibus superadditus fuisse indicaretur; vocem igitur* Epodon, *a duobus vocibus Græcis ἐπὶ ᾠδῶν deducunt, quæ,*

verbo ad verbum, post odas, *latinè verti possent. Alii, intèr quos Juvencius, volunt* librum Epodon *nihìl aliud significare quàm librum qui continet versus* ἐπῳδούς. *Porrò, inquiunt, Epode, sivè Epodus, vocatur versus minor, imprimis iambicus dimeter, id est, pedum quatuor, qui majori subjungitur, et quasi accinit;* ἐπᾴδω *enìm significat,* accino, *undè vox* ἐπῳδὴ, *seu* ἐπῳδός; *estque majoris versûs quasi clausula iste versiculus quo sententia tota clauditur et absolvitur. Indè nomen huic libro carminum quinto factum, ut liber Epodon, sivè Epodorum diceretur, quiâ primæ illius odæ constant alternis ejusmodi versibus brevioribus.*

Quidquid sit de hâc satìs futili disceptatione sentiendum, Sanado et, ad Sanadonis exemplum, recentiores Horatii interpretes nonnulli nodum gladio solverunt, titulum ipsum Epodon *abolendo, et librum solo* quinti lyricorum *nomine appellando; quos quidem sequi non dubitavissemus, nisi vim et metum incussisset universa antiquissimorum mss. fides, et ea, quæ sempèr plurimùm valet, è priscâ consuetudine auctoritas.*

Ibis Liburnis inter alta navium,
Amice, propugnacula [1],
Paratus omne Cæsaris periculum
Subire, Mæcenas, tuo.
Quid nos [2], quibus te vita sit superstite
Jucunda; si contra, gravis?
Utrùmne jussi persequemur otium,

1. *Ibis Liburnis inter alta navium, Amice, propugnacula*: de navibus Liburnis jàm actum est suprà, Od. I, 37, 30. Per eas autèm naves, celeritate magis quàm magnitudine et altitudine insignes, intelligenda est Augusti classis, cui opponuntur, ad augendam periculorum à Mæcenate aditorum copiam, *alta* classis Antonii et Cleopatræ *propugnacula,* id est, naves à Floro, IV, 11, tàm graphicè descriptæ, *turribus atque tabulatis allevatæ, quæ castellorum et urbium species* præ se ferebant, et de quibus Virgil. Æneid. VIII, 690: *Tantâ mole viri turritis puppibus instant.*

2. *Quid nos?* sententiæ nexus: cùm tu, tantus vir, Augusto et Imperio utilissimus, formidandam illam bellorum aleam subire non recuses, àn putas, me, tibi devotum, è longinquo tua pericula auditurum, etc. — *Jussi:*

Non dulce, ni tecum simùl?
An hunc laborem mente laturi, decet
Quâ ferre non molles viros?
Feremus [3]; et te, vel per Alpium juga,
Inhospitalem et Caucasum,
Vèl Occidentis usque ad ultimum sinum,
Fòrti sequemur pectore.
Roges, tuum labore quid juvem meo,
Imbellis, ac firmus parùm?
Comes minore sum futurus in metu [4],
Qui major absentes habet.
Ut assidens implumibus pullis avis [5]
Serpentium allapsus timet,
Magìs relictis; non, ut adsit, auxilî
Lătura plùs præsentibus.
Libentèr hoc, et omne [6] militabitur

quidquid è contrà jubeas; quod enìm mihi præscribere tua in me suadet amicitia, hoc mea in te fides exsequi vetat; in eo solo me non obsequiosum præstare certus sum.—*An hunc laborem mente laturi :* nonnè potiùs decet me dignos amico sensus induere, novumque robur assumere, ut bellicos labores, comes indivisus, feram?

3. *Feremus :* susceptum Mæcenatem sequendi consilium energicè confirmat per hanc exclamationem, *feremus,* quâ se in militare sacramentum, ut ità dicam, adigit. — *Inhospitalem et Caucasum :* vid. suprà Od. I, 22, 6, et notam in h. l. — *Vel Occidentis usquè ad ultimum sinum :* id est, usque ad fretum Gaditanum, quod ad Italiæ occidentem positum tùnc temporis ultimus terræ terminus habebatur.

4. *Comes, minore sum futurus in metu :* sìc Andromache in Senec. Troade, 513 : *Leviùs solet timere, qui propiùs timet.*

5. *Ut assidens,* etc. *:* ut avis implumibus pullis quibus assidet, timet quidèm serpentium allapsus; magìs tamèn timet, si eos aliquantisper deseruerit, quamvìs, præsens, non majus auxilium ipsis afferre debeat. Adhibità eâ quam prætulimus interpunctione, sensus, in quo elucidando nimiùm operæ consumpserunt interpretes, obvius patet.

6. *Hoc et omne :* sìc se non fugitivo quodam amicitiæ æstu abreptum, sed constanti et per-

Bellum, in tuæ spem gratiæ;
Non ut juvencis illigata pluribus
Aratra nitantur mea,
Pecusve Calabris, antè sidus fervidum,
Lucana mutet pascuis;
Nec, ut superni villa candens Tusculi
Circæa tangat mœnia 7.
Satis supèrque 8 me benignitas tua
Ditavit; haud paravero

petuo consortio obligatum profitetur. — *In tuæ spem gratiæ :* non aliam ob causam quàm ut tibi placeam, quæ summa votorum meorum est; quòd protinùs eloquenti simùl et delicatâ *expolitione* evolvet. — *Non ut juvencis illigata pluribus Aratra nitantur mea :* non necesse est ad eam figuram recurrere quæ rhetoribus *hypallage* vocatur, et sic vertere : non ut plures juvenci illigati aratris meis terræ quam scindunt obnitantur. Aratra enim contrà solum obniti, et juvencis illigari, rectissimè dici possunt. Pro, *mea*, in plerisque codicibus legitur, *meis :* cum Bentleio et Dæring malui legere *mea*, quam vocem orationis concinnitas postulare videtur. — *Pecusve Calabris antè sidus fervidum Lucana mutet pascuis :* nec ut greges mei (quod ad solos divites et latifundiorum possessores pertinebat), antè ardentem Caniculæ temperiem, à Calabris agris, regione æstuosâ, suprà Od. I, 31, 5, in frigidiorem et umbriferis saltibus abundantem Lucaniam transferantur. Vim vocis hujus, *mutet*, jàm notavimus, suprà, Od. I, 17, 1 et 2, ad eos versus : *Velox amœnum sæpè Lucretilem Mutat Lycæo Faunus ;* quem l. consule.

7. *Nec ut superni villa candens Tusculi Circæa tangat mœnia :* villa Horatii in Sabino agro sita, ut ipse nos docuit in hoc versu, Od. II, 18, 14 : *Satis beatus unicis Sabinis*, ab urbe Tusculo quinque ferè millibus, id est duabus leucis distabat. Innuit igitur nolle se villulæ suæ agros ità continuare, ut ad Tusculi portas sivè suburbium porrigantur. Igitùr sic struenda est verborum series : *Nec ut villa candens*, h. e. tida et elegans, nihil amplius; *tangat mœnia Circæa*, à Telegono Circes filio condita, supr. Od. III, 29, 8; *Tusculi superni*, in edito colle positi, undè loco citato, Tusculum, *Telegoni fuga parricidæ*, per periphrasim nominatur.

8. *Satis superque*, etc. : sic suprà, Od. II, 18, 13 : *Nec largiora flagito.* — *Haud paravero*,

Quod aut avarus, ut Chremes, terrâ premam;
Discinctus aut perdam ut nepos.

etc. : non in meis votis est immensas coacervare divitias, quæ possidentem vulgò aut ad turpem avaritiam, aut ad dementem prodigentiam impellunt. — *Chremes :* persona græcæ comœdiæ cujusdam, à Menandro scriptæ, cui titulus, *Thesaurus;* in quâ Chremes aurum in monumento defodisse fingitur. Nomen istius Chremetis, ut, apud nos, nomen Harpagonis., in proverbium et communem fabulam transierat. — *Discinctus ut nepos :* in hanc vocem, *nepos,* audiendus est Festus : *Luxuriosæ vitæ homines* nepotes *appellantur, quòd non magìs his rei suæ familiaris cura est, quàm iis quibus pater avusque vivunt.* — *Discinctus :* solutâ, laxâ veste conspicuus, ut solebant Romæ effeminati nebulones, et quoscumque deliciis et luxu diffluere se palàm fateri non pudebat. Hìnc, per pulcherrimam metonymiam epitheton illud ad *otia* transtulit Ovidius, Amor. I, 9, 41 : *Ipse ego segnis eram, discinctaque in otia natus.*

ODE SECUNDA.

LAUS VITÆ RUSTICÆ.

Indicaturus poeta quàm sævum in animos imperium inveteratæ cupiditates exerceant, Alfium quemdam feneratorem introducit, qui tranquillâ ruris felicitate commotus, agrestis vitæ delicias summâ cum voluptate enumerat, iisque divitiarum suarum indignè congestarum turpitudinem cruciatusque longè posthabere videtur. Cùm autèm per selectam suavissimarum imaginum seriem sese artis suæ pœnitentem et ad meliora adductum exhibuit, en subitò Sapientiæ consilia evanescunt; redit infamis lucri amor, et rursùs in fenore totus, agris quos modò tàm sincerè celebrabat, æternum vale dicit.

Mirum in eo carmine poetæ artificium. Non nisi in fine apparet Alfius, ità ut per totum odes tenorem poetam solum loqui lector existimet, nec quidquam de carminis exitu suspicetur. Sic nihil tale prævidenti altiùs infigitur, gratiùsque simùl supervenit morale præceptum quod incutere voluit Horatius, quodque non semèl in cæteris locis expressit:

> Naturam expellas furcâ; tamèn usque recurret,
> Et mala perrumpet furtim fastidia victrix.

Omnem verò, sed præcipuè vitiorum consuetudinem, in alteram naturam abire quis ignorat?

BEATUS [1] ille qui procùl negotiis,

1. *Beatus:* majorem vim habet quàm alia quæcumque synonyma vox, ut *felix*, *fortunatus*, etc. *Neque enim*, inquit Cicero, *huic verbo, cùm beatum dicimus, subjecta notio est, nisi, secretis malis omnibus, cumulata bonorum complexio.—Pro-*

Ut prisca gens mortalium
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore.
Neque excitatur classico miles truci [2],
Neque horret iratum mare,
Forumque vitat, et superba civium
Potentiorum limina.
Ergò [3] aut adultâ vitium propagine
Altas maritat populos;
Inutilesve falce ramos amputans,
Feliciores inserit;

cùl negotiis, quæ non nihil sempèr sollicitudinis et periculi secum afferunt. — *Ut prisca gens mortalium :* exemplo primorum hominum qui, aurcâ ætate, aratores aut pastores ferè universi erant. — *Paterna rura :* ut modestiam possidentis notet, expressè et cum vi dicit, *paterna*, à majoribus jure hæreditatis transmissa, non immensis accessionibus amplificata. Confer suprà, Od. I, 1, 11 : *Gaudentem patrios findere sarculo Agros*, et passim. — *Suis :* non conductis, quod non legitimi possessoris, sed villici esset. — *Solutus omni fenore :* liber ab iis curis quæ pecuniam magnâ cum usurâ sivè commodantes sivè mutuantes sollicitant. Ne excidat insignem feneratorem loqui.

2. *Neque excitatur classico miles truci :* in eo versu, et in tribus quæ sequuntur, complectitur Noster omnia in quibus cœtanei sui vitam miserrimè consumebant. Confer apud Virg. Georg. II, 461, in celeberrimo, nunquàm tamèn satis laudato vitæ rusticæ præconio, sententias et imagines Horatianis simillimas : *Si non ingentem*, etc. *Sollicitant alii remis freta cæca*, etc. Nihil studiosæ juventuti utilius, nihil ad informandum judicium istis collationibus aptius.

3. *Ergò :* quasi objectioni occurrens quâ vir rusticus damnosi otii argueretur, sui sunt, respondet, viro rustico labores, sed labores placidi, innocui, et summâ voluptate perfusi. *Ergò*, etc. — *Adultâ vitium propagine Altas maritat populos : propago* (gallicè, *un provin*) est ramus vitis inflexus qui, terræ immissus, undè stirps ducit originem, suâptè vi radices agit, neque priùs à materno corpore reciditur quàm adoleverit, et ipse in novam stirpem creverit, quæ populis ulmis aliisque id genus arboribus jungitur, *maritatur*. — *Feliciores inserit :* insitionem notat (gallicè, *l'ente*,

Aut in reductâ valle, mugientium
Prospectat errantes greges [4];
Aut pressa puris mella condit amphoris;
Aut tondet infirmas oves.
Vèl, cùm decorum mitibus pomis caput
Auctumnus arvis extulit,
Ut gaudet insitiva decerpens pyra,
Certantem et uvam purpuræ,
Quâ muneretur te, Priape, et te, pater
Sylvane, tutor finium!
Libet jacere modò sub antiquâ ilice,
Modò in tenaci gramine [5].
Labuntur altis interìm ripis aquæ;
Queruntur in sylvis aves,
Frondesque lymphis obstrepunt manantibus,

la greffe) unum ex ntilissimis et jucundissimis simùl agriculturæ operibus, quod qui poeticè descriptum noscere velit, adeat Virg. Georg. II, 74 : *Nàm quà se medio trudunt de cortice gemmæ*, et quæ sqq.

4. *Mugientium greges :* ita et Virg. loco jàm citato : *Mugitusque boum, mollesque sub arbore somni Non absunt.* — *Pressa mella :* expressa è favis et à ceris secreta. — *Aut tondet infirmas oves :* oves, pecus naturâ suâ infirmum, vellerum pondere, quo gravarentur, sublevat. — *Vel cùm decorum*, etc. suavissimâ imagine, pro simplici : cùm auctumnus advenit. — *Mitibus pomis :* maturis. — *Ut gaudet insitiva decerpens pyra :* quæ ipse *inserendo*, quasi creavit; pyra proprio labore parta; quod quidèm multùm dulcedinis fructibus addere videtur. — *Certantem et uvam purpuræ :* confer suprà, Od. II, 5, 12, et vide notam. — *Priape :* Priapus, hortorum custos, et custodiendis frugibus invigilans. *Pater Sylvane :* unus è diis qui agriculturæ præsidebant, à Virgilio invocatus in initio Georgicon.

5. *Tenaci gramine :* quod densum et altis radicibus terræ adhærens, vix ac ne vix quidèm evelli potest. — *Frondesque lymphis obstrepunt manantibus :* in plerisque pro *frondes* legitur *fontes*, quæ lectio in eam quam adoptandam censuimus, à Marcklando primùm conversa est, et id quidèm felicissimè. Fidem facit locus è Propertio depromptus, huic Nostri omninò similis.

Somnos quod invitet leves.
At, cùm tonantis annus hybernus Jovis [6]
Imbres nivesque comparat,
Aut trudit acres hìnc et hìnc multâ cane
Apros in obstantes plagas;
Aut amite levi rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos,
Pavidumve leporem, et advenam laqueo gruem
Jucunda captat præmia.
Quis non malarum, quas amor curas habet,
Hæc inter obliviscitur [7]?
Quòd si pudica mulier [8] in partem juvet

Lucus erat felix, hederoso consitus antro, Multaque nativis obstrepit arbor aquis.

6. *At cùm tonantis annus hybernus Jovis;* ut modò Auctumnum, sic nùnc Hyemem per poeticam periphrasim notat. Annus autèm hic pro anni parte sumitur per epitheton definitâ, pro eâ tempestate quæ *hyems* appellatur. Porrò quòd his vocibus, *tonantis Jovis,* poeta utatur nil mirum, cùm in Italiâ sub finem auctumni, quandò instat *nivium et imbrium* tempus, tonitribus aer frequentèr resonet. Sunt tamèn qui, per tonantem Jovem, aerem ventosum, procellosum simpliciùs intelligunt. — *Plagas :* plagæ sunt retia densiùs contexta; retia verò rarioribus laxioribusque intervallis compinguntur.—*Amite levi :* ames, bacillus est aut virga, oblonga, teres et polita, in quâ retia ità explicantur, ut facilem introitum avibus aut feris præbeant, celeritèr verò et rapidâ machinatione in se redeuntia, prædam captivam retineant. — *Turdis edacibus dolos :* turdus (gallicè, *la grive*) avis peregrina, naturâ suâ voracissima, et eò, illecebris dolosæ escæ semèl appositis, captu facillima. — *Laqueo :* jungenda hæc vox cum verbo *captat,* versùs sequentis. — *Jucunda præmia :* præda enìm venatica venatori laborum et patientiæ dulcissima merces.

7. *Quis non malarum, quas amor curas habet, Hæc inter obliviscitur?* otiosa urbanorum hominum vita cupiditatibus viam aperit, quæ *curis* et iis quidèm *malis,* h. e. crudelibus, immiscentur, dùm vir rusticus, *hæc inter,* h. e. innocuorum sivè laborum sivè voluptatum serie detentus, mores ab omni labe puros servat.

8. *Quod si pudica mulier,* etc. longa admodùm periodus ad ver-

Domum atque dulces liberos,
Sabina qualis, aut perusta solibus
Pernicis uxor Appuli,
Sacrum vetustis exstruat lignis focum,
Lassi sub adventum viri;
Claudensque textis cratibus [9] lætum pecus,
Distenta siccet ubera;
Et horna dulci vina promens dolio,
Dapes inemptas apparet:

sum usque sexagesimum, *Has inter epulas*, etc. continuatur, cujus ideò sensum paucis restringere placuit. Quòd si, inquit bonus ille Alfius, ad ea quæ mox enumeravi bona id felicitatis accedat ut mihi adjungatur uxor qualem rure tantummodò sperare licèt, pudica, rei domesticæ attenta, marito suo salubritèr alendo natisque rectè informandis providens, tùnc mihi sordebunt magìs ac magìs urbis deliciæ, superbusque mensarum urbanarum apparatus, quibus dapes simplices et inemptas longè prætulerim.

Nùnc ad verba singulatìm evolvenda redeamus. — *In partem :* recte quidèm; non omnia enìm munia domestica feminam decent. — *Juvet domum :* communibus familiæ commodis, pro viribus et sexûs sui verecundiâ, inserviat. — *Dulces liberos :* sivè infantes eos lactando, sivè ætate firmiores ad mores, ad virtutem, ad labores ætati eorum congruos informando. — *Sabina qualis :* Appularum, maximèque Sabinarum mulierum castitas, frugalitas, laborumque patientia jamdudùm et ab exordio Romæ in proverbium transierat, teste Livio I, 18. Confer pulcherrimum Statii locum, Silv. V, 1, 22, ex illo loco Horatii expressum. — *Perusta solibus :* nigra laboribus ad solem æstivum, præcipuè messium tempore, toleratis. — *Sacrum focum :* deorum domesticorum imaginibus consecratum. — *Exstruat lignis focum :* per familiarem scriptoribus latinis hypallagen, pro, *exstruat ligna super focum.* Sic Cic. Tuscul. V, 21 : *Mensæ conquisitissimis dapibus exstruebantur;* sìc et Ovid. Metam. XI, 119 : *Mensas posuêre ministri Exstructas dapibus.*

9. *Textis cratibus :* stabula aperta intelligit è vimineis cratibus contexta (gallicè, *des parcs formés de claies*). — *Lætum pecus :* luxurians subsiliensque ad bonam corporis habitudinem. — *Siccet :* mulgeat. — *Horna vina :* vina eodem anno confecta, quo bibuntur. — *Da-*

Non me Lucrina juverint conchylia [10],
Magisve rhombus, aut scari,
Si quos Eoïs intonata fluctibus
Hyems ad hoc vertat mare;
Non Afra avis descendat in ventrem meum,
Non attagen Ionicus
Jucundior, quàm lecta de pinguissimis
Oliva ramis arborum,
Aut herba lapathi prata amantis [11], et gravi
Malvæ salubres corpori,

pes inemptas : dicere solebat Cato patrem-familias vendacem, non emacem esse oportere. Confer Virgil. Georg. IV, 132.

10. *Lucrina conchylia :* ostrea cæterique ejusdem generis pisces è Lucrino lacu petiti, optimi saporis habebantur. Lucrinus lacus à Virgil. memoratus, Georg. II, 161, in Puteolano Campaniæ sinu minor est sinus, inter Baias et Puteolos. — *Rhombus :* (gallicè, *le turbot*) piscis nobilissimus. — *Scari :* (gallicè, *le sarget*) vid. Hist. nat. piscium à clar. vir. comite de Lacépède, t. VI, p. 275, in-12, 1793. In eâ tantùm parte maris Mediterranei capiebantur, quæ vergit ad orientem. Accidebat aliquandò tamèn ut jactatis tempestate fluctibus, abscederent velùt à patriâ longiùs, et in vicina Italiæ maria delaberentur. — *Eoïs intonata fluctibus :* cum vi et fragore incussa tempestas. Sic omnes vertunt interpretes, quamvis vox illa, *intonata*, è *neutro* verbo derivata et terminationem passivam contrà solitas grammaticæ leges induens, mihi nonnihil suspicionis moveat textum à primâ origine fuisse adulteratum. — *Ad hoc mare :* ad mare Italicum. — *Afra avis :* gallina Numidica (gallicè, *la poule d'Afrique*, alitèr, *la Pintade*, ut rectè scribit Buffo, Hist. nat. avium, t. III, p. 234, in-12, edit. Lupar. 1772). — *Attagen Ionicus :* de attagene, vid. Aristot. Hist. animal. IX, 37 (gallicè, *francolin*). De isto avium genere, consule post Aristotelem, Plin. Hist. nat. X, 49; et Buffon. de avibus, t. III, p. 367, edit. Lup. in-12. — *Jucundior :* refer ad verbum superius, *descendat.*

11. *Lapathi prata amantis : lapathum* à voce græcâ λαπάζειν, quod est mollire, solvere (gallicè, *l'oseille*), quià ventri laxando idonea est. Vide infrà, Sat. II, 4, 29. — *Et gravi Malvæ salubres corpori :* malva (gallicè,

Vèl agna festis cæsa Terminalibus,
Vèl hædus ereptus lupo.
Has intèr epulas, ut juvat [12] pastas oves
Videre properantes domum!
Videre fessos vomerem inversum boves
Collo trahentes languido!
Positosque vernas, ditis examen domûs,
Circum renidentes Lares!

Hæc ubì locutus fenerator Alfius [13],
Jamjàm futurus rusticus,

la mauve). De eâdem Martial. X, 48, 7 : *Exoneraturas ventrem mihi villica malvas Attulit.* — *Vel agna festis cæsa Terminalibus :* festa in honorem dei Termini mense februario celebrabantur. Vid. Ovid. Fast. II, 639 et sqq. — *Vel hœdus ereptus lupo :* sìc frugalis cœnæ apparatum describens Martial. X, 48, 13 : *Unâ ponetur cœnula mensâ Hœdus, inhumani raptus ab ore lupi :* hœdus igitur vulneratus, nec jàm integer, qui aliundè periturus fuisset, quem igitùr minimo hœdilis nostri damno comedere licebit.

12. *Has intèr epulas ut juvat*, etc. : suavissimas illas rusticæ vitæ imagines graphicâ vespertini spectaculi descriptione egregiè concludit Alfius. Nihil in illâ picturâ non perfecti, non absoluti est. Attende quàm doctâ oppositione ovibus illis benè pastis, et ideò reditum ad stabula lætè accelerantibus, subjungat boves illos, diurno labore exhaustos, tardo pede incedentes, et collo depresso præ fatigatione, trahentes ægrè et quasi invitos aratrum cujus vomer est inversus. —*Vernas :* verna, servus erat domi natus.— *Ditis examen domûs : Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni;* Tib. II, 1, 23. — *Positos circùm renidentes Lares :* Larium statuas ab igne circùm accenso refulgentes, quosque numerosa ambit servorum corona.

13. *Hæc ubi locutus fenerator Alfius :* vid. *Argumentum.* — *Jamjàm futurus rusticus :* ironicè ; Alfius quem sincero et vivido rusticationis amore captum, rus illicò migraturum jurares. — *Omnem redigit Idibus pecuniam :* pecuniam quæ ingenti usurâ debitoribus credita fuerat, mediâ mensis parte vix elapsâ, exegit; quo consilio?

Omnem redegit Idibus pecuniam;
Quærit Calendis ponere. 70

scilicèt ut illam omnem in acquirendo agresti quodam dominio collocaret. Sed eccè, abjecto rusticandi proposito, jàm de unâ re sollicitus est, nempè quomodò illam Calendis proximis possit rursùs magno fœnore *ponere*, h. e. commodare.

ODE TERTIA

AD MÆCENATEM.

In allium, ex quo graves stomachi cruciatus expertus fuerat, cum furore facetissimo invehitur Horatius.

Parentis olim [1] si quis impiâ manu
Senile guttur fregerit,
Edat cicutis allium nocentius.
O dura messorum ilia [2]!
Quid hoc veneni sævit in præcordiis? 5

1. *Parentis olim*, etc. : omnes circumstantias è consilio agglomerat, quibus scelestissimi hominis parricidium amplificetur. — *Impiâ manu;* non fortuitò, non vivido quodam et abrupto furoris impetu, sed proposito certo et longè anteà cogitato. Pater autèm fingitur, non maturâ ætate pollens, et qui se defendere valeat; sed imbellis, sed viribus præ senio destitutus, quo nihil ad commovendam miserationem vulgò aptius. Non gladio pectus senex ille perfoditur, sed *frangitur* ei *senile guttur*, quod non ad latronem et vulgarem homicidam, sed propriè ad tortorem pertinet. Quot in uno scelere scelera cumulantur! Quo tamèn supplicio tam immane nefas expiabitur? Nullo alio quàm si parricida, cicutæ loco, ad succos ex allio expressos damnetur. Hanc unam invenit poeta dignam facinore ultionem.

2. *O dura messorum ilia!* allium, pars edulii quo messores et alii viri agrestes vesci solebant, in regionibus præsertim æstuosis. Notum omnibus illud Virgilianum: *Thestylis et rapido fessis messoribus æstu* Allia *serpyllumque herbas contundit olentes.* Eclog. II, 10. — *Sævit :* pro simplicè, serpit, multò vividiùs.

Nùm viperinus his cruor
Incoctus herbis me fefellit? àn malas
Canidia tractavit dapes?
Ut [3] Argonautas prætèr omnes candidum
Medea mirata est ducem,
Ignota tauris illigaturum juga,
Perunxit hoc Iasonem;
Hoc delibutis ulta donis pellicem,
Serpente fugit alite.
Nec tantus umquàm siderum insedit vapor
Siticulosæ Apuliæ;
Nec munus humeris efficacis Herculis

— *Viperinus cruor:* vid. suprà Od. I, 8, 10 et notam. — *Me fefellit:* inscio me, isti allio incoctus et immixtus est. — *Canidia:* insignis venefica, cujus scelera infrà, Od. XVII, insectaturus est.

3. *Ut:* postquàm. — *Argonautas:* Argonautæ fuerunt insignes quidam Græci, sic dicti ab navi Argo, quâ in Colchidem vecti sunt, ut vellus aureum indè asportarent, quod indomiti tauri et ignem spirantes custodiebant. Dux totius expeditionis Jason, qui ope ac beneficio Medeæ tauros domuit, vellus abstulit. — *Pellicem:* Creüsam, sive Glaucam, filiam Creontis regis Corinthi, quam Jason cùm prætulisset Medeæ, ista misit ad Creüsam, monile, vestem, et alia id genus munera, imbuta præsentissimo veneno (quod aliud non fuisse quàm allium Horatius joco dicit), mox, detectâ fraude, cùm eam insequeretur Jason, curru quem angues alati trahebant vecta, fugit. At enim quarè nihil nocuit allium Jasoni, quod exitiale tum Creüsæ, tum Herculi fuit? Dicendum est Medeam, aut magicis artibus, aut aliquo antidoto effecisse ne Jasoni noceret. Dici etiàm potest allium non fuisse ipsum quidèm venenum, sed venenis additum, ut majorem vim haberent. Hanc enim allii naturam et dotem esse affirmant. Juvenc. — *Siderum vapor:* sidera æstiva intelligit, præcipuèque Sirium, quorum ortu *insidet*, incubat terris, maximè *siticulosis*, aridis, aquâ carentibus, vapor teterrimus, quo viscera animantium torrentur. De Apuliâ *aquæ paupere* vide suprà Od. III, 30, 11 et notas. — *Efficacis Herculis:* efficax rectè dicitur, qui sempèr promptus fuit ad res vèl difficillimas, stre-

Inarsit æstuosius.
At, si quid unquàm tale concupiveris [4],
Jocose Mæcenas, precor
Manum puella savio opponat tuo,
Extremâ et in spondâ cubet.

nuè, impigrè, felicitèr efficiendas. Nessus Centaurus Dejaniram Herculis uxorem rapere cùm tentaret, ab eo sagittis confixus est: moriens pallam, seu indusium tinctum sanguine suo, qui præsentissimum erat venenum, Dejaniræ dedit, affirmans Herculem, si illud indueret, nunquàm aliam amaturum : induit Hercules, et arcano statim igne correptus, deflagravit. JUVENC.

4. *At, si quid nunquàm tale concupiveris :* si tibi in mentem venire posset, ut execrando legumine, quod etiàm nominare renuo, utereris. — *Jocose Mæcenas :* familiare admodùm epitheton, undè colligi potest, in cœnâ apud Mæcenatem apparatâ, non ignarum quantum ab allio abhorreret Horatius, positum fuisse Nostro ex industriâ ferculum allio ità confertum, ut illud degustando, convivis omnibus, et Mæcenati imprimis, risum moverit. Non malè igitùr hìc patronum suum, *jocosum* appellare non dubitat, quod alitèr non decere videretur. — *Manum puella savio opponat tuo : Dixit, et oppositâ propellens savia dextrâ Prosilit;* Prop. II, 29, 39. — *Extremâ et in spondâ cubet :* extrema lecti parte, à te semota, ne allio fœtorem contrahat.

ODE QUARTA

IN LIBERTUM QUEMDAM FORTUNA SUA INSOLENTER SUPERBIENTEM.

Vulgò quidèm hoc carmen : In Sext. Menam, Pompeii libertum, *inscribitur; sed rectè deleta est hæc inscriptio ab interpretibus recentioribus. Nàm cùm de tribuni militum honoribus, quos* Menas *gesserit, nihil aliundè constet, nec ea, quæ de servilibus pœnis in hoc carmine commemorantur, in eum cadere videantur, infamis denique ejus perfidia, quam vèl maximè poeta notaturus fuisset, ne verbo quidèm in eo notata fuerit; perperàm illud à veteribus scholiastis ad* Menam, Pompeii libertum, *relatum esse facilè apparet. Incidit autèm hoc carmen, ut ex versu* 19 *colligere licet, anno circitèr U. C.* 718, *quo exercitum contrà Pompeii servilem manum missurus erat Octavianus; scriptum est in ea tempora, quibus plures omninò, qui infimo loco nati tàm bonis quàm honoribus proscriptorum ad se translatis altiùs verticem extollerent. Ejusmodi igitùr hominem aliquem, cujus nomen scire nihil attinet, poeta in hoc carmine tanquàm in tabulâ depictum omnium derisui et contemptui proponit.* Doering.

Lupis et agnis [1] quanta sortitò obtigit,
Tecum mihi discordia est,

1. *Lupis et agnis :* eamdem comparationem instituit Homer. Iliad. X, 263; et Ovid. in Ibin, 41 : *Pax erit hæc nobis, donec mihi vita manebit, Cum pecori infirmo quæ solet esse lupis.* — *Sortitò :* non fortuitò, sed naturalitèr; sors enim pro fato, fatum, pro constanti, pro inconcusso rerum ordine sæpissimè

Ibericis peruste funibus latus,
Et crura durâ compede.
Licèt superbus ambules [2] pecuniâ,
Fortuna non mutat genus.
Videsne Sacram metiente te Viam
Cum bis trium ulnarum togâ,
Ut ora vertat hùc et hùc euntium
Liberrima indignatio?
« Sectus flagellis hic triumviralibus [3]
» Præconis ad fastidium,
» Arat Falerni mille fundi jugera,
» Et Appiam mannis terit,

usurpatur. — *Ibericis funibus :* Hispanis; spartum enìm à quo funes confecti erant, ab Hispaniâ, in quâ Iberus (*l'Ebre*), præcipuè petebatur. — *Peruste :* loris *uri,* elegantèr dicitur, pro, flagris cædi; flagrum ipsum à verbo *flagrare* derivatur, quiâ nempè eosdem ferè dolores ignis et flagellatio pariunt. *Loris non ureris, aio,* infrà, Epist. I, 16, 47.

2. *Ambules :* graphicè; præcipuè incessu patet superbia. — *Fortuna non mutat genus :* ad eam sententiam respexisse videtur magnus ille Cornel. : *Jamais un affranchi n'est qu'un esclave infâme; Bien qu'il change d'état, il ne change point d'âme ;* Cinna, act. IV, scen. 6. — *Viam Sacram :* unam ex iis quæ frequentissimo hominum concursu Romæ terebatur, in quâ sese plebi ostentare ideò gestiebat libertus iste. — *Metiente :* lento et composito gradu, ad longiorem sui ostentationem. — *Bis trium ulnarum togâ : tèr* in multis codicibus, pro *trium.* Bentleii emendationem secutus sum. — *Ut ora vertat hùc et hùc :* vèl aliò vertat ne te respiciat, ut indignantes solent : vèl, ora in te cupidè, et cum risu convertat; vèl, ora hùc illùcque agitet, in lævam, dextramque partem flectat, ut jocantibus usu venit. Juvenc. — *Liberrima indignatio :* quæ intrà pectus impatiens contineri, magnâ cum libertate in probrosas querelas erumpit.

3. *Flagellis Triumviralibus* : judicia de servis et furibus exercebant tres vulgò judices minores, qui Triumviri, seu Tresviri capitales dicebantur. Vide in hujusce collectionis Tacito, t. II, p. 118, Justi Lipsii de illo tribunali notam. — *Mannis : Manni* erant equi Gallici, parvi quidèm, sed velocitate suâ no-

» Sedilibusque magnus in primis Eques,
» Othone contempto, sedet!
» Quid attinet [4] tot rostra navium gravi
» Ærata duci pondere
» Contra latrones atque servilem manum,
» Hoc, hoc tribuno militum? »

biles. Vid. suprà Od. III, 27, 7. — *Appiam viam :* via Appia Româ ducebat Brundusium; sic vocata ab Appio cæco, à quo strata fuerat. — *Sedilibusque in primis :* in amphitheatro (locus erat undè spectabantur ludi, variis contignationibus constans, in quibus sedilia, alia aliis remotiora et editiora) pars theatro proxima, Orchestra dicebatur, senatoribus destinata; ordines sivè gradus quatuordecim indè retrò positi, erant addicti equitibus. Lucius Roscius Otho, Tribunus plebis, lege latâ anno U. C. 685, vetuerat ne quis prætèr equites in iis quatuordecim sederet ordinibus; imò eâdem lege cautum fuisse ne quis libertus in iisdem spectaret, locus iste Horatii demonstrat. Juvenc.

4. *Quid attinet*, etc. : cùr tanto apparatu classem instruimus ad debellandos servos et piratas, si ejusdem infamiæ homines, si liberti servilibus notis adhùc inusti, ad summos militiæ honores evehuntur? Alludit ad Sexti Pompeii exercitum è mancipiis et piratis in maximam partem conflatum, et ad quem debellandum Octavianus anno U. C. 718 profectus est. — *Rostra navium ærata :* per inversionem poetis familiarem, pro, *naves æratis rostris instructas.* — *Gravi pondere :* naves altas, capaces, magno remigum et militum numero oneratas. De eodem bello, vid. infra IX, 9 et 10.

ODE QUINTA

IN CANIDIAM.

Ad probrosa illa carmina, quibus vetularum amores petulantèr Noster insectatus est, pertinet imprimis hoc, quod in anili Canidiæ libidine diffamandâ versatur. E multis, quos insolentèr olìm tractasse videtur Canidia, amatoribus, unus tantùm, ut poeta narrat, ei relictus fuerat, ridiculus scilicèt quidam senex Varus, *et hic ipse alia simùl scorta sectans. Ab his igitùr cùm ejus animum non avertere posset formæ, quam ætas abstulerat, lenocinio, ad artem magicam, quâ ei vim faceret, confugere debebat libidine fervens Canidia. Hinc, sivè ista a superstitiosâ plebe verè pro venefica habita, sivè, quæ hoc nomine differretur, digna poetæ visa fuerit, nefanda, quæ furiosa anus ad libidinosi senis animum sibi uni devinciendum perpetraverit, enarrantur in hoc carmine scelera. In quibus cùm unum præcipuè atrocitate superaret cetera omnia, horrendum nempè illud consilium, quo ista ex pueri ingenui, fame enecti, medullâ et jecore efficacissimum philtrum conficere instituerit; hujus totius rei scenam in hoc carmine repræsentat, et Canidiam sacra magica cum tribus aliis administris Saganâ, Veiâ et Foliâ adornantem inducit. Adest puer, et cùm malum sibi à Canidiâ parari ex truci ejus in se defixo vultu animadvertit, eam, ut sibi parcat, per omnes deos rogat et obsecrat; sed frustrà! Puer, Canidiam nullâ suî miseratione tangi indignatus, omnia mala ei imprecatur et ultionem de suâ nece à Diis exigendam prænuntiat.*

« At [1], ô Deorum quid in cœlo regit

1. *At:* particula est notanda et ad exprimendam indignatio-

» Terras et humanum genus!
» Quid iste fert tumultus? aut quid omnium
» Vultus in unum me truces!
» Per liberos te [2], si vocata partubus
» Lucina veris affuit,
» Per hoc inane purpuræ decus precor,
» Per improbaturum hæc Jovem,
» Quid ut noverca me intueris, aut uti

nem aptissima, ut in illo Virgiliano, Æneid. II : *At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis, Dî, si qua est cœlo pietas, quæ talia curet, Persolvant grates dignas. — Quidquid Deorum :* notâ elegantiâ, pro, *per omnes deos*, quos imploro, qui mihi, ut generi humano, invigilare debent. — *Quid iste fert tumultus ?* raptus jàm puer à Canidiâ et ejus ministris miratur, non sine crudeli anxietate, quid sibi velit mulierum illarum concursus et trepidatio, quid *truces in* se unum oculi.

2. *Per liberos te :* benè puerum doloris quem è suo interitu parentes suscepturi sunt subit recordatio; itaque obtestatur Canidiam per maternum ejus, si liberos unquàm ediderit, animum, ut patrem matremque suam à luctu quem ipsa intelligere potest vindicet. — *Lucina :* dea quæ parientibus opem ferebat, nùnc Dianæ, nùnc Junonis cognomen, quòd partum in *lucem* emittat. — *Veris partubus* : justis, legitimis, non incestis et adulterinis. Legitimi enim partus magis amantur. Vel, si vera mater es, ut esse te credo, precor pro tuo ergà proprios liberos amore, ut alterius quoque filio parcas. Rectè hoc loco Torrentius interpretes arguit eos, qui volunt insimulari clàm à puero ipsam Canidiam, quasi veros nunquam partus ediderit, aiuntque solitas ejusmodi veneficas supponere sibi liberos et partum simulare, ut infantes aliundè abreptos alere domi impunè possent, quos diris posteà modis necarent; non est enim credibile puerum id illi, cujus captabat misericordiam, objecisse quo irritari meritò, et offendi posset. Juvenc. — *Inane purpuræ decus :* prætextam illam, puritiæ, innocentiæ igitùr et aliundè honestæ conditionis indicem; quæ omnia Canidiæ miserationem movere debuissent. *Inane* autèm illud *decus*, h. e. nihil mihi perituro profuturum. — *Per improbaturum hæc Jovem :* tanta momenta maximo et potentissimo religionis momento cumulat ingenuus puer, præ candore ignarus quàm parvi pendatur à scelestis deorum cultus et timor. — *Ut noverca :* per oppositio-

» Petita ferro bellua? »
Ut hæc trementi questus ore constitit
Insignibus raptis [3] puer,
Impube corpus, quale posset impia
Mollire Thracum pectora;
Canidia brevibus implicata viperis
Crines et incomptum caput,
Jubet sepulcris caprificos erutas,
Jubet cupressus funebres,
Et uncta turpis ova ranæ sanguine,
Plumamque nocturnæ strigis,
Herbasque, quas Iolcos atque Hiberia
Mittit, venenorum ferax,

nem cum maternis titulis quos modò imploravit. — *Petita ferro bellua :* quæ ex inflicto vulnere novos furores concipit.

3. *Insignibus raptis :* prætèr illam de quâ modò memini, prætextam, numerabatur etiàm inter insignia puerilis ætatis, bulla infantum collo appendi solita, aurea vel scortea, instar bullæ intumescentis in aquâ, aut humani cordis, Macrobio teste; ut, inquit ille, pueri eam inspicientes cogitarent ità se demùm homines fore si corde præstarent. — *Impube corpus :* nndè major puero pulchritudo, major quoque Canidiæ crudelitas accedit. — *Quale :* tàm molle et teneruu, ut, etc. — *Brevibus implicata viperis Crines :* furialis apparatus terrestrem Furiam decet. — *Sepulcris caprificos erutas :* ligua sterilia ac infelicia è sepulcris avulsa, tanquàm infernis sacris debita, incendi jubet; est antèm caprificus è silvestri ficûs genere, nunquàm maturescens, quæ vulgo è rnptis saxis et hiantibus tumulorum lapidibus solet erumpere. — *Turpis ova ranæ :* rubetæ (gallicè, *le crapaud*); quæ, quia sangnine venenato turget, sacris magicis inserviebat. Vid. Plin. Hist. natur. XXXII, 5; Propert. III, 6, 27; et Juvenal. VI, 658 : *At nùnc res agitur tenui pulmone rubetæ.* — *Nocturnæ strigis :* strix, avis est ex illarum nocturnarum genere, quæ è summo turrium ant aliorum monumentorum culmine, per noctem tristes sonos continuo tractu edunt, ideò importuna et inauspicata. (gallicè, *la fresaie,* vel *l'effraie.*) Vid. Valmont de Bomare. — *Iolcos :* Thessaliæ oppidum, quæ, ut Hiberia, Asiæ regio, Colchis vicina, venenorum fe-

Et ossa ab ore rapta jejunæ canis,
Flammis aduri Colchicis.
At expedita Sagana [4], per totam domum
Spargens Avernales aquas,
Horret capillis, ut marinus, asperis
Echinus, aut currens aper.
Abacta nullâ Veïa conscientiâ [5],
Ligonibus duris humum
Exhauriebat, ingemens laboribus,
Quò posset infossus puer
Longo die bis tèrve mutatæ dapis

rax habebatur. — *Et ossa ab ore rapta jejunæ canis :* quæ canis, fame urgente, sibi eripi ita indignatur, ut ea venenatâ salivâ et spumâ rabidâ inficiat. Sic Lucanus VI, 550, de magâ quâdam : *Nec carpere membra Vult ferro manibusque suis, morsusque luporum Expectat, siccis raptura è faucibus artus.* Sic et apud Apul. III : *Extorta dentibus ferarum trunca calvaria* adhibet altera saga in magicis incantationibus. — *Flammis Colchicis :* eodem modo paratis et accensis, quem adhibebat Medea, è Colchis orinnda.

4. *Sagana :* nomen proprium alterius veneficæ quæ unà cum Veïâ Canidiæ administra inducitur.—*Expedita :* vestes ad zonam succincta, ut promptiùs et faciliùs infami dominæ famuletur. — *Spargens Avernales aquas :* lustratio, pars sacrorum; et ut in religiosis et legitimis sacris, aqua lustralis è puro fonte hauriebatur, sic in magicis, et si quid noxii aut scelesti intercedebat, ex ipso Averno aquæ petebantur. Undè apud Virg. Æneid IV, 512, Dido, sacra magica ad sese ab amore exsolvendam instituens : *Sparserat et latices simulatos fontis Averni.*— *Marinus Echinus :* (gallicè, *oursin*, vel, *hérisson de mer.*) *L'oursin est composé d'une quantité prodigieuse de pièces de rapport à sutures, fragiles et couvertes de pointes fort nombreuses, assez semblables en cela et pour la forme à l'enveloppe des châtaignes ;* Valmont de Bomare, artic. *Oursin.* — *Aut currens aper :* cui, dùm furens in venatorem prorupit, ira setas in toto corpore erigit.

5. *Abactâ nullâ Veïa conscientiâ :* tertiæ magæ nomen proprium, quam hic à nullo maleficiorum genere deterrendam Noster effingit. — *Ingemens laboribus :* anhela, penè viribus exhausta, et tamèn nefando operi instans. — *Quò :* in quam foveam aut scrobem. — *Longo die* : toto unius dici

Inemori spectaculo,
Cùm promineret ore, quantùm exstant aquâ
Suspensa mento corpora;
Exsucta utì medulla, et aridum jecur
Amoris esset poculum,
Interminato cùm semèl fixæ cibo
Intabuissent pupulæ.
Non defuisse masculæ libidinis
Ariminensem Foliam [6]

spatio, quod quidem enecando tenello adolescenti sufficiebat, quodque, præ supplicii violentiâ, *longum*, imo immensum videri poterat. — *Bis tèrve mutatæ dapis Inemori spectaculo:* fames enìm miselli pueri eò acriùs excitabatur, quòd cibi, quibus vesci nequibat, sæpissimè mutati fuerant. — *Cùm promineret aure, quantùm exstant aquâ Suspensa mento corpora:* cùm puer in terram infossus tantùm capite extaret, quantùm ex aquâ extare solent natantium corpora; hi enim mento tenùs sub aquâ sunt et quasi suspenduntur. — *Utì:* ut. — *Exsucta medulla:* alii, *exsecta;* alii, *exerta* legunt; alii denique, *exsucca;* mâlim cum Faerno, Lambino, Dacierio, et Juvencio legere *exsucta*, h. e. exsiccata et arescens, ob famem et cibi negati appetentiam, et eodem sensu intellige *aridum jecur.* — *Cùm semèl:* ubi primùm, eo ipso momento, quo, etc. — *Interminato cibo:* vetito et interdicto; *interminari* activo sensu accipitur, cùm propriè sit, vetare minando ne quid fiat. Sic Terentius in *Andriâ: Interminatus sum ne faceres; nùm veritus?* Porrò supponi debet cibos ità ori miserrimi infantis, in terram mento tenùs defossi admotos fuisse, ut, deficiente manuum auxilio, eos tamèn dentibus arripere potuisset, ni Furiæ præsentes horrendis minis illum deterruissent, in illo verè Tartareo supplicio dignas sorores imitatæ. *Epulæque ante ora paratæ Regifico luxu; Furiarum maxima juxtà Accubat, et manibus prohibet contingere mensas, Exsurgitque facem attollens, atque intonat ore.* — *Intabuissent pupulæ:* certum mortis indicium, cùm oculorum acies extinguitur.

6. *Ariminensem Foliam:* tertiam et ultimam Canidiæ administram, Foliam ex Arimino (hodiè, *Rimini*) Umbriæ oppido ortam, quæ, ut scelera sceleribus cumularet, *masculâ libidine* in feminas agebat, quod vitium non ità multò post divus Paulus Romanis mulieribus ve-

Et otiosa credidit Neapolis,
Et omne vicinum oppidum;
Quæ sidera excantata voce Thessalâ,
Lunamque cœlo deripit.
Hîc irresectum sæva dente livido,
Canidia rodens pollicem [7],
Quid dixit? aut quid tacuit? « O! rebus meis [8]
» Non infideles arbitræ,
» Nox, et Diana, quæ silentium regis,
» Arcana cùm fiunt sacra,
» Nùnc, nùnc adeste! nùnc in hostiles domos

hementibus verbis exprobrat : « Feminæ eorum immutaverunt « naturalem usum in eum qui « est contra naturam ; » Epist. ad Roman., I, 26. — *Otiosa Neapolis :* epitheton illud, *otiosa*, magnis civitatibus commune, Neapoli tamèn quasi proprium, si Ovidio credas, Metam. XV, 711, nbì *in otia natam Parthenopem*, seu Neapolim vocat; urbem videlicèt deliciis omnibus refertam, et, si Romæ in quâ res totius orbis agebantur contuleris, verè *otiosam*. —*Voce Thessalâ :* carmine magico, nt sæpiùs. — *Excantata :* nota vim præpositionis *ex;* cantibus è sede suâ avulsa. — *Lunamque cœlo deripit : Carmina vèl cœlo possunt deducere lunam;* Virgil. Ecl. VIII, 69.

7. *Irresectum pollicem :* mulieres veneficæ ungues suos non secabant; iis nempè utebantur ad effodiendam terram; vid. infrà Satyr. I, 8, 26 : *Vidi egomet nigrâ succinctam vadere pallâ Canidiam, etc. scalpere terram Unguibus, et pullam divellere mordicùs agnam.— Quid dixit aut quid tacuit ?* quæ fanda, quæ infanda locuta est!

8. *O rebus meis Non infideles arbitræ, Nox, et Diana :* ô vos quæ meas artes fido protegitis auxilio. Sic et Medea ad magica sacra sese accingens; *Nox, ait, arcanis fidissima..... Tuque triceps Hecate, quæ cœptis conscia nostris Adjutrixque venis. — Quæ silentium regis, Arcana cùm fiunt sacra :* Diana (nàm ad eam solam verba præcedentia referenda sunt, ut singulare illud, *regis*, indicat), cujus nomine silentium per sacrorum nostrorum tempus, assistentibus imperatur, ut alibì, Jovis, Junonis, Apollinis nomine, τὸ *favete linguis*, sacerdos pronuntiabat. — *In hostiles domos :* verisimilitèr domos Canidia intelligit meretricum, quæ

» Iram atque numen vertite!
» Formidolosæ dùm latent sylvis feræ,
» Dulci sopore languidæ,
» Senem, quod omnes rideant, adulterum [9]
» Latrent Suburanæ canes,
» Nardo perunctum, quale non perfectius
» Meæ laborârint manus.
» Quid accidit [10]? cur dira barbaræ minùs
» Venena Medeæ valent,
» Quibus superbam fugit ulta pellicem
» Magni Creontis filiam,
» Cùm palla, tabo munus imbutum, novam
» Incendio nuptam abstulit.
» Atqui nec herba [11], nec latens in asperis

Varum à suis amplexibus amovebant. — *Iram atque numen :* numen iratum, furores vestros effundite.

9. *Senem adulterum :* Canidia pejeratam senis impudici fidem increpans, *adulteri* nomine eum appellare non dubitat, jus suum juri uxorio æquiparans. — *Quod omnes rideant :* nihil enim senili amore ridiculum magis. — *Latrent Suburanæ canes :* in Suburanâ regione meretricum erant diversoria. Porrò *latrare senem* dixit, ut infrà, Epist. I, 2, 66, *venaticus ex quo Tempore cervinam pellem latravit in aulâ.* Subura autèm vicus erat angustus, immundus, et ideò ut scortis, sic et canibus frequens, quos immunditia trahit. — *Nardo perunctum :* unguentis delibutum, quod vetulum amatorem non minùs dedecet. — *Quale non perfectius*, etc. h. e. delicatissimum, ad augendam ridiculi senis speciem.

10. *Quid accidit :* miratur Canidia quòd, sacris suis peractis, Varus senex non veniat, cùm tamèn veneficia sua sint eadem ac illa, quibus Medea Creüsam cum totâ regiâ exusserit, et propterea efficacissima. — *Superbam pellicem :* rivalem victoriâ suâ superbientem. — — *Fugit :* vide suprà Epod. III, 13 et 14. — *Tabo munus imbutum :* vestis, quam Medea venenis infectam munus novæ nuptæ misit. *Tabum* est propriè sanguis corruptus, vulneris sanies; in hoc loco, pro *veneno* usurpatur.

11. *Atqui nec herba :* per occupationem dixit se tamèn nihil ex arte Medeæ in isto veneficio omisisse; mirum igitùr cùr voti

» Radix fefellit me locis.
» Indormit unctis omnium cubilibus
» Oblivione pellicum.
» Ah! ah! solutus ambulat veneficæ
» Scientioris carmine!
» Non usitatis, Vare, potionibus [12],
» O multa fleturum caput!
» Ad me recurres, nec vocata mens tua
» Marsis redibit vocibus.
» Majus parabo, majus infundam tibi
» Fastidienti poculum;

compos non fiat.—*Indormit unctis omnium cubilibus Oblivione pellicum:* sìc voces ordina: dormit in cubilibus unctis oblivione omnium pellicum; h. e. dormit securus mei, et omnium suarum pellicum amore solutus. Verba sunt veneficæ omninò desperantis. Non solùm Varum ad se venire non coegit, sed ne id quidèm ultionis obtinuit ut à canibus Suburanis, scortorum eâ nocte immemor, allatraretur. Attende ad hæc verba quæ veneficam loquentem arguunt: *Cubilia uncta oblivione*, quasi somnus quem natura Varo attulit, soli arti magicæ et unguentorum usui, in eâ occasione deberetur. — *Ah! ah!* indolentis et gravitèr indignantis exclamatio. — *Ambulat:* non præcisè, eo ipso momento quo Canidia loquitur, Varus *ambulat*, cùm eodem tempore in cubili suo dormire dictus fuerit; sed cùm sit ab ejus vinculis solutus, idcircò per totum diem, per totamque noctem, si libuerit, ambulare potest. Per hoc verbum, *ambulat*, nihil aliud quàm libertas Vari designatur.

12. *Non usitatis potionibus:* deficiente vulgarium veneficiorum potestate, transit Canidia ad execrandam illam potionem è medullâ et jecore pueri mòx conficiendam. — *O multa fleturum caput!* caput, pro ipsâ personâ sæpè accipitur; *quot capita tot sensus,* pro, *quot homines,* etc. mala horrida infido amanti portendit. — *Ad me recurres:* invitus, vi novæ hujusce potionis violentiâ subactus. — *Nec vocata mens tua:* nec ratio tua cujus reditum frustra implorabis, quamlibet artem magicam adhibeas, tibi restituetur. — *Marsis vocibus:* pro quibusque incantationibus. Marsorum regio venenatis herbis et serpentibus referta habebatur. Hìnc Virg. Æneid. VII, 758: *Marsis quæsitæ in montibus herbæ:* —*Tibi Fastidienti:* tibi qui me

» Priùsque cœlum sidet inferius mari,
» Tellure porrectâ supèr,
» Quàm non amore sìc meo flagres, utì
» Bitumen atris ignibus. »
Sub hæc, puer [13], jàm non, ut antè, mollibus
Lenire verbis impias;
Sed dubius undè rumperet silentium,
Misit Thyesteas preces :
» Venena, magnum fas nefasque, non valent
» Convertere humanam vicem [14].

dedignaris. — *Priùsque cœlum sidet inferius mari Tellure porrectâ supèr :* priùsque in maris abyssos cœlum descendet, terrâ maris superficiei insupèr additâ, quàm hoc eveniat, scilicet ut non tantâ flammâ in me exardescas, quantâ nunc incenditur bitumen istud in *atros ignes* meis immissum manibus. De usu bituminis in ritibus magicis vide Virg. Eclog. VIII, 82 : *Fragiles incende bitumine lauros.*

13. *Sub hæc, puer :* dixerat Canidia; puer, nihil sibi spei relictum intelligens. — *Lenire :* subaud. tentavit, aggressus est. — *Dubius undè rumperet silentium :* omnes enìm imprecandi formulæ certatìm menti ejus obversabantur. — *Misit Thyesteas preces :* ut Græci, ἀρὰς, sic Latini *preces*, tam pro obsecrationibus quàm pro imprecationibus usurpant. Per *Thyesteas* igitùr *preces*, intellige diras exsecrationes qualibus Thyestes in fratrem Atreum apùd poetas tragicos utitur.

14. *Venena, magnum fas nefasque, non valent Convertere humanam vicem :* tot et tàm diversæ sunt in hunc locum subobscurum interpretationes, ut illas referre facilius sit quàm explicare aut confutare, relicto unicuique seusûs quam maluerit eligendi arbitrio. *Venenum* Latinis, ut φάρμακον Græcis, inter ea vocabula est quæ grammatici μέσα sive media vocant, et tàm bonum quàm malum significant, uti et *virus* (teste Servio in illud Virg. I Georg. *Ille malum virus*, etc.). Itaque *veneni nomine continetur omne, quod adhibitum, ejus rei, cui adhibitum est, naturam mutat, sive ad sananduin, sive ad occidendum paratum est.* Verba sunt Caii Juriscons. l. CCXXXV, *De verborum significatione.* Puer igitùr, qui Canidiam tàm magna pollicentem jactantemque audiebat : At, inquit, venena ista vestra, quantumcumque ponderis ac momenti habeant, sive fas sive nefas tentent, non valent tamen *convertere humanam vicem*, hoc est, efficere nequeunt

» Diris agam vos [15] : dira detestatio
» Nullâ expiatur victimâ.
» Quìn, ubì perire jussus expiravero,
» Nocturnus occurram furor,
» Petamque vultus umbra curvis unguibus,
» Quæ vis Deorum est Manium;
» Et inquietis assidens præcordiis,
» Pavore somnos auferam.
» Vos turba vicatìm [16] hìnc et hìnc saxis petens
» Contundet obscenas anus.

quìn, quod in rebus humanis perpetuò cernimus, malis malè sit, et quas meruêre pœnas, luant. Sic enim *vicis* vocabulo utuntur veteres. Brutus ad Ciceronem : *Valdè et meam et vestram vicem timeam necesse est;* hoc est, ea quæ adversa nobis, sivè merentibus, sivè immerentibus, evenient. Nec malè Porphyrion: *Vices*, inquit, *appellantur pœnæ, quæ in malos regeruntur.* Vèl sic interpretabimur : In veneficiis est quidèm magna vis, sed tantum profectò non possunt illa pro hominibus efficere, ut natura æqui et iniqui, ut fas et nefas, jus et injuria mutentur. Hoc hominum causâ non possunt præstare. Turneb. lib. XIV, cap. 10 : *Venena magnum fas nefasque.* Mulieres veneficæ fas et nefas confundere suìsque venenis humana et divina pervertere possunt, sed humanæ vitæ sortem nequeunt immutare : neque possunt effugere quìn suorum maleficiorum pœnas dent et morte pereant miserabili. In hanc ultimam interpretationem cui ferè accesserunt doctiss. viri Ren. Binet, Vanderbourg et Daru, inclinare me fateor, ut obviam magìs et simpliciorem.

15. *Diris agam vos :* vos imprecationibus persequar; adversùs vos iram deorum concitabo. — *Dira detestatio Nullâ expiatur victimâ :* credebant veteres hæc vota legitimis de causis semèl emissa, seriùs ocyùs exitum suum habere, neutiquàm esse irrita. *Nemo est*, inquit Plinius, Hist. nat. XXVIII, 21, *qui defigi diris detestationibus non metuat.* Vid. suprà Od. I, 28, 33 : *Teque piacula nulla resolvent.* — *Nocturnus occurram furor :* tanquàm Furia per noctem tibi apparebo. Sic Dido jamjàm moritura : *Omnibus umbra locis adero;* Æn. IV, 386.— *Quæ vis Deorum est Manium :* ea est enìm potestas umbrarum, ut inimicos suos vexare et ulcisci queant.

16. *Vicatìm :* de vico in vicum, et quacùmque gressus vestros tuleritis. — *Obscenas :* cru-

» Pòst, insepulta membra different lupi,
» Et Exquilinæ alites;
» Neque hoc parentes, heu! mihi superstites,
» Effugerit spectaculum. »

delitate non minùs quàm impudicitiâ famosas. — *Pòst :* postquàm, saxis obrutæ, expiraveritis. — *Insepulta :* magna ignominia erat sepulcro carere; maxima, feris et avibus prædam fieri. — *Different :* dilaniabunt, in diversas partes trahent. — *Exquilinæ alites :* in Exquiliis projici solita fuisse damnatorum sceleratorumque cadavera testatur Noster, infrà, Satyr. I, 8, 16 et 17. Ad ea autèm devoranda concurrere debebant aves famelicæ, feræ rapaces, ut vultures, accipitres, lupi, canes, etc. — *Heu! mihi superstites :* indolet miserandus puer sorti parentum suorum multò magis miserandæ qui, contrà naturæ leges, ipsi supererunt.

ODE SEXTA

IN CASSIUM SEVERUM,

ORATOREM MALEDICUM.

In Cassium Severum, quidquid, auctore Gesnero, contradicant recentiores nonnulli interpretes, carmen sequens scriptum fuisse, tùm è veteribus librorum titulis, tùm ex antiquissimis grammaticorum scholiis, valdè probabile est. Legimus apud Plinium, Tacitum, Senecam et Quintilianum, vixisse temporibus Augusti Cassium illum Severum, oratorem non minùs dicendi laude insignem, quàm accusandi aviditate famosum, qui, intèr alios potentes reos, Nonium Asprenatem, ipsi Cæsari cognatione junctum. de veneficio accusavit, unâ ejus patinâ, ut refert Plinius, Hist. nat. XXXV, 12, triginta et centum convivas interiisse objiciens. Delator iste certè dignus erat qui Horatii versibus carperetur, et cum cane rabido compararetur. Jàm verò, inquit Mitscherlich, quæ Gesnerus contrà monuit, adulationem quæ ei objicitur, vix cadere in eum hominem qui, ob improbam linguam Cretam amotus sit, et in Seriphiis saxis consenuerit, neminem morabuntur qui Cassium, non adulando, sed dicacite suâ terrorem incutiendo, munera ab invitis extorsisse reputaverit.

Cùm tamèn plures, Cassio similes, caninâ istâ facundiâ infames Romæ eâ ætate extitisse constet, prudentiùs videtur rem, tàm exigui aliundè momenti, in medio relinquere.

Quid immerentes hospites [1] vexas, canis

1. *Hospites:* obvios quosque quibuscum nihil tibi negotii est; ad canem domesticum respicit Horatius, cujus ea est indoles ut

Ignavus adversùm lupos?
Quìn [2] hùc inanes, si potes, vertis minas,
Et me remorsurum petis?
Nàm, qualis aut Molossus, aut fulvus Lacon [3], 5
Amica vis pastoribus,
Agam per altas aure sublatâ nives,
Quæcumque præcedet fera.
Tu, cum timendâ voce complesti nemus,
Projectum [4] odoraris cibum. 10
Cave, cave [5]! namque in malos asperrimus
Parata tollo cornua;

omnes extrà familiam positos, et placidè transeuntes, *immerentes* igitùr allatret. — *Adversùm lupos :* adversùs fortes, audaces, ad propulsandam et ulciscendam injuriam paratos.

2. *Quìn :* cùr non potiùs? — *Hùc :* in me. — *Si potes :* si audes. — *Inanes vertis minas :* minas parùm efficaces, quas ego rideo, quas omnes honesti dedignantur.

3. *Qualis aut Molossus aut fulvus Lacon :* nobilissima canum genera, quæ eodem modo conjunxit Virg. Georg. III : *Veloces Spartæ catulos, acremque Molossum.* — *Amica vis pastoribus :* quorum vires nonnisi in pastorum gregumque defensionem exercentur. — *Agam per altas aure sublatâ nives :* per oppositionem cani illi ignavo quem depinxit, sese nobili et venatico cani assimilat, qui, *aure sublatâ*, quod est alacritatis et fortitudinis in canibus indicium, feram, quæcumque sit et quantùmvis metuenda, persequitur. — *Præcedet :* surget antè me, et, sivè ignaviam fugâ, sivè ululatibus ferocitatem prodet.

4. *Projectum :* vilissimum, ut in illo Virgilii, Eclog. VII, 42 : *Et projectâ vilior algâ;* sivè tibi, ad sedandos latratus, Cerberi instàr, objectum. — *Odoraris :* allegoriam sustinet; investigas, circumspicis, si quis tibi cibus porrigatur. Ad Nostrum respexit Martial. IV, 53, 6 : *Cui dat latratus obvia turba cibos Esse putas Cynicum, deceptus imagine falsa; non est hic Cynicus, Cosme; quid ergo? canis.*

5. *Cave, cave :* minarum vim repetitione auget. — *Parata tollo cornua :* hìc deserit priorem allegoriam Horatius, quæ primùm à generosis canibus, nùnc ab iratis tauris ducitur. De eâ imaginum in eodem carmine mutatione vide quæ suprà

Qualis Lycambæ [6] spretus infido gener,
Aut acer hostis Bupalo.
An, si quis atro dente me petiverit,
Inultus ut flebo puer?

dicta sunt, not. 4 in Od. II, 5, 9.

6. *Lycambæ :* in dativo casu, h. e. spretus à perfido Lycambâ. Lycambes, Lacœdemonius, Neobulen filiam suam Archiloco civi suo, poetæ non contemnendo, desponderat; mutatâ mente, alteri locavit. Quod indignè ferens, Archilocus tàm amaro carmine proscidit Lycamben, ut eum ad suspendium adegerit. Vide infr. Art. poet. 79. — *Aut acer hostis Bupalo :* Bupalus pictor et Hipponax poeta, inter se gerebant inimicitias. Cùm Bupalus Hipponactem, propositâ publicè tabellâ, ridiculum in morem pinxisset, mordaci carmine ab eo sic est laceratus, ut doloris impatiens et ignominiæ, vitam laqueo finisse creditus fuerit; quod à Plinio falsum reputatur, Hist. nat. XXXVI, 5. — *Ut puer inultus :* qui, cùm præ ætatis debilitate injurias sibi illatas ulcisci nequeat, inanibus lacrimis dolorem suum solari cogitur.

ODE SEPTIMA

AD POPULUM ROMANUM.

Devicto Lepido, et occiso Sexto Pompeio, unus supererat Antonius qui de principatu cum Octaviano contendere posset. Ambitione divisi, mòx per Octaviam, Antonii uxorem, eamdemque Octaviani sororem reconciliati ambo duces, tandèm, rupto affinitatis vinculo, ad apertum martem devenire parabant. Horatius tùm publico, tùm privato damno suo edoctus quantas calamitates et ruinas bella civilia secum traherent, Romanos à renovandis præteritorum annorum furoribus in hoc carmine deterrere conatur. Eloquentissimam oden non solùm imitatus est, sed pœnè verbo ad verbum expressit Russæus, in ode ad Helvetios, II, 14, *mutato tantùm gentis nomine.*

Quo, quò scelesti [1] ruitis? aut cùr dexteris
Aptantur enses conditi?
Parùmne campis atque neptuno supèr
Fusum est Latini sanguinis?
Non, ut superbas invidæ Carthaginis [2]
Romanus arces ureret,

1. *Scelesti :* in bellis civilibus, nulla est pars quæ *scelere* careat, cùm ea sit hìnc atque illinc pugnantium conditio, ut civium suorum sanguine inquinentur. — *Enses conditi?* enses qui feliciori fato in vaginam jamdudùm redierant. — *Campis atque neptuno supèr :* terrâ marique. Vid. suprà Od. II, 1, 29; vide quoque Lucanum in initio Pharsaliæ.

2. *Non, ut superbas invidæ Carthaginis,* etc.: quasi diceret: multum quidèm ejusdem sanguinis Romani in bellis Punicis

Intactus aut Britannus ut descenderet
Sacrâ catenatus Viâ;
Sed ut, secundùm vota Parthorum, suâ
Urbs hæc periret dexterâ.
Neque hic lupis mos [3]; nec fuit leonibus
Nunquàm, nisi in dispar, feris.
Furorne cæcus [4], an rapit vis acrior?

effusum est, sed jure, sed meritò, cùm is exitus cædium fuerit, ut civitas quæ summi imperii gloriam Romanis invidebat, penitùs exscinderetur. — *Intactus aut Britannus :* Britanni nondùm adjecti fuerant imperio Romano; vid. suprà Od. III, 5, 3, et notam. — *Descenderet Sacrâ catenatus viâ :* victi reges et duces currum triumphantis victoris, per Sacram Viam in Capitolium ascendentis, et, post peracta sacrificia, ex eo descendentis præcedere vinculis constricti cogebantur. — *Secundùm vota Parthorum :* Parthi, Romanis infensissimi. Porrò nihil felicius populo cuilibet quàm si populus cui adversatur suis se manibus dilaceret.

3. *Neque hic lupis mos :* locum illum à Plinio, Hist. nat. VII, 1, amplificatum legere hìc neminem pœnitebit. *Cætera animantia in suo genere probè degunt; congregari videmus et stare contrà dissimilia; leonum feritas inter se non dimicat; serpentum morsus non petit serpentes; ne maris quidèm belluæ ac pisces, nisi in diversa genera sæviunt; at, Hercule! homini plurima ex homine sunt mala.* Legendus quoque in eamdem sententiam Juvenalis, XV, 160: *Quando leoni Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquàm Expiravit aper majoris dentibus apri?..... Ast homini ferrum*, etc. Neque pulcherrimam Bolœi nostri imitationem, Sat. VIII, oblivioso premam silentio: *Voit-on les loups brigands, comme nous inhumains, Pour détrousser les loups courir les grands chemins?..... L'animal le plus fier qu'enfante la nature, Dans un autre animal respecte sa figure.* Quem quidèm postremum versum, sine magno labore et curâ, in oden suam ad Helvetios transtulit Russæus: *Dans un autre lion respectant son image.* — *Nunquàm :* aliàs legitur, *unquàm*, negatione repetitâ à conjunctione *neque;* malim legere, *nunquàm*, cùm ad perfectiorem sensum duplex negatio necessaria videatur, *non istis moribus utuntur lupi et leones qui* nunquàm *feri* sunt, nisi, etc. Manca et mutila esset alitèr totius phraseos structura. *Nisi in dispar :* subaudi, *genus.*

4. *Furorne cæcus, àn rapit vis acrior, An culpa?* tribus istis de causis homines in pravas

An culpa? responsum date [5].
Tacent, et albus ora pallor inficit,
Mentesque perculsæ stupent.
Sic est [6]; acerba fata Romanos agunt,
Scelusque fraternæ necis,
Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

vias plerùmque detorquentur, aut primo et inconsiderato iræ et ultionis impetu, vèl ineluctabili fatorum ordine et *vi* potentissimâ abrepti, aut in pœnam scelerum ab ipsâ providentiâ ad propriam perniciem impulsi.

5. *Responsum date :* hic lyricus vates personam poetæ dramatici induit; Romanos quasi præsentes et è suggestu alloquitur; magistratûs vices gerit; interrogat, responsum petit; tantam sibi auctoritatem è causæ suæ justitiâ vindicat! — *Tacent, et albus ora pallor inficit :* silentium et pallor, certissima convictæ conscientiæ indicia.

6. *Sic est :* nihil jàm dubii manet; pro certo tenendum est civilia bella à fatis, h. e. à diis scelerum ultoribus, esse immissa, in pœnam facinoris à Romulo patrati, qui fratrem suum *immerentem* occidere ausus fuerat. Sic Virgilius, causam publicarum calamitatum ab ipsis Trojæ incunabilis repetens, Georg. I, 501 : *Satis jamdudùm sanguine nostro, Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ.* Notanda in scriptoribus Ethnicis opinio, in quâ totum christianæ religionis ædificium nititur, majorum delicta in ultimos usque posteros extendi. Undè suprà Noster, Od. III, 6, 1 : *Delicta majorum immeritus lues, Romane.* — *Ut :* ex eo tempore quo. — *Sacer nepotibus cruor :* sanguis Remi innocens, vèl ab innocentibus nepotibus expiandus.

ODE OCTAVA

IN ANUM LIBIDINOSAM.

Materia odes sequentis vetula quædam, importunæ salacitatis, imò et stoïcam severitatem affectans, quæ, cùm juvenem poetam ad sibi satisfaciendum provocaret, ab eo non solùm turpem repulsam, sed etiàm probrosissima convicia patitur. Nihil ad movendam indignationem aptius, quàm illa virtutis simulatio cum pravis moribus conjuncta, eâ præsertìm ætate quâ cupiditatum æstus defervescere debuit, quâque mens ad austera studia instantis mortis cogitatione naturalitèr revocatur. Excusandus igitùr Horatius si iram contemptumque suum in infamem anum effuderit, eâ libertate quam concedebat linguæ latinæ audacia, quam aliundè jubebat vitiorum quæ insectabatur deformitas. Tanta verborum imaginumque licentia nobis, fatendum est, intoleranda videretur. Laudandi igitùr sapientissimi interpretes qui à vertendo isto carmine abstinuerunt, rectè à Dacierii sententiâ recedentes qui, postquàm eamdem oden in gallicum sermonem traduxit, eam notis amplissimis elucidavit. Nos verò, integrum Horatium polliciti, id saltèm efficiemus, ut in notis nostris, salvâ, quantùm licebit, honestate, nihil nisi quod ad intelligentiam strictè necessarium erit, proferatur.

Rogare [1] longo putidam te sæculo

1. *Rogare :* subaudiendum est, *decetne ?* familiaris indignantibus prioris illius verbi detractio. Sic Zopirus in Voltar. Mahom. act. I, scen. 1: *Qui? moi, baisser les yeux devant ses faux prodiges; Moi, de ce fanatique encenser les prestiges ! — Longò putidam te sæculo :* te, qui ad centum ferè annos provecta, nescio

Vires quid enervet meas !
Quùm sit tibi dens ater, et rugis vetus
Frontem senectus [2] exaret,
Hietque turpis intèr aridas nates
Podex, velùt crudæ bovis.
Sed incitat me pectus [3], et mammæ putres,
Equina quales ubera,
Venterque mollis, et femur tumentibus
Exile suris additum.
Esto beata [4], funus atque imagines
Ducant triumphales tuum;
Nec sit marita, quæ rotundioribus
Onusta baccis ambulet.

quid cadaverosi redoles, putes. — *Vires quid enervet meas :* quid tibi nequicquàm sollicitanti frigidum me et omninò inhabilem relinquat.

2. *Vetus senectus :* cave hic pleonasmum videas; senectutem intelligit non *viridem* et *crudam*, ut ait de Charonte Virgilius, Æn. VI, 304, sed effætam et decrepitam, atro dentium squallore et rugis anilibus deturpatam. — *Hietque turpis*, etc. : quasi se per infandam Venerem et contrà naturæ leges sæpissimè prostituerit. — *Velùt crudæ bovis :* velùt vaccæ quæ cruditate laborat, cui *fœdissima ventris proluvies*, Æneid. 216. Nauseosam prorsùs imaginem, neque verborum deleetu, ut in Virgilio, temperatam!

3. *Sed incitat me :* ironia patet. — *Mammæ putres :* non solidæ et turgentes, sed solutæ et pendentes. — *Et femur tumentibus Exile suris additum :* femoris in decenti crassitudine, surarum è contrà vèl crurum in gracilitate pulchritudo est. Ex oppositâ structurâ monstrum exit.

4. *Esto beata :* sis dives; quid ad rem? — *Funus atque imagines Ducant triumphales tuum :* nobilium virorum et matronarum exsequiis præferebantur imagines majorum, inter quas eminebant ducum effigies, qui triumphi honores obtinuerant. — *Quæ rotundioribus Onusta baccis ambulet :* margaritas vèl uniones designat, quibus, si Plinio credimus, IX, 35, dos omnis in candore, magnitudine, orbe (quæ vox idem valet ac *rotunditas*) levore, pondere consistit. Uniones manibus, auribus, capite, ipsis pedibus, toto denique corpore feminæ virique gestabant; tantæ erant Romanorum deliciæ! *Ambulet*, superbiæ et ostentationis notionem trahit.

Quid? quòd [5] libelli Stoici inter fericos
Jacere pulvillos amant :
Illiterati nùm minùs nervi rigent?
Minùsve languet fascinum?
Quod ut superbo provoces ab inguine [6],
Ore allaborandum est tibi.

5. *Quid? quod :* nec tibi sufficit te nobilem et opulentam jactare. Credis utile saltèm provocationibus tuis irritamentum addi, si doctrinæ et philosophiæ laudem affectas, si juveni cujus amplexus petis, Stoïcorum libros, non in tabellis rectè ordine compositos, sed ubicumque et sine lege dispersos, quasi à te assiduâ manu versarentur, intrà ipsos cubiculi tui pulvillos, ostendis. — *Illiterati nùm minùs nervi rigent :* cui, cum illo scientiæ apparatu, fucum te facturam putas? Quid amorem inter et litteras? senectutis, si potes, incommoda exue ; tibi redivivæ, ad novum regressæ juventutis decus, vigebunt homines ignarissimi, litteris maximè destituti. Eodem igitùr sensu hæ voces, *nervi rigent,* accipiendæ, quo apud Ovid. Amor. III, 8, 67 : *Quæ nùnc ecce* rigent *intempestiva, valentque; Nùnc opus exposcunt militiamque suam.* — *Minùsve languet fascinum :* et ut docta videri velis, credisne idcircò te mihi quamvis litterarum studioso, cum tantâ oris fœditate, magìs placituram, ità ut faciliùs arrigam. *Fascinum,* ut suprà, *nervi,* ea pars est quâ viri sumus. *Fascinum* à verbo græco, βασκαίνειν, derivatum, posteà ad omnia quæ incantamentis adhibebantur, translatum est ; cùmque ad hunc usum, mentulæ speciem, collo puerorum superstitio suspenderet, hìnc factum est, ut res repræsentata pro ipsâ re acciperetur.

6. *Quod ut superbo provoces ab inguine :* quod ut illud ab intimâ sede extrahas ubi, te præsente, torpet, tuì fastidiosum. — *Ore allaborandum est tibi :* de infami isto libidinis genere qui plura cognoscere voluerit, adeat Sueton. in vitâ Tiberii, 44.

ODE NONA

AD MÆCENATEM.

Vix primus de Actiacâ victoriâ rumor Romæ percrebuerat, in subitos lætitiæ sensus erumpens Horatius, felicissimum eventum celebrare instituit, et ideò solemnis convivii pompam et apparatum Mæcenati quasi præcipit. Ipse cœnæ splendidissimæ præludit, canendo Cæsaris laudes, urbem ab æterno dedecore turpissimoque servitio liberatam, triumphique tantæ victoriæ debiti moras incusando. Eamdem materiam in primo hujusce libri carmine levitèr delibatam, in trigesimo septimo primi libri altiùs pertrectatam, cum ode sequenti conferre nec inutile, nec injucundum videbitur.

Quando [1] repostum Cæcubum ad festas dapes
Victore lætus Cæsare,
Tecum sub altâ (sic Jovi gratum) domo
Beate Mæcenas, bibam,
Sonante mistum tibiis carmen lyrâ,
Hâc Dorium, illis Barbarum?

1. *Quandò :* per vividam interrogationem notat impatientiam celebrandæ victoriæ. — *Cæcubum :* de Cæcubo, generoso Campaniæ vino, jàm actum est. Vid. suprà Od. I, 37, 5, et III, 28, 3. — *Repostum :* pro, *repositum*, per syncopen. — *Sub altâ domo :* suavitèr innuit non apud se tanto eventui dignè celebrando imparem, sed in superbis Mæcenatis ædibus, qui *beatus*, h. e. ut in ode præcedenti, opulentissimus est, convivium esse instruendum. — *Sonante mixtum tibiis carmen*

Ut nupèr [2] actus cùm freto Neptunius
Dux fugit, ustis navibus,
Minatus Urbi vincla, quæ detraxerat
Servis amicus perfidis.
Romanus (eheu! posteri negabitis)
Emancipatus fœminæ,
Fert vallum et arma miles [3], et spadonibus
Servire rugosis potest!
Interque signa turpe militaria

lyrâ, *Hâc Dorium*, *illis Barbarum* : hoc est, lyrâ sonante Dorium carmen, tibiis canentibus modo Barbaro, sivè Phrygio. Phrygia autèm, pars minoris Asiæ, Barbaria vocabatur à Græcis, proprio quodam et peculiari nomine. Jàm verò modus Dorius, teste Luciano in Harmonide, gravis erat et severus, ἴδιον τῆς Δωρίου ἁρμονίας τὸ σεμνὸν, lyræ igitùr apprimè conveniens; modus Phrygius, ἐνθεὸς, ad motus bacchicos idoneus; vid. suprà Od. IV, 15, 30.

2. *Ut nupèr* : antè annos quinque. De Sext. Pompeio, Magni filio, agitur, qui victus ad Siciliam fuit anno U. C. 718; Antonius ad Actium, anno 723, profligatus est. — *Actus freto* : expulsus freto Siculo. — *Neptunius dux* : ironicè; deridetur hic infelicis juvenis arrogantia, qui, aliquot maritimis successibus, ultrà modum superbiens, se Neptuni filium appellari permiserat, mutaveratque cæruleo purpureum paludamentum, ob Neptunum cærulei maris potentem, teste Appiano. — *Fregit: non alia post Xerxem*, inquit Florus, IV, 8, *miserabilior fuga; quippè modò trecentarum quinquaginta navium dominus, cum sex septemve fugiebat.* — *Minatus Urbi vincla*, etc. : servos enim et piratas sibi auxiliatores Sext. Pompeius asciverat.

3. *Romanus miles* : pro, Romani milites, singular. pro plural. ut passim. Errant qui de Antonio solo interpretantur. Satis liquet, *vallum et arma* non à duce, sed à gregariis militibus gestata. — *Emancipatus fœminæ* : vox, *mancipium*, sive *mancupium*, apud Latinos propriè significat id quod vulgò dicimus dominium rei alicujus et propriam possessionem, quià cùm rem vindicabant sibi, hoc est, suam dicebant esse, illam aut ejus partem manu capiebant. Hinc mancipare, sive aliquid alicui dare mancipio, idem est atque in ejus manum et potestatem tradere. Juvenc. — *Spadonibus rugosis* : Eunuchis semper antè ætatem senescentibus; vid. suprà, Od. I, 37, 9. — *Servire* : multò majorem vim in

Sol aspĭcit conopium!
Ad hunc frementes [4] verterunt bis mille equos
Galli, canentes Cæsarem;
Hostiliumque navium in portu latent
Puppes sinistrorsùm citæ [5]. 20

eâ voce, *servire*, quàm si *parere* aut aliud quid simile scripsisset, vix est ut admoneam. — *Turpe conopium :* sìc legendum, non, ut in plerisque, *conopeum*, cujus penultima syllaba, salvis metri legibus, corripi, ut versus postulat, nequit. *Conopium*, à græcâ voce, κώνωψ, culex, undè κωνωπεῖον, velum erat apud Ægyptios, ad arcendos culices lectis prætendi solitum; intelligitur cùr illud Ægyptii luxûs et mollitiei instrumentum eò *turpius* Romanis videri debuerit, quòd inter aquilas conspiceretur.

4. *Ad hoc frementes :* vulgò legitur *ad hunc*, quas voces interpretari coguntur *contrà hunc*, h. e. *adversùs Antonium;* multò potior mihi videtur facillima et lucidissima Bentleii emendatio. *Ad hoc frementes*, tàm indigno spectaculo commoti, *bis mille Galli verterunt equos*, in alias partes, in exercitum verè Romanum transfugerunt (gallicè, *tournèrent bride*). Quod autèm objicit Scaliger, equitatui illi non fuisse locum in prælio maritimo, ignarum aut malevolum censorem arguit. Præter classes Augusti et Antonii, erant utriusque copiæ terrestres in adverso litore. Duo igitùr millia equitum è Galatiâ, seu Gallogræciâ, quæ est regio Minoris Asiæ, desciverunt ab Antonio, et ad Cæsaris castra transfugerunt, quæ res victoriam Augusto maximè peperit; imò Gallos atque Hispanos equites, belli Parthici reliquias, habuisse tùnc Antonium Dio et Plutarchus asserunt. Notandum est in eo vocabulo, *verterunt*, penultimam ab Horatio corripi, cujus licentiæ exempla tùm aliàs in Nostro, tùm apùd Virgilium reperire est.

5. *Hostiliumque navium portu latent Puppes sinistrorsùm citæ :* nullus ex Horatii interpretibus locum illum subobscurum meliùs elucidare visus est quàm Sanado, cujus opinioni adhæsit Mitscherlich. Sic, utriusque sententiâ, phrasis construenda est : *Puppis hostilium navium, citæ* (à verbo *ciere, cieo*) *sinistrorsùm, latent in portu.* Per *puppes hostilium navium*, intellige simplicitèr, *naves hostiles.*

Jàm verò, postquàm de defectione terrestrium copiarum egit Horatius, eam navalium copiarum partem memorat, quæ Gallorum exemplo indignantes quòd feminæ et spadonibus serviendum esset, pugnam detrec-

Io triumphe [6]! tu moraris aureos
Currus, et intactas boves;
Io triumphe! nec Jugurthino parem
Bello reportasti ducem;
Neque Africanum, cui supèr Carthaginem
Virtus sepulchrum condidit.
Terrâ marique victus hostis punico
Lugubre mutavit sagum.

taverant, et in portum, dùm confligebatur, recesserant. Ea autèm erat utriusque classis dispositio, ut Octavii naves partem Ambraci sinûs, ab occidente ad orientem procurrentis septentrionalem et ideò intrantibus sinistram, Antonii verò partem meridionalem et, eàdem de ratione, intrantibus dextram occuparent. Ergo naves illæ quæ defectionem meditabantur, ut ad Octavii classem sese jungerent, *sinistrorsùm*, sive ad sinistrum Ambraci latus sese *ciere* sive dirigere debebant. Uno verbo, per totum prælii tempus, *latuerunt in portu;* peracto prælio, à dextrâ ad sinistram transeuntes, cumulum Octavianæ victoriæ adjecerunt.

6. *Io triumphe!* triumphum quasi personam alloquitur, et queritur quòd suam et populi Romani impatientiam fallat. — *Et intactas boves:* victimæ sacrificiis devotæ in eorum spem alebantur, neque ullis anteà laboribus subditæ erant, quasi cùm jàm rebus humanis inservierant, non ampliùs dignæ forent, quæ in honorem deorum mactarentur; undè apud Virg. Georg. IV, 540, Cyrene sacrificium Aristæo filio suo præcipiens, jubet deligi *Quatuor eximios præstanti corpore tauros..... et* intactas totidem cervice juvencas. — *Nec Jugurthino parem Bello reportasti ducem:* non Mario Jugurthæ victori tanti splendoris triumphus contigit. — *Neque Africanum:* de Scipione Africano minore loquitur, qui Æmilianus est dictus, à quo excisa et eversa Carthago, quæ ipsi loco pulcherrimi et amplissimi sepulchri fuit, in quâ scilicèt æternum suæ virtutis monumentum reliquit. Torrentius de Africano majore interpretatur, qui cùm Hannibalem ex Italiâ retraxisset, Carthaginemque mulctasset tributo, Româ discedens in exilium voluntarium, inglorius obiit Literni, et sepulchro suo inscribi jussit: *Ingrata patria, ne ossa quidem mea habebis.* Ait igitùr Horatius eum super Carthaginem invenisse monumentum, quo in patriâ caruit. Juvenc. — *Punico Lugubre mutavit sagum:* usitatâ inversione,

Aut ille centum nobilem Cretam urbibus,
Ventis iturus [7] non suis;
Exercitatas aut petit Syrtes Noto,
Aut fertur incerto mari.
Capaciores affer hùc, puer, scyphos [8],
Et Chia vina, aut Lesbia,
Vèl, quod fluentem nauseam coërceat,
Metire nobis Cæcubum.
Curam metumque Cæsaris rerum juvat
Dulci lyæo solvere.

pro : sagum puniceum, h. e. purpureum mutavit cum veste sordidâ; purpureo paludamento deposito, vestem, mutatæ sortis indicem, induit. De hâc hypallage, vide suprà, Od. I, 17, 1 et notam.

7. *Cretam iturus :* licentiâ poeticâ, pro , *aditurus.* — *Ventis non suis :* non faventibus, sibi adversis. *Et cursu facili tuisque ventis Hispanæ pete Tarraconis arces;* Martial. X, 104: *paucissimorum dierum spatium, si navim suus ventus implevit;* Senec. Quæst. nat. I, in præfatione. — *Syrtes :* vid. suprà Od. I, 22, 5. — *Exercitatas Noto :* procellosas, ventis obnoxias.—*Aut fertur incerto mari :* aut incertus vagatur, nescius quem portum petat.

8. *Capaciores affer hùc, puer, scyphos :* lætitiâ elatus vates, Mæcenatis convivium jàm animo præcipit; jàm cœnæ interesse sibi videtur, et ob tantam Augusti victoriam nihil non sibi permittens, quasi mensæ rex et arbiter; majoribus poculis potare convivas jubet. Quo quidèm artificio, ad rem vividiùs oculis subjiciendam, non semèl Noster usus est. Vide suprà Od. II, 7, 21, et III, 19, 9. — *Quod fluentem nauseam coerceat :* Cæcubum, vinum erat generosum et firmando stomacho idoneum, undè ab Athenæo I, 21, εὔτονος appellatur. Cùm igitùr paulò intemperantiùs epulari meditaretur, prudentèr ejusmodi vinum petit, quod ebrietatis fumos sedet. — *Curam metumque Cæsaris rerum :* metum quem de eventu belli priùs conceperat, quem Actiaca quidèm victoria fugavit, quem tamèn, ne unquàm posteà redeat, *juvat* vino penitùs immergere.

ODE DECIMA

IN MÆVIUM POETAM.

Mævio, poetæ malo, homini pejori, invido, maledico, qui mòx in Græciam iter facturus erat, Horatius tempestatem imprecatur, et tale naufragium, quale olìm passus fuerat Ajax Oïleus è Trojano bello redux. Si quis autèm oppositos tenerrimæ amicitiæ vehementissimique odii sensus à Nostro vicissìm in eâdem ferè materiâ expressos conferre voluerit, redeat ad tertiam libri primi oden, in quâ Virgilio suo in Græciam quoque navigaturo felix iter prosperumque cursum implorat.

Mala soluta navis exit alite [1],
Ferens olentem Mævium.
Ut horridis utrumque verberes latus,
Auster, memento fluctibus.
Niger rudentes Eurus, inverso mari [2], 5
Fractosque remos differat.
Insurgat Aquilo, quantus altis montibus
Frangit trementes ilices.

1. *Malâ alite :* funestis auspiciis, ut suprà, Od. I, 15, 5, *Malâ ducis avi domum.* — *Soluta :* portu scilicèt, fune libera, quo ad terram religabatur. — *Olentem :* turpem, fœtidum; illud ad injuriam dictum; nil ampliùs. — *Mævium :* idem ille est de quo Virg. Eclog. III, 90: *Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi!* — *Utrumque latus :* ut ex omni parte navis vexata, majus incurrat periculum.

2. *Inverso mari :* mari per vim ventorum sibi invicèm adversantium à fundo usque ad summum perturbato. — *Fractosque*

Nec sidus atrâ nocte amicum appareat,
Quà tristis Orion cadit;
Quietiore nec feratur æquore,
Quàm Graia victorum manus [3],
Cùm Pallas usto vertit iram ab Ilio
In impiam Ajacis ratem.
O! quantus instat navitis sudor tuis [4],
Tibique pallor luteus,
Et illa non virilis ejulatio,

remos differat : non solùm frangat, sed ipsa etiàm fragmina dissipet, ità ut nullus ex iis usus suppetat.—*Quantus:* cum eâdem vehementiâ, quâ, etc.—*Sidus amicum :* intellige Dioscuros, seu fratres Helenæ, lucida sidera, supr. Od. I, 3, 2.—*Quâ tristis Orion cadit :* illis obortis tenebris quas, nubes atras colligendo, Orionis occasus excitare solet. De Orione occiduo vid. suprà I, 28, 21, et III, 27, 17. Consule quoque notas.

3. *Quàm Graia victorum manus :* cùm Græci victores, incensâ Trojâ, patriam repeterent, fregêre naves ad Capharenm Euboeæ insulæ, quæ sita est è regione Atticæ, scopulum seu promontorium. Factum id Nauplii Euboeæ regis dolo, cujus filius Palamedes, proditionis falsò accusatus, et supplicio affectus ab iis fuerat. Nauplius enìm, ut filii necem injustam ulcisceretur, Græcis redeuntibus obscuram per noctem ac tempestate deprehensis, faces ostendit è Caphareo, quasi portum indicans : illi, fraudis ignari, ad scopulos allisi sunt. In iis Ajax, cùm, fractâ rate, in cautem evasisset, eum Pallas fulmine dejectum undis mersit, illi meritò infensa, quòd Cassandræ in suo templo, dùm Troja caperetur, vim attulisset : imò Græcorum cladem hanc uni Ajacis impietati, et iræ Palladis, videtur hìc Horatius ascribere. Juvenc.

4. *O quantus instat navitis sudor tuis !* jàm poetæ rei futuræ eventus antè oculos versatur; videt nautas laboribus, quibus navem periculo eripiant, insudare; videt Mævium de vitæ suæ discrimine impallescere; audit eum muliebriter ejulare, et frustrà Jovem precibus fatigare; conspicit deniquè cum fractâ navi perire! Similitèr suprà I, 15, 9, Nereus, vaticinium de futuris in bello Trojano pugnis edens : *Eheu! quantus equis, quantus adest viris Sudor!* Doering. — *Pallor luteus :* luteus color propriè croceus, flori calathæ (*le souci*) proximus; ingentis et subiti timoris indicium. —*Non virilis ejulatio : ingemiscere nonnunquàm viro con-*

Preces et aversum ad Jovem,
Ionius udo cùm remugiens sinus
Noto [5] carinam ruperit!
Opima quòd si præda, curvo littore
Porrecta, mergos juveris,
Libidinosus immolabitur caper,
Et agna Tempestatibus.

cessum est, idque rarò; *ejulatus verò ne mulieri quidèm.* Cic. Tuscul. II, 23. — *Aversum ad Jovem :* tibi iratum, preces tuas dedignantem.

5. *Ionius udo cùm remugiens sinus Noto :* cùm mare Ionium ventorum mugitibus fluctuum suorum fragore respondens. Mare Ionium alluit ab occasu Macedoniæ oram et ad insulam usque Cretam extenditur. — *Mergos juveris :* gratam marinis avibus escam, inhumatus præbueris. — *Libidinosus caper :* sivè, quod fœtidum et salax animal, digna Mævio victima videatur; sivè, quod verisimilius est, communi epitheto *libidinosum* appelletur.—*Et agna Tempestatibus :* Tempestates, ut metuendæ deæ, sacrificiis placabantur; *populi Romani ritu consecratæ sunt*, inquit Cic. de Nat. Deorum, III, 51 : *Nostri duces, mare ingredientes, immolare hostiam fluctibus consueverant.* Ad hunc morem allusit Virgilius, Æneid. III, 120 : *Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam*, et V, 772 : *Tres Eryci vitulos et Tempestatibus agnam Cædere deindè jubet.*

ODE UNDECIMA

AD PETTIUM.

Quis fuerit Pettius ille, sivè, ut nonnulli volunt, Pectius, prorsùs ignoratur; amicus certè et sodalis fuit Horatio, qui, in sequenti carmine, ipsi infirmitatem suam aperire non dubitat, et reditum ad pœnitendos amores confiteri. Narrat primùm quæcumque, tres antè annos, ab Inachiâ quam frustrà amaverat, perpeti coactus fuerit; quomodò ipse pauper ditioribus dolens et invitus cesserit; nec dissimulat se nùnc à Lycisco, puero molli et delicato eamdem repulsam, nec minùs graves contumelias experiri; cùmque, geminâ illâ edoctus experientiâ, ad meliorem vivendi normam sese componere deberet, non sinè aliquo pudore declarat se non mali sui sanationem, sed ab aliis amoribus solatium expetere.

Contendit vir doctiss. Mitscherlich totum carmen nihìl aliud esse quàm ludicram poetæ alicujus Græci imitationem; verùm hanc opinionem sequi sinceris veritatis et Horatii amantibus, optabile magìs quàm facile sempèr videbitur.

Petti [1], nihìl me, sicùt antèà, juvat
Scribere versiculos, amore percussum gravi;

1. *Petti :* vide *Argumentum*, in initio. — *Nihil me, sicùt antèà, juvat*, etc. : exemplo suo nos poeta utilitèr edocet, quàm facilè violentæ cupidines viros ipsis deditos ab honestis studiis et à consuetis exercitationibus abstrahant. — *Amore percussum gravi :* in multis codic. legitur, *perculsum ;* eamdem variationem passus est Virgilianus ille versus, Georg. II, 476 : *Quorum sacra fero, ingenti percussus* (alitèr, *perculsus*) *amore.*

Amore, qui me prætèr omnes expetit
Mollibus in pueris, aut in puellis urere.
Hic tertius December [2], ex quo destiti
Inachiâ furere, silvis honorem decutit.
Heu! me, per urbem, nàm pudet tanti mali,
Fabula quanta fui! conviviorum et pœnitet,
In queis amantem et languor et silentium
Arguit, et latere petitus imo spiritus.
« Contràne lucrum nil valere candidum
» Pauperis ingenium [3]! » Querebar, adplorans tibi,
Simùl calentis inverecundus deus
Fervidiore mero arcana promôrat loco.

— *Me prætèr omnes :* me intèr multos alios juvenes quasi delectum quem amor ureret. — *Urere :* eodem sensu, apud Ovid. Metamorph. VII, 21 : *Quid in hospite, regia virgo, Ureris?*

2. *Tertius december :* tertius annus est, ex quo Inachiam furentem in modum adamare desii. — *Silvis honorem decutit :* arbores foliis suis spoliat. Iisdem ferè verbis Virgil. Georg. II, 404 : *Frigidus et sylvis aquilo decussit honorem.* — *Languor :* mollis animi habitus sub curarum pondere fatiscentis. — *Silentium ;* jàm suprà, Od. IV, 1, 35 : *Cùr facunda parum decoro Intèr verba cadit lingua silentio?* Vide h. l. et notam. — *Et latere petitus imo spiritus :* et suspirium ex alto pectore attractum; omnia violenti amoris indicia.

3. *Contràne lucrum nil valere candidum Pauperis ingenium!* sunt verba Horatii ad amicum de Inachiæ avaritiâ conquerentis. Fierine potest, me *candore* et *ingenio* præditum, sed opibus destitutum, inferiorem esse apud Inachiam divitibus quorum illa amorem *lucro* apponit? — *Querebar applorans tibi :* talia non sine lacrimis tibi dicebam, simùl ac, etc. — *Simùl calentis inverecundus deus Fervidiore mero arcana promôrat loco.* Sic construe : *Simùl* ac *inverecundus deus*, Bacchus, *promôrat loco*, h. e. *extorserat arcana* mei *fervidiore mero calentis.* Silere decreverat; sed vino linguam solvente, tùnc de amoribus suis cum Pettio unicè confabulabatur. Ideò Bacchum hìc *inverecundum* vocat quem suprà Od. I, 27, 3 *verecundum* è contrà appellavit; nàm hìc pudorem expellebat quem ex indigno suo amore Horatius concepisse se fassus est (nàm pudet tanti mali). Consule notam in Oden, I, 27, 3.

« Quòd si meis inæstuat præcordiis
» Libera bilis, ut [4] hæc ingrata ventis dividat
» Fomenta, vulnus nil malum levantia,
» Desinet imparibus certare submotus pudor. »
Ubi hæc severus te palàm laudaveram [5],
Jussus abire domum, ferebar incerto pede
Ad non amicos heu! mihi postes, et heu!
Limina dura quibus lumbos et infregi latus.
Nùnc, gloriantis [6] quamlibet mulierculam
Vincere mollitiâ, amor Lycisci me tenet;
Undè expedire non amicorum queant

4. *Quòd si meis inæstuat præcordiis Libera bilis, ut* etc.: Continuat orationem cùm Pettio in poculis habitam super Inachiæ fastu et avaritiâ. Et si, quod meditor, inquit, hanc injuriam ad animum revocans, quâ decet indignatione, ea omnia quæ adhùc in me sentio amoris fomenta, et veluti pabula quædam, abjiciam, cùm nihil prosint; tùnc tandèm cessabit illa impudentia, quâ nùnc imparem amare, et potentiorem æquare rivalem contendo. Sic locum difficilem, et, ut verùm fatear, insuavem atque asperum obitèr explicandum censeo. *Fomenta* enim *amoris* sunt eadem quæ et pabula, otium maximè ac desidia, et inepta quædam credulitas atque spes. Neque aliud *summotus pudor,* hoc est, nullus; et *imparibus certare* non minus rectè ad quoscumque corrivales, quàm ad amicum referri potest. Hæc impar moribus, illi facultatibus. Benè ergò Phyllidem monet, lib. IV, 11 : *Disparem vites :* ità quidèm Torrentius, qui locum illum, quo nullus apud Horatium fortassè difficilior, optimè intèr alios interpretes elucidare mihi visus est.

5. *Ubi hæc severus te palàm laudaveram :* postquàm talia, non leviter, sed severo, sed certo consilio, coràm te promiseram. — *Jussus abire domum :* convivium relicturo mihi præscribebas, ut, propositi tenax, ad domum meam, non ad Inachiæ domum me conferrem; sed, etc. — *Ferebar incerto pede :* ut is quem promissa fallere, quem mandata tua non exsequi puderet, animo fluctuans, gressum subindè revocans. — *Limina dura :* duræ et crudelis Inachiæ. — *Quibus lumbos et infregi latus :* pernoctando ad januam, humi jacendo; vide suprà, Od. III, 10, 20.

6. *Nùnc gloriantis,* etc.: eccè proptèr quod magis quàm proptèr Inachiæ amorem, Horatium confessionis suæ pœniteat. —

Libera consilia, nec contumeliæ graves;
Sed alius ardor aut puellæ candidæ,
Aut teretis pueri, longam renodantis comam.

Amicorum consilia : ad Pettium ipsum respicit qui, cùm eum ab Inachiâ abstrahere tentavisset, turpiorem libidinem improbaturus supponitur. — *Nec contumeliæ graves :* intelligit sivè injuriosa ipsius Lycisci fastidia, sivè duras Pettii cæterorumque amicorum exprobrationes. — *Puellæ candidæ :* pulchræ, ut passìm. — *Aut teretis pueri :* cujus membra ad formam femineam delicatâ rotunditate accedant. — *Longam renodantis comam :* non in nodum astringentis, ut nonnullis interpret. placet, sed è contrà, dissolventis, ità ut in humeros diffundatur. Vide Od. III, 20, 14, et IV, 10, 3.

ODE DUODECIMA

IN ANUM LIBIDINOSAM.

Ut in octavo hujusce libri carmine, vetulam quamdam fœditate et lasciviâ insignem, et ætatis suæ damna infamibus donis redimere tentantem contumelioso versu hic notat Horatius, quoàd finem quem sibi proposuit laudandus, dignus tamen vituperio, qui mulierem inhonestam inhonestioribus ferè verbis insectatus sit.

Quid tibi vis [1], mulier nigris dignissima barris?
Munera cùr mihi, quidve tabellas
Mittis, nec firmo juveni, neque naris obesæ?
Namque sagaciùs unus [2] odoror,
Polypus, an gravis hirsutis cubet hircus in alis,
Quàm canis acer ubì lateat sus.

1. *Quid tibi vis?* Quis te furor exagitat? — *Nigris dignissima barris:* digna quæ cum elephantis, non cum viris coeas; elephanti nigri cæteros elephantes turpitudine et fœtore superant. Cùr autèm ad designandam anûs illius libidinem, elephantes præ cæteris animalibus Noster selegerit, ipsa prægrandis et prodigiosæ belluæ moles satis indicat. — *Tabellas:* litteras amatorias. — *Nec firmo juveni:* mihi, qui licèt ætate vigens, coràm te juvenili robore destituor. — *Neque naris obesæ:* et cujus nares non ità obtusæ sunt, ut illas fugiat odor fœtidus qnem exhalas.

2. *Unus:* præ cæteris hominibus, nemo sagaciùs odoratur. — *Polypus:* tumor prætèr naturam intrà nares genitus, polypi piscis carni similis, de quo Cels. VI, 8, et undè fœtor horrendus nascitur. — *An gravis hircus:* odor hircorum pessimè, ut notum est, olentium fœtorem referens, et ex sudore ex alarum pilis defluente ortus. — *Canis acer:* nare sagax.

Qui sudor vietis et quàm malus undique membris
Crescit odor [3]! cùm pene soluto,
Indomitam properat rabiem sedare, neque illi
Jàm manet humida creta, colorque
Stercore fucatus crocodili; jàmque subando
Tenta cubilia, tectaque rumpit;
Vèl mea cùm sævis agitat fastidia verbis [4]:
« Inachiâ langues minùs ac me [5];
« Inachiam tèr nocte potes; mihi sempèr ad unum

3. *Qui sudor vietis et quàm malus undique membris Crescit odor!* sed sudor ille quo naturalitèr et continuò diffluis, quantùm augetur, cùm etc. *Vieta membra*, sunt artus flaccidi, ab antiquâ voce *vieo*, h. e. ligo, inflecto, undè *vimen*, notissimum arbusti genus, flexibilitate inprimis perutile.—*Cùm pene soluto :* expedito et ad actum parato, si Dacierio et plerisque aliis interpretibus credas. Multò meliùs Mitscherlich, qui, è contrà, penem opere absoluto languidum interpretatur; rabiosa enim vetulæ istius libido, lassari, non satiari potuit; idcircò nihil non tentat, ut pars illa, quæ infirma jacet, *ad sedandam indomitam rabiem*, reviviscat. — *Neque illi Jàm manet humida creta :* tanto ardore incalescit, tantis motibus agitatur, ut diffluat fucus quo irreparabile annorum damnum reparare tentaverat. — *Colorque Stercore fucatus crocodili :* fucus è stercore crocodili confectus: Plinius XXVIII, 8, testatur stercus crocodili molestias in facie enascentes tollere. — *Subando :* suum, vèl aliorum lascivorum animalium more sese agitando. — *Tenta cubilia :* lectos velis ductilibus (gallicè, *les rideaux*) coronatos. — *Tecta :* (gallicè, *les ciels du lit.*)

4. *Vèl mea cùm sævis agitat fastidia verbis :* ut hæc cum præcedentibus congruant, et ad sudorem è vetulæ membris diffluentem commodè referri possint, subaudiendum est, eam in vehementes exprobrationes non erumpere nisi postquàm ad rem perficiendam omnes libidinis artes frustrà adhibuit; tùnc languorem Horatii, sivè suî fastidio, sivè exhaustis cum Inachiâ viribus tribuens, ipsius frigiditatem verbis contumeliosis, quæ sola supersunt, ulciscitur.

5. *Inachiâ langues minùs ac me :* felicior Inachia, non te sic languentem experitur. — *Inachiam tèr nocte potes :* suppresso, non, ut ait Mitscherlich, verecundiæ sensu, sed usitatâ apud matronas Romanas formulâ, verbo *subigere*, vel altero etiàm obscœniori. Quid enim in-

« Mollis opus : pereat malè, quæ te
» Lesbia quærenti taurum, monstravit inertem,
» Cùm mihi Cous adesset Amyntas,
» Cujus in indomito constantior inguine nervus,
» Quàm nova collibus arbor inhæret.
» Muricibus Tyriis iteratæ vellera lanæ [6]
» Cui properabantur? Tibi nempè;
» Ne foret æquales intèr conviva, magìs quem
» Diligeret mulier sua, quàm te.
» O ego non felix, quam tu fugis, ut pavet acres
» Agna lupos, capreæque leones!»

ter anum illam et sermonis verecundiam? — *Lesbia :* famosæ cujusdam lenæ nomen. — *Quærenti taurum :* fortem ac validum sessorem. — *Coïus Amyntas :* juvenis quidam robustus ex insulâ Coo.—*Nervus :* virile membrum. — *Indomito :* nunquàm defatigato. — *Constantior :* firmior et intensior. — *Nova arbor :* arbor, non tenera, non recentiùs insita; sed adulta et juvenili robore luxurians; *nova*, eo sensu tantùm, quòd arboribus senio fatiscentibus omninò dissimilis est.

6. *Muricibus Tyriis iteratæ lanæ :* ut suprà Od. II, 16, 36 : *Te bis Afro murice tinctæ Vestiunt lanæ ;* munera ipsi à se oblata turpitèr objicit. — *Ne foret æquales inter conviva*, etc. : ne te cum amicis tuis compotantem ullus alius juvenis, insignioribus vestimentis, amicæ suæ muneribus, vincere queat. — *Ut pavet acres Agna lupos, capreæque leones :* ex Theocrito, XI, 24 : Φεύγεις δ' ὥσπερ ὄϊς πολιὸν λύκον ἀθρήσασα. Vide suprà, Epod. IV, 1.

ODE DECIMA TERTIA

AD AMICOS.

Amicos et unum præcipuè ex iis, aliquâ calamitate afflictum et secreto quodam animi morbo laborantem, ad curarum oblivionem invitat Horatius, suadetque ut tristem et nebulosam anni tempestatem conviviorum hilaritate traducant, proposito Chironis centauri exemplo, qui Achillem, alumnum suum in Trojano bello periturum, ad levandam vino et citharâ tristitiam hortabatur.

Horrida tempestas cœlum contraxit [1], et imbres
Nivesque deducunt Jovem; nùnc mare, nunc silüæ
Threïcio Aquilone sonant. Rapiamus, amici,
Occasionem de die; dùmque virent genua,

1. *Cœlum contraxit :* agglomeratis nubibus cœli planities *contrahi* videtur, cùm reverâ prospectus minùs latè pateat; iisdem verò dissolutis, horizon expanditur. — *Imbres Nivesque deducunt Jovem :* Jovem pro ipso aere usurpare poetis familiare est; vide Virgilium Georg. II, 325; porrò, cùm pluviali nivalique tempore aer subsidere propiùsque terræ incumbere videatur, Jupiter ipse è superiori cœli regione descendere, et quasi *deduci* dicitur. — *Silüæ :* vox trysillaba, metri causâ. Frequens est ista vocalis *u* in consonantem *v*, et vice versâ, transmutatio, prout mensuræ leges postulant. *Genua labant,* Virgil. Æneid. V, 432. *Tenuia nec lanæ per cœlum vellera ferri,* id. Georg. I, 397, et passim. — *Rapiamus Occasionem de die :* ex illâ ipsius die tristitiâ *occasionem* genio indulgendi *rapiamus,* cùm nihil aliud commodè agere possimus. — *Dùmque virent genua :* in genibus enim validis et firmis certissimum juvenilis roboris indicium. — *Et decet:* dùm per ætatem nostram

Et decet, obductâ solvatur fronte senectus.
Tu [2] vina Torquato move consule pressa meo.
Cætera mitte loqui; Deus hæc fortassè benignâ
Reducet in sedem vice. Nùnc et Achœmeniâ
Perfundi nardo [3] juvat, et fide Cyllenæâ
Levare diris pectora sollicitudinibus;
Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno [4]:
« Invicte, mortalis Deâ nate, puer, Thetide,
» Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
» Findunt Scamandri flumina, lubricus et Simois;
» Undè tibi reditum certo subtemine Parcæ
» Rupere [5]; nec mater domum cærula te revehet.

fieri permittitur quod senioribus indecorum foret. — *Obductâ solvatur fronte senectus:* solvatur tristitia, quæ frontem rugis sulcat, nobisque, licèt ætate vigentibus, senilem vultum inducit.

2. *Tu:* unum inter amicos seligit, quem edacioribus curis districtum idcircò alloquitur.— *Move:* ex amphorâ in cyathos transfunde. — *Torquato consule pressa meo:* vide suprà Od. III, 21, 1, et notam in h. l. — *Cætera mitte loqui:* nulla jàm de sollicitudinum tuarum causis mentio fiat.—*Hæc:* sortem tuam. *Benignâ vice:* ut nùnc severus, sic (quod speraudum est), vicissim in te clemens et benignus. — *Reducet in sedem:* fortunam tuam nùnc prostratam et quasi à *sede* suâ deturbatam restituet.

3. *Achœmeniâ nardo:* unguentis Persicis: vide suprà Od. II, 12, 21, et III, 1, 44; consule quoque notas. — *Fide Cyllenæâ:* lyra sic dicta fuit à Mercurio ejus inventore, suprà Od. I, 10, 6, qui in Cyllene, Arcadiæ monte, natus credebatur.

4. *Grandi Centaurus alumno:* Chiron, Phillyræ filius, insigni probitatis, sapientiæ, et æquitatis laude nobilis, datus Achilli à Peleo et Thetide, moderator teneræ ætatis, ac magister. In cœlum à poetis translatus est, et Sagittarius, sivè Arcitenens, ab astronomis appellatur. Juvenc. — *Te manet:* te expectat, à te solo debellanda. — *Assaraci tellus:* nimirùm Troas, regio Minoris Asiæ, seu Phrygia, in quâ regnavit Assaracus, Troïs alter filius, avus Anchisæ: alter autem Troïs filius fuit Ilus, à quo Trojani reges propagati, Laomedon, Priamus. Juv.—*Lubricus:* sinuosus, tortuosus, serpentis instàr provolvens undas.

5. *Reditum Rupere:* propria vox illa, *rupere*, cum fatalia

» Illic [6] omne malum vino cantuque levato,
» Deformis ægrimoniæ, et dulcibus alloquiis. »

fila vel rumpendo, vel secando, humanæ vitæ finem Parcæ imponant. — *Certo subtemine :* subtemen, est filum (*la trame*) quod stamini (*la chaîne*) intexitur. Pro voce *certo,* alii legunt *curto;* utrumque epitheton vario sensu Achilli æquè conveniens. Heroïs enim mors non minùs præmatura quàm inevitabilis.

6. *Illic :* sub Trojæ mœnibus. — *Et dulcibus alloquiis :* cum amicis festiva colloquia ineundo. Conclusio est : quod sapientissimus magister heroï ex deâ oriundo, ut malorum suorum levamen edixit, cùr nos hodiè agere dubitaremus?

ODE DECIMA QUARTA

AD MÆCENATEM.

Mæcenati promiserat Horatius carmen quoddam iambicum, neque se promissi memorem tenacemve præstabat. Quapropter à Mæcenate sæpè sæpiùs objurgatus, culpam suam confessione elevat, eamque in amorem rejicit, quo ergà Phrynen, libertinam, carpitur. De nimiâ autèm amoris potestate, Mæcenatem ipsum facetè testem facit, pulcherrimæ puellæ illecebris tùm maximè occupatum.

Mollis inertia [1] cùr tantam diffuderit imis
Oblivionem sensibus,
Pocula Lethæos ut si ducentia somnos
Arente fauce traxerim,

1. *Mollis inertia:* rectè *mollis*, cùm ea sit violenti amoris natura, ut vires animi frangat et enervet. — *Cùr tantam diffuderit imis Oblivionem sensibus:* justissimâ metaphorâ; oblivio enim magnam cum somno affinitatem habet, qui omnium rerum memoriam tollit et in intimos artus sese insinuat et *diffunditur.* — *Pocula Lethæos* etc.: notissima Lethæarum undarum virtus, de quibus Virg. Æneid. VI: *Lethæi ad flaminis undam Securos latices et longa oblivia potant.* — *Arente fauce traxerim:* hoc dictum, ut facilior accedat culpæ suæ excusatio. Non enim aliquot obliviosi fluminis guttulas, quasi transeundo, bibisse supponitur, sed largo potu, ut siti Tantaleâ incensus, sese proluisse. — *Candide Mæcenas:* animi candorem notat, quo vera de se ipso et de amicis suis au-

Candide Mæcenas, occidis sæpè rogando.
Deus, Deus [2] nàm me vetat
Inceptos, olim promissum carmen, iambos
Ad umbilicum adducere.
Non alitèr Samio dicunt arsisse Bathyllo
Anacreonta Teïum [3],
Qui persæpè cavâ testudine flevit Amorem,
Non elaboratum ad pedem.
Ureris ipse miser [4]. Quòd si non pulchrior ignis
Accendit obsessam Ilion,

dire Mæcenas meretur. — *Occidis sæpè rogando :* frequentibus interrogationibus vexas; nihil enim est quod rationi approbatum respondeam.

2. *Deus, Deus :* Amor scilicèt; vox illa, *Deus*, ex industriâ iteratur. — *Inceptos iambos :* quæ fuerit postulati et promissi illius carminis materia, ignoratur. — *Ad umbilicum adducere :* infima pars chartarum in quibus scribebatur, cylindro ligneo armata erat, circà quem charta volvebatur, unde voluminis nomen accipiebat, eo ferè modo quo in servandis mappis geographicis persæpè utimur. Ex utràque parte cylindri eminebant ornamenta quædam aut lignea aut eburnea, umbilici nostri formam referentia, quæ quidem non nisi libro absoluto ad cylindrum applicabantur. Unde librum *ad umbilicum adducere* nihil aliud est quàm illum finire, et sic, per translationem, de quolibet alio opere consummato. *Ohe jàm satìs est, ohe, libelle ! Jàm pervenimus usque ad umbilicum ;* Martial. IV, 91, 1. *Nec umbilicis cultus atque membranâ,* Id. I, 67, 11.

3. *Non alitèr Samio dicunt arsisse Bathyllo Anacreonta Teium* : ut à carminibus seriis per Bathylli amorem Anacreon avocatus est, sic et ego, cui Phryne non minùs dilecta est quàm fuit olim Teio vati puer ille è Samo oriundus. — *Flevit amorem :* ingemuit se Polycrati Samiorum tyranno posthaberi. — *Non elaboratum ad pedem :* versibus facilioribus, quorum negligentia poetam infelici amore districtum arguebat.

4. *Ureris ipse miser :* tu quoque, Mæcenas, scis quid sit amor; mihi igitur facilè ignosces. — *Quod si non pulchrior ignis Accendit obsessam Ilion :* si puella quam deperis formâ Helenen æquat; Helene dicitur *ignis* quo Troja *accensa* est. *Trojæ et patriæ communis Erynnys,* Virg. Æneid. II, 573. —

Gaude sorte tuâ; me libertina, neque uno
Contenta, Phryne macerat.

Neque uno contenta : sic confirmatur instituta inter se et Anacreontem similitudo; utereque in amoribus suis inconstantiam perfidiamque expertus est.

ODE DECIMA QUINTA

AD NEÆRAM.

Amicam de inconstantiâ et perfidiâ incusat Horatius, rivalemque sibi prælatum monet fore ut ipse vicissìm à Neærâ desertus irrideatur.

Nox erat [1], et cœlo fulgebat luna sereno
Intèr minora sidera,
Cùm tu, magnorum numen læsura Deorum,
In verba jurabas mea,
Arctiùs atque [2] hederâ procera astringitur ilex,
Lentis adhærens brachiis,
Dùm pecori lupus, et nautis infestus Orion

1. *Nox erat:* nocturnum tempus expressè siguat poeta, tùm quià illud amoribus favet, tùm quià in ipsis tenebris nescio quid religiosi inest, è quo jurisjurandi fides augeatur, perjuriique scelus crescat. — *Et cœlo fulgebat luna sereno Inter minora sidera:* vide suprà Od. I, 12, 47. Lunam autèm et sidera sacramento velùt testes affulsisse commemorat, quod apud poetas usitatissimum. Sic Nisus Æn. IX, 429: *Cœlum hoc et conscia sidera testor;* sic apud Juvenalem: *Sed luna videt, sed sidera testes Intendunt oculos.* — *Læsura:* eo ipso momento quo jurabas, fidem fallere certa. — *In verba jurabas mea:* in verba quæ tibi dictabam, quæ erat jurisjurandi solemnior formula; undè major fidei sic datæ obligatio. Vide infrà Epist. I, 1, 14: *Nullius addictus jurare in verba magistri.*

2. *Arctiùs atque:* arctiùs quàm. — *Lentis adhærens brachiis:* dùm tu, perfidiam tenerrimis blanditiis dissimulans, me, lacertis tuis corpori meo arctissimè implicitis, amplexum tenebas. — *Nautis infestus Orion:* de Orione, vide suprà

Turbaret hibernum mare,
Intonsosque agitaret Apollinis aura capillos,
Fore hunc amorem mutuum.
O dolitura meâ multùm virtute Neæra [3]!
Nàm, si quid in Flacco viri est,
Non feret assiduas potiori te dare noctes,
Et quæret iratus parem;
Nec semel offensæ cedet constantia formæ,
Si certus intrârit dolor [4].

Od. I, 28, 21, III, 27, 18; et Epod. X, 10. — *Intonsosque agitaret Apollinis aura capillos:* capilli intonsi, perpetuæ juventutis signum, Apollini et Baccho tribuebantur. Vide suprà Od. III, 4, 61. — *Fore hunc amorem mutuum:* hæc verba ad vocem, *jurabas*, quæ, ut vera fateamur, paulò longiùs distat, referenda sunt.

3. *O dolitura meâ multùm virtute Neæra!* per *virtutem* intellige firmum et constans animi propositum, quo jàm se *virum*, injuriam suam ulciscendo, præstabit; quod quidèm consilium gravissimos dolores Neæræ pariturum est. — *Si quid in Flacco viri est:* sententiam explicare pergit. — *Potiori:* rivali meo, quem tu mihi prætulisti. Vide suprà Od. III, 9, 2. — *Et quæret iratus parem:* et quæret alteram puellam quæ amori meo respondeat. *Par* dicitur qui cum altero convenit; *impar*, qui alterius societatem pati nequit. Eo sensu suprà Od. 1, 33, 10: *Cui placet impares Formas atque animos sub juga ahenea Sævo mittere cum joco;* et Propertius, I, 1, 32: *Sitis et in tuto semper amore pares.*

4. *Nec semèl offensæ cedet constantia formæ, Si certus intrârit dolor:* vix credibile est quàm variis et inter se oppositis interpretationibus obnoxius fuerit locus ille, subobscurus quidèm, ipso tamèn sententiæ tenore facilè explicandus. Ad ultionem paratum et irrevocabilitèr determinatum sese jactavit Horatius; *iratus* est adversùs Neæram; sed non ignorat quis sit et quàm vulgò malè certus amantium furor. Strictè fieri posset ut victus puellæ suæ lacrimis novisque obtestationibus furor ille evanesceret. Quòd si contrarium eveniat, si dolor ille quo se periturum dicit, *certus* fiat, nec jàm ulla redituì via aperiatur, tùnc *constantia*, h. e. firmum ad alios amores evolandi consilium non cedet *formæ semèl offensæ;* non illud domabit eximia Neæræ pulchritudo, quam Horatius *semèl offenderit*, alterius formam, alte-

At tu, quicumque es felicior [5], atque meo nùnc
Superbus incedis malo,
Sis pecore et multâ dives tellure licebit,
Tibique Pactolus fluat,
Nec te Pythagoræ fallant arcana renati,
Formâque vincas Nirea,
Eheu! translatos aliò mœrebis amores;
Ast ego vicissìm risero.

rius pulchrituninem præferendo. Sunt deniquè verba amantis qui revocari cupit; idem est ac si diceret: Tu mihi, Neæra, gravem injuriam acerrimumque simùl dolorem attulisti; pulcherrima tamèn tu mihi sempèr videris. Si in perfidiâ tuâ perstas, ego ex meâ parte, ad alios ignes confugiam; frustrà hâc meâ fugâ offensam te dices, neque formæ tuæ illecebris, nec questibus tuis ad id adducar, ut tuis vinculis rursùs me impediam.

5. *At tu, quicumque es felicior:* sortem quam ipse expertus est, rivali interminatur, de more amantium, ut passìm videre est apud Catullum, Tibullum, Propertium et Ovidium. — *Tibique Pactolus fluat:* Lydiæ fluvius, aureis arenis, quas vexisse dicitur, ut Tagus et plura alia flumina, notissimus. — *Nec te Pythagoræ fallant arcana renati:* de Pythagorâ vide suprà Od. I, 28, 10, et notam. — *Formâque vincas Nirea:* de Nireo, vide suprà Od. III, 20, 15, et notam. Divitias, doctrinam, pluchritudinem in rivale suo supponit Horatius, quæ omnia summam bonorum post virtutem constituunt; nihil tamèn impediet quominùs rivalis ille à perfidâ Neærâ prodatur. — *Vicissìm:* non immeritò, cùm ille Horatii *malo superbus incesserit.* Supr. v. 18 et 19.

ODE DECIMA SEXTA

AD POPULUM ROMANUM.

Sexaginta abhinc ferè annis, bellis civilibus conflagrabat Romana R. P. nequè tamèn majori totius Imperii damno, quàm anno U. C. 722, quo Octavianum intèr et Antonium universis mundi viribus jamjàm dimicandum erat. Qualemcumque eventum lucta illa habitura esset, præteritorum annorum exemplis edocti Romani, nihil nisi cædes, proscriptiones novas, novam agrorum vastationem, et, quod reverâ evenit, bonorum spoliationem præsagiebant. In tanto rerum discrimine animorumque tumultu, in partem publicorum dolorum veniens Horatius, civibus suis suadet ut, ad Phocæorum exemplar, Romam deserant, Fortunatasque petant Insulas, quarum amœnitatem describit. Nullum aliud fortassè in Nostri operibus carmen est pleniùs absolutum, quod, si Danielis Heinsii judicio fides adhibeatur, antiquitatis universæ conatum excedit. *Quòd si hyperbolicam laudem, ideòque Horatio prorsùs indignam, ad verum revocaveris, supererit ode egregia, imaginum copiâ abundans, in quâ civicum dolorem grandes poetæ spiritus afflavisse, orationis motum præcipitavisse reperias; quæ, procùl dubio, ad commendandum vatis opus sufficiunt.*

Altera jàm teritur bellis civilibus ætas [1],
Suis et ipsa Roma viribus ruit.

1. *Altera ætas:* per *ætatem* intellige triginta annorum spatium, è quibus ferè constat *media*, ut aiunt, humani generis vita. Porrò septem et quinquaginta anni intèr primum bellum

Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi [2],
Minacis aut Etrusca Porsennæ manus,
Æmula nec virtus Capuæ, nec Spartacus acer,
Novisque rebus infidelis Allobrox;
Nec fera cæruleâ domuit Germania pube [3],
Parentibusque abominatus Hannibal.
Impia perdemus devoti sanguinis ætas;

civile à Mario, anno U. C. 665 excitatum, et Antonii cladem ad Actium anno U. C. 722 effluxerunt.

2. *Marsi :* alludit ad bellum Sociale, cujus concitandi principes fuêre Marsi, bellicosi Italiæ populi. — *Porsennæ :* Porsenna, Etruscorum rex, Tarquinium, ultimum Romanorum regem, restituere conatus, qui, Mutii Scevolæ audaciâ territus, ab incepto, nt satis notum est, destitit, exercitumque Romæ mœnibus admotum revocavit. — *Æmula nec virtus Capuæ :* Capua, urbs Campaniæ primaria, bello Punico secundo, post afflictas ab Hannibale rei Romanæ opes, in spem venerat Italiæ principatum occupandi; ideò hìc, per elegantem periphrasim, Romæ *æmula* dicitur. — *Nec Spartacus acer :* gladiator virtute bellicâ insignis, belli servilis auctor et dux, de quo suprà Od. III, 14, 19. — *Novisque rebus infidelis Allobrox :* Allobroges, populi Galliæ antiquæ, nùnc Sabaudi ac Delphinates, Catilinæ studebant, ac res novas moliebantur, id est, reipublicæ statum convellere tentabant. Domiti sunt primùm à Caio Pomptinio, ut docet Tullius in oratione *de Provinciis consularibus.* Detecta illorum subindè consilia fuerunt vigilantiâ ejusdem Ciceronis, tùm consulis, cui conjurationem omnem denique aperuerunt, cùm à Catilina descivissent. Hìnc *infideles novis rebus,* id est, conjurationi et partibus Catilinæ, dicuntur, quia fidem illi datam fregerunt. Vèl, simplicitèr explica, *infideles novis rebus,* id est, in rebus novis, ubì aliquis tumultus et reipublicæ conversio existeret, fidem datam servare non soliti, res novas molientibus favere amantes. Posteriori interpretationi à Ren. Binet adoptatæ favere videtur universus carminis tenor.

3. *Nec fera cæruleâ domuit Germania pube : Germanis*, inquit Tacitus, *truces ac cærulei oculi;* German. IV. Non dubium est quin hìc mentio fiat de Cimbris et Teutonibus, quos è Germanicis paludibus ad Italiam oppugnandam profectos Marius, anno U. C. 652, ad internecionem profligavit. — *Parentibusque abominatus Hannibal :* eodem sensu quo suprà Od. I, 1, 24, *bellaque matribus Detestata.* — *Impia perdemus de-*

Ferisque rursùs occupabitur solum.
Barbarus, heu [4]! cineres insistet victor, et urbem
Eques sonante verberabit ungulâ;
Quæque carent ventis et solibus, ossa Quirini
(Nefas vidēre!) dissipabit insolens.
Fortè quid expediat, communitèr, aut melior pars,
Malis carere quæritis laboribus [5].
Nulla sit hâc potior sententia [6]; Phocæorum
Velùt profugit exsecrata civitas

voti sanguinis ætas : impia, quià omnem humanitatis sensum, omnem patriæ charitatem exuimus; *devoti sanguinis,* quià, sivè majorum, sivè nostræ ætatis expiandis furoribus sanguis noster debetur. — *Ferisque rursùs occupabitur solum :* Roma, non alitèr ac antequàm condita fuerit, feris præbebit hospitium; *Hìc ubi nùnc Roma est orbis caput, arbor et herbæ, Et pauca pecudes, et casa rara fuit.* Ovid. Fast. V, 95.

4. *Heu!* plena affectûs exclamatio. — *Cineres insistet :* urbis incensæ et penitùs dirutæ cineribus insultabit. — *Eques sonante verberabit ungulâ :* admirandanda onomatopœa! Credas audiri non ordinatos equitum victorum incessus, sèd superbum ferocientis et incompositæ turmæ agmen, quæ, ipso equorum sonitu insolentem triumphum testatur. — *Quæque carent ventis et solibus, ossa Quirini (Nefas videre!) dissipabit insolens :* et erutas è tumulo, in quo tùm Solis aspectui, tùm ventorum injuriis inaccessæ erant, Romuli reliquias insolentèr disturbabit; quas quidem *nefas est videre;* adde quòd sìc omnis restituendi Imperii restaurandæque Urbis spes auferetur, cùm in ossibus Romuli tumulo compositis stet universa Romanæ potentiæ fides et quoddam Palladii genus.

5. *Fortè quid expediat, communitèr, aut melior pars, Malis carere quæritis laboribus :* sìc sententiam tantispèr implicatam evolve; *fortè, communitèr,* h. e. universi, *aut melior pars,* aut Romani cæteris sapientiores, *quæritis,* interrogatis me, *quid expediat carere,* quid utile tentandum sit, ut careatis (noto admodùm hellenismo) *malis laboribus,* funestis illis eventibus; quid factu opus sit, ut tantorum malorum reipublicæ imminentium prospectum vitetis.

6. *Nulla sit hâc potior sententiâ :* unum est quod suadeam, quod omnibus aliis sententiis anteponendum judicem, scilicèt, *ire, pedes quocumque ferent,* infrà, v. 21. Quæ sequuntur velutì parenthesi includenda sunt. — *Phocæorum Velùt*

Agros atque Lares patrios, habitandaque fana
Apris reliquit et rapacibus lupis,
Ire, pedes quòcumque ferent [7], quòcumque per undas
Notus vocabit, aut protervus Africus.
Sìc placet? àn meliùs quis habet suadere? secundâ
Ratem occupare quid moramur alite?
Sèd juremus in hæc [8] : simùl imis saxa renârint
Vadis levata, ne redire sit nefas,
Neu conversa domum pigeat dare lintea, quandò
Padus Matina laverit cacumina;
In mare seù celsus procurrerit Apenninus;
Novâque monstra [9] junxerit libidine

profugit exsecrata civitas : Phocæi incolæ fuerunt et cives Phocææ, quæ Ioniæ, in Asiâ Minori, urbs erat, ità dicta à multitudine phocarum, sive vitulorum marinorum, qui urbem condentibus circà hoc littus apparuerunt. Phocæi, assiduis Persarum bellis vexati, patriam communi consensu reliquerunt, dirisque exsecrationibus se devoverunt, si quandò eòdem redirent. Variâ deindè fortunâ usi, tandem in Galliam delati sunt, ubì Massiliam condidère. Juv.

7. *Ire, pedes quocumque ferent*, etc. : quasì diceret : Parvi refert in quam regionem sivè terrestri, sivè maritimo itinere deferamur, dummodò longè à Româ discedamus. — *Secundâ alite :* funesta esse nequeunt nobis abeuntibus auspicia. — *Quid moramur :* impatienti vèl levissima mora tarditas et segnities videtur.

8. *Sèd juremus in hæc :* ut in ode præcedenti, v. 4, *in verba jurabas mea*, sacramenti formulas ipse pronuntiat, ità ut qui sese ad eas adigebant, *conceptis verbis* jurare dicerentur, quod erat sanctissimum fidei datæ simùl et acceptæ vinculum. Tùm omnia impossibilia agglomeraturus est, quæ tamèn fieri debebunt, priùsquàm cives natalem terram repetant. — *Ne redire sit nefas :* ut tùnc denique Romam redire non sit scelus, ubì *saxa* è profundo maris *enatantia* suprà undas quibus operiuntur, fluitaverint. — *Padus :* fluvius Italiæ (gallicè, *le Pô*) à Matino, Calabriæ monte ducentis ferè leucis distans. — *In mare seù celsus procurrerit Apenninus :* mons Italiam mediam à septentrione ad meridiem, quàm longa est, intersecans, atque ideò hìnc et indè ab utroque mari disjunctissimus.

9. *Monstra :* non in se, non

Mirus amor, juvet ut tigres subsidere cervis,
Adulteretur et columba milüo;
Credula nec flavos timeant armenta leones,
Ametque salsa lævis hircus æquora.
Hæc, et quæ poterunt reditus abscindere dulces,
Eamus omnis exsecrata civitas [10];
Aut pars indocili melior grege, mollis et exspes
Inominata perprimat cubilia.
Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,
Etrusca prætèr et volate littora [11].
Nos manet Oceanus circumvagus; arva, beata

suâpte naturâ, sed relativè ad *novam* illam *libidinem*, ad *mirum amorem* quo disparia disparibus junguntur. — *Subsidere :* venereum vocabulum ut passìm, *succumbere*, ut apùd Virgilium, Æneid. VI, 24; *suppostaque furto Pasiphaë.* — *Tigres :* hìc, fœminini generis. — *Adulteretur et columba milüo :* fide quam compari servat columba percelebris est, undè columbæ et turtures conjugibus veluti exemplaria proponi solent; elegantèr igitùr non vim, non stuprum pati, sèd verum admittere adulterium, si, vèl coacta, cum alio coeat. — *Lævis hircus :* hircus setas hispidas oblitus, et lævibus squammis, piscium instàr, obduetus.

10. *Hæc exsecrata civitas :* postquàm talibus exseerationibus sese obstrinxerit : vox *hæc*, à verbo *exsecrata*, regitur. — *Reditus dulces :* dulces, quòd memoria amissæ patriæ sempèr *dulcis*, qualicumque de causâ amissa sit. — *Omnis Aut pars indocili meliorgrege :* ut suprà, v. 15, *communitèr, aut melior pars. Gregem* autèm pèr contemptum vocat eos qui, suis consiliis *indociles*, sortem suam cum *egregiis* transfugis communicare recusabunt. — *Mollis :* naturâ suâ ignavus; refer ad gregem. — *Exspes :* qui ignobili melioris conditionis desperatione nihìl ad emergendum è rebus perditis tentare audet. — *Inominata perprimat cubilia :* infaustas et iræ Deorum devotas domos occupare pergat. Rectè *cubilia*, quippè quæ à *grege perprimantur.*

11. *Etrusca prætèr et volate littora :* et mare Tyrrhenum ingressi, versùs Oceanum navigate. — *Circumvagus :* qui terram undequâque ambit, per oppositionem cum mari Mediterraneo quod relicturi sunt; malè igitùr cum voce *arva*, quæ sequitur, nonnulli vocem *circumvagus*, connectunt, legunt-

Petamus arvâ, divites et insulas,
Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis,
Et imputata floret usquè vinea,
Germinat et numquàm fallentis termes olivæ,
Suamque pulla ficus ornat arborem,
Mella cavâ manant ex ilice, montibus altis
Levis crepante lympha desilit pede.
Illic injussæ [12] veniunt ad mulctra capellæ,
Refertque tenta grex amicus ubera;
Nèc vespertinus circumgemit ursus ovile,
Nec intumescit alta viperis humus.
Pluraque [13] felices mirabimur; ut neque largis

que, *circumvagus arva.* Adde quòd, sìc legendo, totam vim repetitionis, *arva, beata Petamus arva,* elevant. — *Divites et insulas :* iusulas illas intelligit, quæ à cœli temperie et ab ubertate olìm *Fortunatæ* vocabantur, hodiè verò *Canariæ* audiunt, Hispanæ ditioni subditæ, Africæ tamèn quàm Hispaniæ viciniores, numero septem, prætèr parvulas aliquot iusulas quæ majoribus ferè contiguæ sunt. — *Inarata :* paululùm hyperbolicè, sed poeticè verum. — *Imputata vinea :* putatio, sivè superfluorum surculorum præcisio, pars est colendæ vitis annua. — *Termes :* ramus ex arbore cum fructu decerptus, qui cùm, antequàm privatæ possessiones lapideis metis definirentur, ad divisionem agrorum terræ quotannis infigi soleret, *Termino* nomen dedit. — *Suamque pulla ficus ornat arborem :* ficus, quæ suâ sponte et sine insitione aut culturâ nascuntur, duræ esse solent et insipidæ, ac citò et ante maturitatem decidunt. Pullus autèm color in ficubus maturitatis indicium est. — *Mella cavâ manant ex ilice :* vide suprà, Od. II, 19, 12 et notam. — *Levis crepante lympha desilit pede :* rem descriptam mirum in modum imitatur versus levis ac quasì subsiliens.

12. *Injussæ : Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ Ubera ;* Virgil. Eclog. IV, 21. *Ultròque ferebant Obvia securis ubera lactis oves ;* Tibull. I, 3, 45. — *Nèc vespertinus circumgemit ursus ovile : Non lupus insidias explorat ovilia circùm, Nèc gregibus nocturnus obambulat ;* Virg. Georg. III, 537. —*Nèc intumescit alta viperis humus :* pèr poeticam hypallagen, pro, *Nèc humus nutrit viperas veneno intumescentes.*

13. *Plura :* multa alia, non minùs jucunda, quæ nos invitare vi-

Aquosus Eurus arva radat imbribus,
Pinguia nec siccis urantur semina glebis,
Utrumque rege temperante cœlitum.
Non hùc Argoo contendit remige pinus [14],
Neque impudica Colchis intulit pedem;
Non hùc Sidonii torserunt cornua nautæ,
Laboriosa nec cohors Ulyssei.
Nulla nocent pecori contagia; nullius astri
Gregem æstuosa torret impotentia [15].
Jupiter illa piæ secrevit littora genti [16],
Ut inquinavit ære tempus aureum,

dentur. — *Arva radat :* terras verrendo simùl proruat, quod in locis clivosis frequentèr accidit. — *Utrumque rege temperante cœlitum :* Jove *utrumque*, h. e. pluvias caloremque salutari temperamento moderante.

14. *Non hùc Argoo contendit remige pinus :* qui in his insulis vivunt nullum cum peregrinis habent commercium, neque quidquam periculi est ne illorum moribus et vitiis corrumpantur. Quod ut probet, celeberrimos illicò navigatores nominat, Argonautas scilicèt, Medeam, Phœnicas, Ulyssem, qui hùc nunquàm appulerunt. *Pinus Argoo remige*, navis Argo. — *Impudica Colchis :* Medea, cui pater Æetes, Colchorum rex; de famosis ejus amoribus et incantamentis vulgata fabula est. — *Sidonii :* Phœnices, à Sidone, notissimo Phœniciæ imperio. — *Laboriosa nec cohors Ulyssei :* multis laboribus et periculis in mari exercitata.

15. *Nullius astri Gregem æstuosa torret impotentia :* æstus impotens, calor nimius qui à Sirii ortu vulgò nasci solet, de quo jàm suprà III, 13, 9, *Flagrantis atrox hora Caniculæ.* Hos duos versus, ut cum orationis tractu magis concordes, superiùs nonnulli transtulerunt, pòst v. 52, *Nèc intumescit alta viperis humus.* Fides *mss.* repugnat.

16. *Jupiter illa piæ secrevit littora genti :* supponit vates in universâ humani generis corruptelâ, extitisse tamèn nonnullos à communibus vitiis immunes, quorum in gratiam meritâ exceptione continuata sunt aureæ ætatis beneficia, et ideò secretam iis fuisse sedem cæteris mortalibus incognitam et inaccessam, quâ dignos jàmjàm se præbituri sunt quicumque præeuntem vatem sequi decreverint. — *Ut inquinavit ære*

Ærea dehinc ferro duravit sæcula, quorum 65
Piis secunda, vate me, datur fuga.

tempus aureum : iutèr auream ætatem et æream floruit ætas argentea, *Auro deterior, fulvo pretiosior ære;* Ovid. Metam. I, 115. De eâ silet vates, quòd multos adhùc pios illa ætas noverat, et, quoàd suum propositum, cum aureâ ætate confundi potest. Nota hìc exquisitam verborum proprietatem. Ære, metallo sordido et malè olenti *inquinatur,* ferro *duratur* sæculum aureum. — *Quorum :* ærei scilicèt et ferrei sæculi.— *Secunda fuga :* prosperum effugium. — *Piis :* dixit suprà, v. 9, *Impia perdemus devoti sanguinis ætas;* ergò hìc *pios* jure appellat quicumque sese ab *impiâ* gente in æternum secreturi sunt.

ODE DECIMA-SEPTIMA

AD CANIDIAM.

In ode hujusce libri quintâ vidimus Canidiam impudentissimæ libidinis, veneficii, crudelitatis ream, universæ Romæ odio et irrisioni ab Horatio objectam. Quanto furore Canidia, carmen illud innumeris manibus tritum exceperit, facilè intelligitur. Non dubium est quìn terribiles ultionis minas in poetam pessima anus effuderit, eumque ad novos iambos scribendos excitaverit. Ne verò, Canidiam directè insectando, chordâ sempèr eâdem aberrare videretur, hìc ad alterum scribendi genus poeta se contulit. Socraticâ ironiâ usus, se nocentem fatetur; veniam à Canidiâ supplex implorat; se, insuperabili artium magicarum potestate victum excruciatumque, satìs supèrque pœnarum dedisse fingit, et ridiculâ palinodiâ, in quâ laudes Canidiæ amplificando deterit, eam rursùs cruento flagello exagitat.

Respondet deindè Horatio Canidia, aut respondere censetur, et dùm se inexorabilem exhibet, id minarum genus hosti suo intentat, è quibus exit nova scelerum suorum confessio.

Jam, jàm [1] efficaci do manus scientiæ
Supplex, et oro regna per Proserpinæ,

1. *Jàm, jàm :* duo esse adverbia, quorum alterum alterius repetitio est, ipsâ interpunctione notavimus. Idem valent àc si scriptum fuisset, *Tandèm, tandèm.* — *Efficaci do manus scientiæ :* me ab arte tuâ, cujus vim et potestatem experior, superatum agnosco. Victi in prœliis, *manus* victori *dando*, h. e. protendendo, vitam implorare solebant. — *Supplex :* meliùs cum versu præcedenti, quàm, ut in multis editionibus, cum voce

Per et Dianæ non movenda numina,
Per atque libros carminum valentium
Refixa cœlo devocare sidera,
Canidia, parce vocibus tandèm sacris,
Citumque retrò solve, solve turbinem!
Movit nepotem [2] Telephus Nereïum,

oro, jungitur. — *Regna per Proserpinæ :* per Tartara, è quibus incantamenta tua effluunt. — *Per et Dianæ :* quæ nocti, et ideò magicis artibus præsidet. — *Non movenda numina :* non lacessenda, non provocanda, quæ, si veniam eorum nomine petitam recusaveris, severas à te pœnas exigent. — *Per atque libros carminum :* per formidandos illos codices qui magicas formulas continent. — *Valentium Refixa cœlo devocare sidera :* malè legitur, *defixa ;* eodem sensu Virg. Æneid. V, 527; *cœlo ceù sæpè refixa Transcurrunt, crinemque volantia sidera ducunt ;* h. e. è cœlo abstracta. Vulgatum erat apùd veteres eam esse magarum potestatem ut astra è sedibus suis devocarent. Vide suprà Epod. V, 45 et 46; vide quoque Virgilium, Eclog. VIII, 69; *Carmina vel cœlo possunt deducere lunam. — Vocibus sacris :* à magicis tuis cantibus adversùs me pronuntiatis tandèm abstine. — *Citumque retrò solve, solve turbinem :* nihil lucidiùs hunc locum explicare potest, quàm duo versus sequentes Theocriti, Idyll. II : Χ' ὡς δινεῦθ' ὅδε ῥόμβος ὁ χάλκεος, ἐξ Ἀφροδίτας Ὡς κεῖνος δινοῖτο πόθ' ἁμετερῃσι θυρῃσιν. *Et ut rhombus ille æreus agitatur, sic et ille à Venere circùm portas meas agitetur!* Hinc notum est adhibitum fuisse in incantationibus vèl circulum, vèl rhombum (gallicè, *une toupie*), quem fasciis circumligatum, loro agitabant mulieres illæ veneficæ, ratæ scilicèt impressum instrumento motum devotæ sacris suis victimæ communicari, undè ipsi furor et vertigines. Ad ritus autèm perficiendos, necesse erat ut rhombus in partem determinatam, sinistrorsùm, v. g. aut dextrorsùm volveretur. Quòd si incantationis effectum abolere vellent, satìs erat ut in contrarium sensum moveretur turbo. Rogat igitùr Canidiam Horatius, ut *retrò*, id est, in partem oppositam, rotet turbinem à quo se vehementissimè vexatum et agitatum fingit. Ea vox, *citum*, verbi *ciere* participium est; *retrò citum*, h. e. retrò actum. *Solve* dixit, quià, antequàm in alterum gyrum turbo converteretur, priùs à tœniâ, vèl tenui fune quo circumligabatur, solvendus erat.

2. *Nereium nepotem :* Achillem, genitum ex Thetide, filiâ Nerei. — *Telephus :* Mysiæ rex,

In quem superbus ordinârat agmina
Mysorum, et in quem tela acuta torserat.
Unxêre [3] matres Iliæ addictum feris
Alitibus atque canibus homicidam Hectorem,
Postquàm relictis mœnibus rex procidit
Heu! pervicacis ad pedes Achillei.
Setosa duris exsuêre pellibus
Laboriosi remiges Ulysseï,
Volente Circe, membra; tùnc mens et sonus
Relatus, atque notus in vultus honor.
Dedi satìs supèrque pœnarum tibi,
Amata nautis multùm et institoribus [4].
Fugit juventas, et verecundus color [5]

quæ regio est minoris Asiæ ad Hellespontum. Cùm Græcos ad Trojanam expeditionem proficiscentes impedire conaretur ne per Mysiam iter facerent, ab Achille vulneratus est. Cui plagæ cùm remedium nullum satìs idoneum reperiretur, oraculo responsum est, fore ut eâdem hastâ, quâ fuerat vulneratus, sanaretur. Adiit igitùr Achillem supplex, et ab eo impetravit, ut ex hastæ, quâ ictus erat, rubigine, malagma conficeret, ac vulneri suo imponeret : quo facto, statìm sanitatem est consecutus. Hìnc *lancea Achillis* in proverbium transiit, memoraturque quotiès malum quodlibet et ejusdem mali remedium eamdem habent originem, ut v. g. formosa mulier, præli libertas, etc.

3. *Unxere :* alitèr, *luxere;* quid interest? — *Heu!* refer hanc exclamationem, non ad ea quæ sequuntur, sed ad triste spectaculum regis, patris, senis, ad Achillis pedes provoluti. — *Setosa duris,* etc. : socios Ulyssis à Circe in snes mutatos fuisse vulgare est. — *Mens :* ratio. — *Sonus :* vox humana. — *Notus honor :* pristina formæ dignitas.

4. *Amata nautis multùm et institoribus :* in eo consistit versûs hujusce venustas, quòd primùm Canidiæ pulchritudinem laudare videatur, laudemque protinùs corrigat et retractet, dùm eam *multùm* quidèm *amari*, sed *à nautis et institoribus* asserit. Porrò est aliquid ambigui in his vocibus, *nautis et institoribus*, per quas significari æquè possunt opulenti mercatores magnorumque tractatores negotiorum, vèl istud hominum genus, qui in re maritimâ ultimis, in re mercatoriâ turpissimis muniis funguntur.

5. *Verecundus color :* color,

Reliquit ossa pelle amicta luridâ.
Tuis capillus albus est odoribus;
Nullum à labore me reclinat otium;
Urget diem nox, et dies noctem, neque est
Levare tenta spiritu præcordia.
Ergò negatum vincor ut credam miser [6],
Sabella pectus increpare carmina,
Caputque Marsâ dissilire næniâ.
Quid ampliùs vis? ô mare, ô terra [7]! ardeo

juventutis et sanitatis index; rubicundus, inquit Juvencius; nàm rubor est verecundiæ et pudoris velutì color. — *Reliquit ossa pelle amicta luridâ :* est hìc quædam hypallage. Color enìm non *ossa* propriè *reliquit*, sed *pellem luridam* quâ *ossa amiciuntur*. — *Tuis capillus albus est odoribus :* per *odores* intellige herbas magicas, quæ, dùm incenduntur, vaporem et fumum exhalant, si non mortiferum, at certè magno timori incutiendo idoneum. Nemo nescit sæpiùs evenisse ut per metum subitò ingruentem capilli canescerent. Sìc interpretandæ sunt suprà illæ voces : *fugit juventas;* h. e. præmatura canities caput meum invasit. — *A labore :* à tormentis quibus exercucior. — *Reclinat :* solvìt, liberat; quiescere solemus *reclinati et* jacentes. — *Urget diem nox et dies noctem, neque est :* frustrà dies noctesque sibi invicèm succedunt; sivè per diem, sivè per noctem, non mihi licet *levare præcordia tenta spiritu*, h. e. liberè respirare. Hìc per *præcordia* non viscera, ut sæpè, sed pectus aut pulmones intellige.

6. *Ergò negatum vincor ut credam miser :* paulò intricatior hìc verborum dispositio; sìc igitùr construe : ergò, miser! vincor ut credam, h. e. meâ experientiâ edoctus ad id adducor ut credere cogar, quod hactenùs negaveram; scilicèt, etc. — *Sabella pectus increpare carmina : Sabella carmina*, et in vers. seq. *Marsa næniâ* dicuntur incantationes magicæ, quibus Sabini et Marsi uti præcipuè reputabantur. Sìc Ovidius, Art. Amandi, II, 102 : *Non faciunt ut vivat amor Medeides herbæ, Mixtaque cum magicis næniâ Marsa sonis. Pectus increpare* elegantèr pro, *vehementèr agitare*, ponitur; *caput dissilire* pro, *quasì disrumpi*, quod in locutionem gallicam transiit (*la tête me fend*).

7. *O mare, ô terra!* exclamatio vehementèr dolentis, apùd veteres usitata. Nostri moris est cœlum tantummodò invocare.— *Quantùm neque atro delibutus*

Quantùm neque atro delibutus Hercules
Nessi cruore, nec Sicana fervidâ
Furens in Ætnâ flamma. Tu, donèc cinis
Injuriosis aridus ventis ferar,
Cales venenis officina Colchicis.
Quæ finis? aut quod me manet stipendium [8]?
Effare; jussas cum fide pœnas luam,
Paratus expiare, seù poposceris
Centum juvencos, sivè mendaci lyrâ
Voles sonari; tu pudica, tu proba,
Perambulabis astra sidus aureum.
Infamis Helenæ [9] Castor offensus vice,

Hercules Nessi cruore : vide suprà III, 17. — *Nec Sicana fervidâ Furens in Ætnâ flamma :* notatam in his verbis confusionem sustulit solus signorum typographicorum usus, quæ igitùr adhibere cùr tantoperè cæteros interpretes piguit? — *Tu :* cum emphasi; *tu*, quam tanti dolores flectere deberent, etc. — *Cinis aridus :* hæ voces à suprà dictis derivantur. — *Cales officina :* ellipticè, pro, es mihi quasi officina, quæ calet *venenis Colchicis;* in elaborandis adversùs me venenis non minùs assiduè insudas.

8. *Quod me manet stipendium ?* quo pretio per te indicto à cruciatibus meis redimar? — *Jussas cum fide pœnas luam :* quamcumque liberationis meæ mercedem poposceris, fidelitèr solvam. — *Sivè mendaci lyrâ Voles sonari :* in eâ voce, *mendaci*, stat totius loci jocus; si ad præterita Nostri carmina referatur, seriam excusationem exhibere videtur et priorum contumeliarum retractationem. Si, ad ea quæ sequuntur (quæ vera est Horatii sententia), cruentam ironiam repræsentat. Dùm enìm Canidiam, quasi pœnitentiâ adactus, laudibus elaturus est, illam acerrimis telis pungit, et *pudicam probamque mendaci* carmine prædicando, dissolutam sceleratamque significat. — *Sidus aureum :* te, ut fulgentem stellam, dignâ apotheosi, cæteris sideribus inseram. — *Perambulabis astra :* cœlestem cursum magnificè institues.

9. *Infamis Helenæ :* quæ, jàm per se, ut adultera, ut *Trojæ et patriæ communis Erynnis*, infamiæ addicta, Stesichori versibus diffamata fuerat. Stesichorus pocta carmen de Helenâ scripserat, in quo eam facem Trojani belli dicebat exstitisse : oculis subindè captus recantavit quæ cecinerat, hanc pœnam sibi à

Fraterque magni Castoris, victi prece,
Adempta vati reddidere lumina.
Et tu (potes nàm) solve me dementiâ [10],
O nec paternis obsoleta sordibus,
Nec in sepulcris pauperum prudens anus
Novendiales dissipare pulveres!
Tibi hospitale pectus, et puræ manus;
Tuusque venter Pactumeius, et tuo
Cruore rubros obstetrix pannos lavit,

Castore et Polluce divinitùs immissam existimans; aiuntque usuram oculorum ipsi fuisse redditam. — *Offensus vice :* sortem sororis suæ doleus.

10. *Solve me dementiâ :* doloribus qui me dementant. — *O nec paternis obsoleta sordibus :* obscuram sordidamque originem ironicè exprobrat. — *Nec prudens anus :* tu quam injustum esset intèr illas vetulas annumerare, *prudentes dissipare*, quæ sciunt, quæ solent dissipare. Sic apud Juvenal., III, 86, *Quid quòd adulandi gens prudentissima.* — *In sepulcris pauperum :* quæ non, ut sepulcra divitum, custodiebantur, aut protegebantur murorum coronâ. — *Novendiales pulveres :* composita vox à *novem* et *dies ;* novendiale, vèl quod novem continuis diebus durat, vèl quod pòst nonam diem fieri solet. Novendiale sacrificium fiebat mortuis nonâ die ab obitu. Cineres novendiales, sunt cineres à novem diebus combusti : reliquiæ cadaverum, nondùm in urnas abditæ, aut humo infossæ. Nonâ enìm die cadaver sepultum et humatum fuisse testatur Servius, licèt falsò videatur affirmare per septem dies servatum domi fuisse, octavo die combustum. Virgilius certè conditos cineres et ossa lecta testatur tertio post cadavera cremata die. Æn. V, 212. Et Acron tres tantùm dies mortuos domi servatos fuisse docet. Juvenc. — *Tuusque venter Pactumeius :* filius tuus Pactumeius, quem alii matri subripuisse crederis, verè è ventre tuo editus est; sempèr ironicè. Nàm, si suprà Epod. V, 5, relegeris, patebit *veris Canidiæ partubus nunquàm Lucinam vocatam adfuisse.* Vult Dacierius hìc non de Pactumeio quodam matri suæ subrepto agi, sed è contrà legendum esse, *Partumeius ;* quæ vox adjectiva, ab Horatio facetè composita fuisset, à vocibus, *partu*, et *meiere.* Quæ quidem opinio ab aliis interpretibus unanimi consensu explosa fuit. — *Cruore rubros :* ut in puerperio fieri solet. —

Utcùmque fortis exsilis puerpera.

CANIDIA RESPONDET.

Quid obseratis auribus [11] fundis preces?
Non saxa nudis surdiora navitis
Neptunus alto tundit hibernus salo.
Inultus ut tu [12] riseris Cotyttia
Vulgata, sacrum liberi Cupidinis?
Et Exquilini pontifex veneficî,
Impunè ut Urbem nomine implèris meo?
Quid proderat ditâsse Pelignas anus [13],
Velociusque miscuisse toxicum?

Utcùmque fortis exsilis puerpera : quotiescumque puerperium mentita es; nihil enìm obstat, quìn, peractâ comœdiâ, *fortis*, h. e., viribus integra, è lecto tuo *exsilias*. Dolum Canidiæ amarè magìs signat poeta per vocem, *exsilis*, quàm si simplicitèr dixisset, *surgis*. Surgere enìm potest mulier recentèr enixa; *exsilire* nequit.

11. *Obseratis auribus :* aures *obseratæ*, h. e. surdæ et nihil audientes dicuntur per metaphoram è januâ ductam; janua quæ serâ clauditur, nihil extranei in domum admittit, donèc, volente domino, recludatur. — *Nudis navitis :* qui, ad effugiendam mortem è naufragio imminentem, vestes providè deposuerunt, in insulam proximam aut etiàm in ipsos scopulos enatàturi. — *Alto salo :* salum, de mari agitato propriè intelligitur.

12. *Inultus ut tu :* subaudi; àn fieri potest, àn tibi speràndum est ut, etc., vel quid aliud simile. — *Cotyttia vulgata :* Cotytto, dea infamibus sacris præsidens, quæ à Thracibus, teste Strabone, X, instituta, in Italiam transmigraverant, ubì omni licentiæ genere celebrabantur. Ea autèm, ut Bonæ Deæ mysteria vulgare et eorum turpitudinem revelare, pro inexplicabili scelere ab Initiatis meritò reputabatur. — *Liberi Cupidinis :* è præcedentibus liquet cùr ille *Cupido* vocatus fuerit *liber*. — *Et Exquilini pontifex veneficî :* et, quasì præpositus fuisses nostris sacris magicis quæ, intèr montis Exquilini tumulos et ferales reliquias peregìmus, supremi in nos pontificii jura tibi arrogans.

13. *Quid proderit ditasse Pelignas anus?* sensus et nexus : Quid, quæso, si impunè hæc facere posses, profuisset mihi

Sed tardiora fata te votis manent;
Ingrata misero vita ducenda est, in hoc,
Novis ut usquè suppetas doloribus.
Optat quietem Pelopis infidus pater [14],
Egens benignæ Tantalus sempèr dapis;
Optat Prometheus obligatus aliti;
Optat supremo collocare Sisyphus
In monte saxum; sed vetant leges Jovis.
Voles modò altis desilire turribus [15],
Modò ense pectus Norico recludere;
Frustràque vincla gutturi nectes tuo,
Fastidiosâ tristis ægrimoniâ.
Vectabor humeris tùnc ego inimicis eques [16],

artes magicas non sine magnâ mercede apud anus Pelignas didicisse, aut præsentia venena miscuisse? Sed non inultus abibis; imò fata tardiora, quàm optas te manent; nàm vitâ longa et misera trahenda tibi est eo fine, ut sempèr novis sufficias doloribus, h. e. novi sempèr te dolores excipiant. Anus autèm, h. e. Sagas, *Pelignas* ideò notat, quòd Peligni Marsis vicini erant, in arte veneficâ, ut de Sabellis multotiès diximus, exercitatissimi.

14. *Pelopis infidus pater :* infidum dicit Tantalum, quia cùm interesset conviviis Jovis, et versaretur unà familiaritèr, multa perperàm effutierit, quæ tacenda erant. — *Egens benignæ dapis :* esuriens inter exquisitas dapes antè ipsius oculos *benignè*, h. e. copiosè appositas. — *Optat :* tèr repetitur vox illa *optat*, ut vividiùs sentiàt Horatius quietis illius dulcedinem, quæ summa votorum miseris sempèr fuit, quâque ipse Tartarea tormenta mòx subiturus, sempèr, sic jubente Canidiâ, carebit. De Prometheo et ejus supplicio vide suprà, Od. I, 3, 28, et notam. Non minùs vulgata de Sisypho fabula, de quo jàm suprà, Od. II, 14, 20. Consule notam.

15. *Voles modò altis desilire turribus :* sìc connecte; tu quoque, Horati, non minùs infelix, non levioribus suppliciis addictus, quàm Tantalus, Prometheus et Sisyphus, *quietem optabis*, et te, vèl ipso vitæ pretio, à tuis doloribus, redimere cupies; arte meâ vetabo ne tibi ulla mortis via pateat. Vives invitus, vives ut ultionem meam diutiùs experiaris. — *Norico ense :* vide suprà, Od. I, 16, 9. — *Fastidiosâ tristis ægrimoniâ :* doloribus vitæ tædium afferentibus.

16. *Vectabor eques :* tibi,

Meæque terra cedet insolentiæ.
An, quæ movere cereas imagines [17],
Ut ipse nosti curiosus, et polo
Deripere lunam vocibus possim meis,
Possim crematos excitare mortuos [18],
Desiderîque temperare poculum,
Plorem artis, in te nil agentis, exitum?

comes indivisa, ut eques equo, insistam. — *Meæque terra cedet insolentiæ :* quid dissimulare prodesset hunc versum tàm diversas· interpretationes accepisse, ut obscuritatis meritò argui possit. Alii Canidiam volunt nuntiare, se, ut graviori pondere *inimicos humeros* premat, in aera corpus suum sublaturam; terra enim, inquiunt, cuilibet in altum se levanti, cedit vèl recedit; quod nobis, si vera fateri licet, non absurdum magis quàm ridiculum videtur. Alii, cum ratione quidèm, sed non cum obvio verborum sensu magis concordes, intelligunt : *Terra agnoscet et reverebitur insolentem meam potentiam,* h. e. potentiam insolitam, nemini alteri concessam. Cùm inter duas interpretationes, quarum neutra placet, eligere necesse tamèn sit, in hanc posteriorem cum Dacierio, Ren. Binet, et Daru inclinare nos non diffitebimur.

17. *An, quæ movere cereas imagines :* cereas effigies Sagis illis formare mos erat, quibus absentem, quem incantare vellent, repræsentabant, et effectus incantationis per mutationes coloris proditos dignoscere se mulieres istæ veneficæ arbitrabantur. Hanc superstitionem tractaverunt Theocritus, II, 28; Virgilius, Eclog. VIII, 80, et Voltarius, Henriad. V. — *Ut ipse nosti curiosus :* ut ignorare non potes, tu, qui nocenti curiositate impulsus, mihi inferna mysteria celebranti improvisus supervenire ausus es. — *Polo deripere lunam :* vide suprà, Epod. V, 46.

18. *Possim crematos excitare mortuos :* amplificat potestatem suam, cùm, non solùm mortuos, sed eos ipsos in cinerem redactos ad vitam revocare queat. Sic, apud Statium, Thebaïd. IV, 507, Tiresias eamdem Colchicis Sagis potentiam tribuit; *Nostri cura minor, si non attollere bustis Corpora, nec plenas antiquis ossibus urnas Egerere.... libet?* — *Desideríque temperare poculum.* Componere, miscere philtrum quo amor et potiundi desiderium excitetur. — *Plorem artis, in te nil agentis, exitum?* adversus te unum viribus et potestate destituar?

CARMEN SÆCULARE.

DE LUDIS SÆCULARIBUS.

Admirando quod mòx explanandum erit carmini, ut verè singulari et extrà ordinem posito, præeundum paucis censuimus, ut clariùs explicato Horatii consilio, et materie carminis probè intellectâ, faciliùs quoque intelligeretur quantum artis adhibuerit poeta, ne occasioni oblatæ simùl et solemni argumento impar videretur.

De origine ludorum sæcularium, multi è veteribus recentioribusque scriptoribus scitu digna tradidere, intèr quos memorare sufficiat Valerium Maximum, qui, lib. II, *cap.* 3, *eâ de re facilè consuli potest, minùsque obvium Alexandrum dictum ab Alexandro* (*Italico et vero nomine, Alessandri*), *jurisconsultum Neapolitanum, eumdemque antiquitatis doctissimum exploratorem, qui ludorum sæcularium ritus et cærimonias ex professo descripsit,* Genialium dierum *libro sexto, capite decimo nono.*

Quamvis vulgari opinione sæculum *centum annorum spatium complecti videatur, constat tamèn sæpè sæpiùs accidisse ut ad indefinitam annorum seriem extenderetur; quod explicari potest ab etymologiâ quam voci illi,* sæculum, *vèl potiùs,* seculum, *tribuit Terentius Varro. Eam à* sene *derivatam asserit, quòd longissimum senescendis hominibus spatium contineat, è quibus, vix unus intèr viginti mille ultrà centum annos vivit. Undè, per exceptionem, quamvis rarissimam,* seculum *ad decem et centum annos extensum est.*

Sæculares *igitùr ludos, sic dictos accipimus, quòd semèl tantùm, hominis cujuslibet ætate, fierent.*

Horum institutio antiquissima fertur. Cùm enìm Valerius Pu-

blicola, ille ipse qui reges ejecit, tres filios morbo laborantes ex voto incolumes recepisset, voti reus, ludos publicos primus fundavit, uno quoque sæculo elapso posteà celebrandos. Cui religioni numquàm Roma defuit; primi enim celebrati sunt anno U. C. 298; *secundi, anno* 408; *tertii, anno* 517; *quarti, anno* 626; *quinti, denique de quibus hìc agitur, anno* 736, *imperante Augusto, Furnio et Silano Coss. Undè liquet intèr quamque ludorum sæcularium celebrationem, decem et centum annos sempèr interfuisse.*

Cùm autèm Augustus hos ludos inusitatâ haetenùs magnificentiâ celebrari vellet, nihil consilio suo magìs accommodatum reperit, quàm si hymnus in honorem Apollinis et Dianæ cantari solitus ab Horatio scriberetur. Jussus ergò Noster, ut in ejus vitâ legi potuit, carmen illud conscripsit, è quo non minorem sibi quàm ipsis ludis laudem et famam comparavit. Se totius imperii majestati, orbis universi domino, Divis quos concinebat parem, sibique ipsi ità superiorem præstitit, ut carmen sæculare absolutissimum intèr perfecta lyricæ poeseos monumenta procùl dubio et sinè controversiâ reputetur.

De exsequendi modo et recitandi ordine plura in notis exhibebuntur. Unum superest quod dicamus. Si, pòst tot sæcula, absente cærimoniarum pompâ, cantibus et instrumentorum musicorum auxilio destitutum, tàm blandè auribus adulatur adhùc carmen Horatianum, quo religionis voluptatisque sensu perfundi debuerunt, qui graves elegantesque versus ex innocentium puerorum castarumque virginum ore suavitèr expressos felicitèr hauserunt! Cujus quidèm voluptatis imaginem licèt imperfectam excipere nobis licuit, cùm eosdem versus recentioris Orphei, Philidoris seilicèt, harmoniâ adornatos, et, si minùs puris, doctioribus certè vocibus redditos audivimus.*

Phœbe, sylvarumque potens [1] Diana,

* Olìm, Paschatis temporibus, scenicos ludos per tres hebdomadas, *Concertus* qui *spirituales* dicebantur, Parisiis excipiebant, in quibus, intèr alia musices specimina, unanimi astantium applausu audiebatur Philidoris carmen sæculare.

1. *Sylvarum potens:* ut suprà, Od. III, 22, 1, *Montium*

Lucidum cœli decus, o colendi
Sempèr et culti, date quæ precamur
Tempore sacro,
Quo Sibyllini monuère versus
Virgines lectas puerosque castos

custos nemorumque. — *Lucidum cœli decus :* sol et luna, præcipua cœli lumina, præcipuum ornamentum.— *O colendi sempèr et culti :* sìc, tàm à præterito quàm à futuro, perpetuà Apollinis et Dianæ tutelâ dignam se Roma exhibuit. — *Sibyllini versus :* Sibyllæ, virgines quædam erant, instinctæ divino spiritu, quæ multa posteris temporibus eventura prædixêre. Decem vulgò numerantur. In Italiâ insignis fuit ea, quæ ab urbe Cumis, ubì degebat, Cumana nuncupatur, de quâ Virgilius agit Æneid. VI. Hæc libros quosdam carminum sacrorum plenos obtulit Tarquinio Superbo, Romanorum regi, qui eos inter imperii Romani sacra haberi voluit, præpositis viris à quibus in Capitolini Jovis sacrario servarentur, et, cùm esset opus, consulerentur. Illi viri primùm duo, deindè decem, posteà quindecim creati sunt. Porrò libros Sibyllinos, cùm exustum Syllæ tempore fuisset Capitolium, deperditos reparavit Augustus, conquisitis undique Sibyllarum versibus, eosque in arculis aureis duabus sub statuâ Palatini Apollinis collocavit. Supersunt autèm ex illis carminibus, versus quibus ludorum sæcularium, pòst decem et centum annos continuò renovandorum celebratio præscribitur, quorum tale est initium :

Ἀλλ' ὁπόταν μήκιστος ἵκῃ χρόνος ἀνθρώποισι
Ζωῆς, εἰς ετεων ἑκατὸν δέκα κύκλον ὁδεύων,
Μέμνησ' ὦ Ῥωμαῖε, καὶ οὐ μάλα λήσεαι αὐτός
Μεμνῆσθαι τάδε πάντα· Θεοῖσι μὲν ἀθανάτοισι
Ῥεζειν ἐν Πεδίῳ παρὰ Θύμβριδος ἄπλετον ὕδωρ.

— *Virgines lectas puerosque castos :* deligebantur ad hoc sæculare carmen concinendum ex urbe totâ nobiles pueri septem et viginti, ac totidem puellæ, quorum patres matresque forent superstites. Ex iis conficiebantur duo chori, qui

Dìs, quibus septem placuêre colles,
Dicere carmen.
Alme Sol [2], curru nitido diem qui
Promis et celas, aliusque et idem
Nasceris, possis nihil urbe Româ
Visere majus!
Ritè maturos aperire partus
Lenis Ilithyia [3], tuere matres,
Sivè tu Lucina probas vocari,
Seù Genitalis.
Diva, producas sobolem, Patrumque
Prosperes decreta supèr ingandis
Feminis, prolisque novæ feraci
Lege maritâ;
Certus undenos deciès per annos

alternis canerent. — *Dìs, quibus septem placuêre colles :* Diis Romæ protectoribus.

2. *Alme Sol :* duæ priores strophæ ab utroque choro recitatæ sunt; nùnc per solos pueros fit invocatio ad Apollinem. — *Diem qui Promis et celas : promis,* supèr horizonta ascendendo; *celas,* dùm lucem tuam recedendo abscondis. — *Aliusque et idem Nasceris : Astre toujours le même, astre toujours nouveau;* Racinius, *Religion* I, in initio. H. e. : Tu, qui, quamvìs nihil in naturâ tuâ mutatum fuerit; quamvìs unus et idem sempèr remaneas, tantâ tamèn majestate, tanto splendore coruscans quotidiè renasceris, ut novum quoddam appareas creationis miraculum, et nos eâ admiratione percellas, quam ad prodigium hactenùs non visum experimur. Vulgares et prorsùs Horatio indignas interpretationes silere quàm refellere satius est. — *Possis nihil urbe Româ Visere majus!* verborum magnificentiâ Romæ majestas æquatur.

3. *Ritè maturos aperire partus Lenis Ilithyia :* chorus puellarum preces ad Dianam inchoat. *Lenis aperire,* per hellenismum, pro *auxiliatrix;* benigna in proferendis maturis partubus. De nomine Ilithyiæ et Lucinæ vide suprà, Od. III, 22, 2, et notam in h. l. — *Producas sobolem :* parturientibus ità fave, ut prolem sanam et integram edant. — *Prosperes decreta:* legem maritam, sivè *de maritandis ordinibus,* ab Augusto latam intelligit, quâ honos et jus legitimis conjugiis

Orbis ut cantus referatque ludos [4],
Tèr die claro, totièsque gratâ
Nocte frequentes.
Vosque, veraces cecinisse, Parcæ,
Quòd semèl dictum est [5], stabilisque rerum
Terminus servat, bona jàm peractis
Jungite fata.
Fertilis frugum pecorisque tellus
Spiceâ donet Cererem coronâ;
Nutriant fœtus et aquæ salubres,
Et Jovis auræ [6].
Condito mitis placidusque telo [7],

restituebantur, quamque idcircò *prolis novæ feracem* meritò nuncupat poeta. Conjugium enim, teste Cicerone, Urbis principium et quasi seminarium reipublicæ appellatur.

4. *Certus undenos deciès per annos Orbis ut cantus referatque ludos :* intelligenda præcipuè, ad sensûs connexionem, conjunctio illa, *ut;* quasi chorus diceret : Cùr opem Lucinæ invocavimus ad producendam numerosam civium Romanorum multitudinem? scilicèt, *ut* Respublica novis usquè auctibus vigens, decurso decem et centum annorum spatio, celebrare possit in perpetuum ludos sæculares, eâdem, si non majori, civium frequentiâ adòrnatos. — *Tèr die claro, totièsque gratâ Nocte frequentes :* hinc liquet pèr tres dies totidèmque noctes, sine ullâ interruptione ludos illos celebrari solitos fuisse.

5. *Vosque, veraces cecinisse, Parcæ, Quod semèl dictum est :* hanc et sequentem strophen ab utroque choro cantatam fuisse verisimile est. In ludis sæcularibus, ex edicto versuum Sibyllinorum, sacrificia Parcis offerebantur. *Veraces canere*, h. e. in canendo quod *semèl dictum est*, id est, quarum decreta nunquàm fallunt, cùm nihil aliud quàm æternam Fati voluntatem exprimant; ideò addit : *stabilisque rerum Terminus servat,* quiâ Fati voluntas immutabili rerum ordine ad terminum, sivè ad exitum prædictum, adducitur.

6. *Et aquæ salubres Et Jovis auræ :* imbres enim, modò nimii non sint, fœtibus alendis necessarii, cùm ex illis nascantur herbæ quibus pecora vescuntur, et impediunt quominùs arentes fluvii in paludosas mortiferasque aquas desinant.

7. *Condito mitis placidusque telo :* vide suprà, Od. II, 10, 19 et 20, *neque sempèr arcum*

Supplices audi pueros, Apollo!
Siderum regina bicornis, audi,
Luna, puellas!
Roma si vestrum est opus [8], Iliæque
Littus Etruscum tenuêre turmæ,
Jussa pars mutare Lares et urbem
Sospite cursu,
Cui per ardentem sine fraude Trojam
Castus Æneas, patriæ superstes,
Liberum munivit iter, daturus
Plura relictis;
Dî, probos mores docili juventæ [9],
Dî, senectuti placidæ quietem,
Romulæ genti date remque prolemque,
Et decus omne.

Tendit Apollo, et notam in h. l. Hos duos versus à *pueris*, duosque sequentes a *puellis* cantatos fuisse ex ipso textu liquet. — *Bicornis Luna :* qualis apparet primis novilunii diebus, in quibus ludi sæculares celebrabantur.

8. *Roma si vestrum est opus :* hæc et quæ sequuntur ad versum usquè 61, ab utroque choro recitari debuerunt. Romam antèm ideò Apollinis opus Noster appellat, quòd ejus oraculis fidentes Trojani, ut apùd Virgilium passim legere est, Italiam, patriâ relictâ, petierant. Diana verò pro fratris partibus in bello Trojano sempèr stetit. — *Sospite cursu :* refer ad, *tenuêre ; tenuêre littus Etruscum*, pòst felicem navigationem. — *Cui :* refer ad, *pars jussa.* — *Sinè fraude :* sinè damno, contrà pericula tutus ; ut suprà Od. II, 19, 20 ; quem l. et notam consule. — *Castus Æneas :* eodem sensu quo *pius* à Virgilio dicitur. — *Daturus Plura relictis :* opes ampliores, regnum potentius quam quæ Trojani amiserant.

9. *Dî, probos mores docili juventæ :* nihil in universis Horatii operibus, ubi tamèn tot miranda occurrunt, majori dignum admiratione mihi unquàm visum est quàm hæc strophe in quâ omnia recolliguntur, quibus sivè privata, sivè publica felicitas constare potest. Quid enìm ad bonum publicum magis conferre intelligimus, quàm juventutem *bonis moribus* instructam, legumque salutare jugum *docili*

Quique vos bobus veneratur albis [10]
Clarus Anchisæ Venerisque sanguis,
Imperet bellante prior, jacentem
Lenis in hostem.
Jàm mari terrâque, manus potentes
Medus, Albanasque timet secures [11];
Jàm Scythæ responsa petunt, superbi
Nuper, et Indi.
Jam Fides, et Pax, et Honor, Pudorque
Priscus, et neglecta redire Virtus
Audet, apparetque beata pleno
Copia cornu.
Augur [12], et fulgente decorus arcu

cervice ferentem? Senes juniorum obsequiis et reverentiâ circumdatos, *placidèque* ab honestæ vitæ laboribus sub earumdem legum tutelâ quiescentes? Reipublicæ affluentem *rerum* omnium copiam? Familias numerosâ *prole* potentes? Imperio denique *decus omne* h. e. gloriam è litteris, ex industriæ et commercii artibus, è religione; ex armis partam? Quid *Sol majus* in universo orbe *visere posset?*

10. *Bobus albis :* victimæ albæ, ut digniores pretiosioresque Apollini et Dianæ offerebantur. — *Clarus Anchisæ Venerisque sanguis :* Augustus, qui à Julio Cæsare adoptatus, per eum ab Iulo Æneæ filio originem ducere credebatur. — *Bellante prior :* victor hostium qui contrà enm sustinere bellum ausi fuerint. — *Jacentem Lenis in hostem :* fortitudinem cum clementiâ conjunctam nescio quid divini habere innuit vates, cùm in illâ conjunctione nuncupata pro Augusto vota recolligat.

11. *Albanas secures :* Romanam potestatem; quià secures, vèl fasces, supremæ auctoritatis indicium, magistratibus præferebantur, et Roma ab Albâ ducebat originem. — *Responsa petunt :* conditiones pacis quas accipiant, humiliter exposcunt. — *Neglecta redire Virtus Audet :* quæ fuit anteà morum corruptela, cùm hodiè, Virtuti sese palàm ostendere, pro *audaciâ* quâdam imputetur? — *Beata Copia cornu:* vide suprà, Od. I, 17, 14 et 15, et notam.

12. *Augur :* cantum repetit solus puerorum chorus. Ad captandum Apollinis patrocinium, omnia ejus attributa in hâc stro-

Phœbus, acceptusque novem Camœnis,
Qui salutari levat arte fessos
Corporis artus,
Si Palatinas videt æquus arces,
Remque Romanam Latiumque felix
Alterum in lustrum, meliusque semper
Proroget ævum.
Quæque Aventinum tenet Algidumque [13],
Quindecim Diana preces virorum
Curet, et votis puerorum amicas
Applicet aures.
Hæc Jovem sentire, Deosque cunctos [14],
Spem bonam certamque domum reporto,

phe agglomerantur. *Augur* dicitur, qui in Delo, in Lycià, et in multis aliis locis oracula fundebat; *fulgente decorus arcu*, qui metuendam in monstra, in hostes sibi infensos ultionem sagittis totiès exercuerat; *acceptus novem Camœnis*, quarum choris et cantibus præsidebat, idem artis medendi peritissimus. Confer quæ de seipso jactat Apollo, dùm Daphnen insequitur, Ovid. Metam. I, 515 et sqq. — *Palatinas arces :* ex industriâ Romam, non per Capitolium, ut sempèr, sèd per templum Apollini ab Augusto sacratum, significat. — *Remque Romanam :* has voces à verbo sequenti, *proroget*, non à præcedenti, *videt*, regi luce clarius est. Sensus : si Apollo videt æquus, h. e. æquo, benigno lumine hocce templum in quo laudes ejus concinimus, dignetur prorogare in alterum lustrum, et in ævum sempèr melius Rei Romanæ, Latiique felicitatem! Jàm verò, *lustrum*, pro quolibet alio temporis spatio, accipiendum, et per vocem *ævum*, cum quâ conjungitur, interpretandum. Gallicè diceremus : *d'année en année, d'âge en âge.*

13. *Quæque Aventinum tenet Algidumque :* in monte Aventino et in Algido, altero monte, Romæ vicino, juxtà viam Appiam, Diana præcipuè colebatur. Confer suprà, Od. I, 21, 6. — *Quindecim virorum :* quindecim enim viris, qui libris Sibyllinis præerant, singularis sacrorum sæcularium demandata fuit cura et administratio.

14. *Hæc Jovem sentire, Deosque cunctos :* hic est carminis sæcularis quasi epilogus, ab utroque choro, ut liquet, decantatus. Jovem et omnes deos

Doctus et Phœbi chorus et Dianæ 75
Dicere laudes.

in partem laudum et solemnitatis chorus advocat, et de seipso in primâ personâ, ut aiunt grammatici, loquitur. Ego chorus, qui edoctus sum ab Horatio laudes Phœbi et Dianæ celebrare, spem domum reporto vota mea pro Imperii et Imperatoris salute oblata, non solùm Apollini et ejus sorori, sed ipsi Jovi cæterisque Diis accepta fuisse; h. e. Romam et Augustum sub efficaci totius Olympi tutelâ esse, neque esse timendum ne, ut olim Troja, sic hodiè Roma nonnullos Deos protectores, alios autèm adversarios habeat.

EXPLICIT ODARUM LIBER.

INDEX ODARUM.

PRIOR NUMERUS TOMUM, POSTERIOR PAGINAM INDICAT.

Æli, vetusto nobilis ab Lamo. . . . . I, 291
Æquam memento rebus in arduis. . . . . I, 153
Albi ne doleas plus nimio, memor. . . . . I, 125
Altera jàm teritur bellis civilibus ætas. . . II, 140
Angustam amicè pauperiem pati. . . . . I, 226
At, ô Deorum quidquid in cœlo regit. . . II, 96
Audivêre, Lyce, Dî mea vota, Dî. . . . . II, 63
Bacchum in remotis, credite posteri. . . . I, 212
Beatus ille qui procùl negotiis. . . . . II, 82
Cœlo supinas si tuleris manus. . . . . I, 308
Cœlo tonantem credidimus Jovem. . . . . I, 246
Cùm tu, Lydia, Telephi. . . . . I, 68
Cùr me querelis exanimas tuis. . . . . I, 204
Delicta majorum immeritus lues. . . . . I, 252
Descende cœlo, et dic, age, tibiâ. . . . . I, 238
Dianam teneræ dicite virgines. . . . . I, 93
Diffugêre nives, redeunt jàm gramina campis. II, 35
Dive, quem proles Niobæa magnæ. . . . II, 30
Divis orte bonis, optime Romulæ. . . . . II, 25
Donarem pateras grataque commodus. . . II, 40
Donèc gratus eram tibi. . . . . I, 265
Eheu! fugaces, Postume, Postume. . . . I, 192
Est mihi nonum superantis annum. . . . II, 54

Et thure et fidibus juvat. . . . . I, 135
Exegi monumentum ære perennius. . . . I, 339
Extremum Tanaïm si biberes, Lyce. . . . I, 268
Faune, nympharum fugientûm amator. . . I, 294
Festo quid potius die. . . . . I, 330
Herculis ritu modò dictus, ô plebs. . . . I, 280
Horrida tempestas cœlum contraxit, et imbres. II, 131
Ibis Liburnis inter alta navium. . . . . II, 78
Icci, beatis nùnc Arabum invides. . . . . I, 117
Ille et nefasto te posuit die. . . . . I, 187
Impios parræ recinentis omen. . . . . I, 322
Inclusam Danaën turris ahenea. . . . . I, 286
Intactis opulentior. . . . . I, 310
Integer vitæ scelerisque purus. . . . . II, 95
Intermissa, Venus, diù. . . . . II, 1
Jàm, jàm efficaci do manus scientiæ . . . II, 148
Jàm pauca aratro jugera regiæ. . . . . I, 196
Jàm satìs terris nivis atque diræ. . . . . I, 28
Jàm veris comites quæ mare temperant . . II, 58
Justum et tenacem propositi virum. . . . I, 231
Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen I, 45
Lupis et agnis quanta sortitò obtigit. . . . II, 93
Lydia, dic, per omnes . . . . . I, 50
Mæcenas, atavis edite regibus. . . . . I, 23
Malâ soluta navis exit alite. . . . . II, 109
Martiis cælebs quid agam Calendis. . . . I, 261
Mater sæva Cupidinum. . . . . I, 89
Mercuri, facunde nepos Atlantis. . . . . I, 56
Mercuri, nàm te docilis magistro. . . . . I, 271
Miserarum est, neque amori dare ludum, neque dulci. . . . . I, 276

Mollis inertia cùr tantam diffuderit imis. . . II, 134
Montium custos nemorumque virgo. . . . I, 306
Motum ex Metello consule civicum. . . . I, 144
Musis amicus, tristitiam et metus. . . . . I, 107
Natis in usum lætitiæ scyphis. . . . . I, 109
Ne fortè credas interitura, quæ. . . . . II, 45
Ne sit ancillæ tibi amor pudori. . . . . I, 156
Nolis longa feræ bella Numantiæ. . . . . I, 183
Non ebur, neque aureum. . . . . I, 208
Non sempèr imbres nubibus hispidos . . . I, 173
Non usitatâ, nec tenui ferar. . . . . I, 216
Non vides quanto moveas periclo. . . . . I, 300
Nondùm subactâ ferre jugum valet. . . . I, 159
Nox erat, et cœlo fulgebat luna sereno. . . II, 137
Nullum, Vare, sacrâ vite priùs severis arborem. I, 86
Nullus argento color est, avaris. . . . . I, 150
Nùnc est bibendum, nùnc pede libero. . . I, 138
O crudelis adhùc et Veneris muneribus potens. II, 51
O Diva gratum quæ regis Antium. . . . . I, 130
O fons Blandusiæ, splendidior vitro. . . . I, 278
O matre pulchrâ filia pulchrior. . . . . I, 78
O nata mecum consule Manlio. . . . . I, 303
O navis, referent in mare te novi. . . . . I, 71
O sæpè mecum tempus in ultimum. . . . I, 166
O Venus, regina Cnidi Paphique. . . . . I, 119
Odi profanum vulgus, et arceo. . . . . I, 219
Otium divos rogat in patenti. . . . . I, 199
Parciùs junctas quatiunt fenestras. . . . . I, 104
Parcus Deorum cultor et infrequens. . . . I, 127
Parentis olìm si quis impiâ manu. . . . . II, 90
Pastor cum traheret per freta navibus. . . I, 74

Persicos odi, puer, apparatus . . . . . I, 74
Petti, nihil me, sicùt anteà, juvat. . . . II, 142
Phœbe, silvarumque potens Diana. . . . II, 124
Phœbus volentem prælia me loqui. . . . . II, 73
Pindarum quisquis studet æmulari. . . . II, 6
Poscimur... Si quid vacui sub umbrâ. . . . I, 123
Quæ cura Patrum, quæve Quiritium.. . . II, 67
Qualem ministrum fulminis alitem. . . . II, 17
Quandò repostum Cæcubum ad festas dapes. II, 116
Quantùm distet ab Inacho. . . . . I, 296
Quem tu, Melpomene, semèl. . . . . II, 13
Quem virum aut heroa lyrâ vel acri. . . . I, 61
Quid bellicosus Cantaber, et Scythes. . . . I, 179
Quid dedicatum poscit Apollinem. . . . . I, 120
Quid fles, Asterie, quem tibi candidi. . . I, 258
Quid immerentes hospites vexas, canis. . . II, 107
Quid tibi vis, mulier, nigris dignissima barris. II, 128
Quis desiderio sit pudor aut modus. . . . I, 101
Quis multâ gracilis te, puer, in rosâ. . . . I, 40
Quò me, Bacche, rapis tuî. . . . . I, 317
Quò, quò, scelesti, ruitis? aut cùr dexteris. . II, 110
Rectiùs vives, Licinî, neque altum. . . . I, 176
Rogare longo putidam te sæculo. . . . . II, 113
Scribêris Vario fortis, et hostium. . . . I, 42
Septimi, Gades aditure mecum, et. . . . I, 163
Sic te diva potens Cypri. . . . . I, 33
Solvitur acris hiems gratâ vice veris et Favonî. I, 37
Te maris et terræ numeroque carentis arenæ. I, 112
Tu ne quæsieris (scire nefas!) quem mihi,
quem tibi. . . . . I, 59
Tyrrhena regum progenies, tibi. . . . . I, 332

Ulla si juris tibi pejerati. . . . . I, 170
Uxor pauperis Ibyci. . . . . I, 284
Velox amœnum sæpè Lucretilem. . . . . I, 82
Vides ut altâ stet nive candidum. . . . . I, 53
Vile potabis modicis Sabinum. . . . . I, 91
Vitas hinnuleo me similis, Chloe. . . . . I, 98
Vixi puellis nupèr idoneus. . . . . I, 320

Q. HORATII FLACCI

SATIRARUM

LIBER PRIMUS.

PRÆFATIUNCULA.

Alteram aggredimur Horatianorum operum partem, triplici libello constantem, *Satirarum* scilicèt, *Epistolarum*, et *Artis poeticæ*, quamquàm ipsa *Ars poetica* titulo *Epistolæ* inscribatur, et reverâ epistolæ formam retineat. Hæc quidem pars, à priori longè dissimilis, multò minori pompâ incedit, ad minùs severas poeseos leges redigitur, et, ut ipse fatetur Horàtius, *sermoni* soluto *propior* est, quàm stricto et Musarum illarum quas totiès felicitèr invocavit dignitati accommodato; undè non immeritò evenit ut à primis Interpretibus tres illi posteriores libri communi quoque *Sermonum* vocabulo appellarentur.

Suum nos cuique propriumque nomen servavimus; illa enìm titulorum distinctio ad luciditatem multùm conferre nobis visa est, præterquàm quòd attentè Horatium legenti cuilibet patebit, suam quoque vim, proprium dicendi genus variis illis libris inesse, nec in uno quoque idem fuisse Horatio propositum, cum in *Satiris* vitia vitiososque præcipuè insectari, in *Epistolis* mores amicorum ad rectam normam componere, eorumdem ingenia bonis litterarum poeseosque principiis imbuere, denique in *Arte poeticâ* ipsa artis elementa, non quidèm didacticâ formulâ, sed liberâ confabulandi familiaritate usus, Pisonibus adhùc tironibus tradere studuerit.

Erraret tamèn qui, ex Horatii confessione, sublimem

lyricorum scriptorem in libris sequentibus nunquàm esse inveniendum præsumere non dubitaret. Notavimus identidèm locos in quibus se, quem Fortuna Virgilio coætaneum fecerat, Virgilio quoque vèl in hexametris, numerorum poëticorum gravitate, et ipsâ scribendi diligentiâ, æmulum haud imparem præstitit.

De *Satirarum* (quam vocem nonnulli, *Satyrarum,* scribunt) nomine et etymologiâ pauca referemus. In hoc conveniunt omnes eruditi, verbum illud derivari à lance omnigenis ferculis *saturâ,* h. e. plenâ, cùm ea sit *Satiræ* natura ut res varias, res etiàm disjunctissimas comprehendat; nàm, ut ait alter à Nostro poeta satiricus, Juvenalis,

> Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
> Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.

Porrò, farrago nihil aliud est, quàm pabuli quoddam genus, ex variis seminibus, ut hordeo, vicià leguminibusque aliis mixtum et compositum.

In notis ad *Artem poeticam*, nihil esse commune demonstrabimus intèr Satiras, et illa carmina quæ à voce græcâ, Σατύροι, latinè *Satyri* dicta sunt.

De *Satirarum* utilitate, de finibus qui nunquàm in hoc periculoso scribendi genere transgrediendi sunt nonnulla adderemus, nisi nobis præïvisset Horatius ipse in multis locis, sed peculiari diligentiâ in primâ secundi libri Satirâ, causæ suæ defensor eloquens, qui materiam ità tractavit, ut nobis, humilibus tanti ingenii annotatoribus, solam admirandi et silendi conditionem reliquerit.

Q. HORATII FLACCI

SATIRARUM

LIBER PRIMUS.

SATIRA PRIMA

AD MÆCENATEM.

Notatur inconstantia hominum, qui, ferè omnes, suâ sorte malè contenti, illam non aliâ de causâ mutare vellent, quàm ut minori curâ et labore majores divitias congererent. Sibi ergò, dùm conditionem seù liberè electam, seù fortuitò objectam, respuere videntur, id unum proponunt, ut avaritiæ satisfaciant. Quapropter occasionem nactus, in avaritiam poeta invehitur, velut præcipuum cæterorum vitiorum fontem.

Quî fit [1], Mæcenas, ut nemo quam sibi sortem
Seù ratio dederit, seù fors objecerit, illâ
Contentus vivat? laudet diversa sequentes?
« O fortunati mercatores! » gravis annis
Miles ait, multo jàm fractus membra labore [2]. 5

1. *Quî fit :* quomodò evenit? — *Sortem :* vitæ professionem, ut militiam, mercaturam, agriculturam, etc. — *Seù ratio dederit, seù fors objecerit :* verborum notanda est proprietas; ratio *dat* quærenti optimum vèl maximè conveniens; fors, sivè Fortuna, *objicit* nihil tale cogitanti, sæpè etiàm invito. — *Diversa sequentes :* studia vèl instituta sequentes *diversa* ab iis quæ ipse profitetur.

2. *Multo jàm fractus membra*

Contrà mercator, navem jactantibus Austris :
« Militia est potior. Quid enìm? concurritur; horæ
» Momento cita mors venit, aut victoria læta. »
Agricolam laudat juris legumque peritus,
Sub galli cantu [3] consultor ubi ostia pulsat.
Ille, datis vadibus, qui rure extractus in urbem est,
Solos felices viventes clamat in urbe.
Cætera de genere hoc, adeò sunt multa, loquacem
Delassare valent Fabium. Ne te morer, audi
Quò rem deducam [4]. Si quis Deus, « En ego, dicat,

labore : tota sententiæ vis in illo adverbio, *jàm ;* miles senio quidèm confectus, sed *jàm,* sed dudùm et antè tempus, militaribus laboribus senex. — *Navem jactantibus Austris:* circumstantiam signat in quâ mercator, aliundè pacis amantissimus, sortem suam militis sorti jure postponere censetur. Militis enìm magnum, sed breve periculum, dùm e contrà horrendæ mortis præludia per multos dies nonnunquàm nautæ experiuntur. —*Militia est potior; quid enim? concurritur :* doctam membrorum sibi rapidissimè succedentium concinnitatem, et rem quasì oculis subjectam, vividisque coloribus expressam non possum quìn admoneam. — *Cita mors venit aut victoria læta :* dissimulat sibi ipsi illudens mercator innumera militiæ incommoda, itinerum longorum labores, vigilias, cibi potùsque parcitatem, vulnera, captivitatem, etc.

3. *Sub galli cantu :* eamdem consuetudinem notat infrà, Epist. II, 1, 103. — *Consultor :* cliens. — *Ille, datis vadibus : vas,* in plurali *vades,* intelligitur de eo qui pro alio spopondit. Ergò hìc non agitur de ruricolâ qui, sponsorem se præstando, agros relinquere cogitur ut sponsionem à se datam exsolvat, sed è contrà de ruris habitatore qui, lite implicitus, *in urbem extractus est* ut fidem sibi à benevolis sponsoribus obligatam liberet, semetipsum, ut decet, coràm magistratibus sistendo. Si verò urbem incoleret, multò minori incommodo prætorem adire posset. — *Loquacem Fabium :* clamosum quemdam causidicum, malâ dicacitate notum, quique nec Mæcenati, nec ipsi Augusto parcens, in Horatii patronorum offensam venerat.

4. *Audi Quò rem deducam :* lectoris attentionem excitat, mòx demonstraturus non certâ aliquâ ratione, sed morositatis et inconstantiæ vitio fieri, ut nemo ferè præsentibus acquiescat. —

» Jàm faciam quod vultis; eris tu, qui modò miles,
» Mercator; tu, consultus modò, rusticus. Hinc vos,
» Vos hinc mutatis discedite partibus. Eia!
» Quid statis? » Nolint. Atqui licet esse beatis.
Quid causæ est, meritò quin illis Jupiter ambas
Iratus buccas inflet, neque se fore posthâc
Tam facilem dicat, votis ut præbeat aurem?
Prætereà (nèc sìc, ut qui jocularia [5], ridens
Percurram; quamquàm ridentem dicere verum
Quid vetat? ut pueris olìm dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima;
Sed tamèn amoto quæramus seria ludo.)
Ille gravem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo [6], miles, nautæque, per omne
Audaces mare qui currunt, hâc mente laborem
Sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,

Hinc vos, Vos hinc mutatis discedite partibus : allegoria ducta est è fabulâ dramaticâ, in quâ actores, pro *partibus* quæ ipsis commissæ sunt, varios theatri locos tenent. — *Quid statis?* votorum compotes jàm votorum pœnitet. — *Atqui licet esse beatis :* per regulam quæ à grammaticis, *attractionis* dicitur, *beatis,* pro *beatos,* scripsit Noster; subauditur *vobis.* Passìm ejusdem generis exempla occurrunt.—*Ambas Iratus buccas inflet :* qui irâ accenduntur, verba minacia, buccis, h. e. genis tumescentibus, effundunt. Hinc apud Græcos, familiare est eodem sensu proverbium, φυσᾷν τὰς γνάθους.

5. *Ut qui jocularia :* subaudi, *percurrunt.* — *Ridentem dicere verum Quid vetat?* mores ridendo castigare comici poetæ et digni satirici munus est. In eo quippè Noster Juvenali antecellit, quòd vitia levitèr et quasì aliud agendo attingat, et ferè sempèr absque ullâ offensâ corrigat. — *Olìm :* nonnunquàm, plerùmque. — *Sed tamèn :* correctionis formula est, quâ præcedentèr dicta revocat. Nàm, cùm fictionem Jovis nùnc facilis et benigni, mòx irati admiserit, jàm nuntiat se *amoto ludo,* ad *seria* et merè philosophica reverti.

6. *Perfidus hic caupo :* hìc *perfidos,* h. e. malæ fidei caupones vocat Horatius, ut infrà, Sat. I, 5, 4, *malignos* vocabit. — *Cùm sibi sint congesta cibaria :* cùm divitias sibi paraverint, quibus otiosam beatamque

Aiunt, cùm sibi sint congesta cibaria; sicùt
Parvula, nam exemplo est magni, formica, laboris,
Ore trahit quodcumque potest, atque addit acervo
Quem struit, haùd ignara ac non incauta futuri.
Quæ, simùl inversum contristat Aquarius annum [7],
Non usquàm prorepit, et illis utitur antè
Quæsitis sapiens; cùm te neque fervidus æstus
Demoveat lucro, neque hiems, ignis, mare, ferrum,
Nil obstet tibi, dùm ne sit te ditior alter.
Quid juvat immensum te argenti pondus et auri
Furtìm defossâ timidum deponere terrâ,
Quod, si comminuas, vilem redigatur ad assem [8]?
At, ni id fit, quid habet pulchri constructus acervus?
Millia frumenti tua triverit area centum,

senectutem traducant. — *Sicùt :* orationem avidi isti homines continuant, et comparationem à formicâ ductam instituunt. — *Parvula magni formica laboris :* formica quæ, quamvis exigua, magnos labores sustinet. Notanda antithesis.

7. *Quæ, simùl inversum contristat Aquarius annum :* hìc poeta loquitur, propositumque ab avaris formicæ exemplum adversùs eos retorquet. Formica, eo quod satìs sit contenta, quæsitis utitur; avarus quærit continuò, utitur nunquàm. *Inversum* autèm *annum* dicit, quià mense januario sol ingreditur Aquarium (*le Verseau*), et absoluto annuo cursu à Capricorni tropico ad nos redire incipit. Cursum igitùr mutare, sive *invertere* videtur. — *Cùm te :* hinc magnum discrimen formicam intèr et avarum ostenditur. — *Dùm ne sit tè ditior alter :* secretum ditescendi irritamentum quod avari malè dissimulant, Noster, mentis humanæ sagax explorator, patefacit, invidiosam scilicèt cum aliorum opibus æmulationem.

8. *Quod, si comminuas, vilem redigatur ad assem :* poeta continuat, et familiare avaris argumentum proponit, mòx à se refellendum. Existimant avari thesaurum suum detracto semèl uno obolo, jàm integrum periturum. Aliquid igitùr in hoc versu subaudiendum est; v. gratiâ, *te quidèm judice, ut putas, ut dictitas,* vèl aliud simile. — *At ni id fit :* refutat illicò quod in avari ore posuit. Vide eamdem thesim lyricè explicatam, suprà, Od. II, 2. — *Millia frumenti centum :* subaudi modio-

Non tuus hoc capiet venter plus ac meus; ut, si
Reticulum panis venales intèr onusto
Fortè vehas humero, nihilò plus accipias quàm
Qui nil portarit. Vèl dic, quid referat intrà
Naturæ fines viventi [9], jugera centum, àn
Mille aret? — At suave est ex magno tollere acervo.
Dùm ex parvo nobis tantumdem haurire relinquas,
Cùr tua plus laudes cumeris granaria nostris?
Ut, tibi si sit opus liquidi non ampliùs urnâ,
Vèl cyatho, et dicas: « Magno de flumine mâlim,
» Quàm ex hoc fonticulo tantumdèm sumere. » Eo fit,
Plenior ut si quos delectat copia justo,
Cum ripâ simùl avulsos ferat Aufidus acer.
At qui tantuli eget quanto est opus, is neque limo
Turbatam haurit aquam, neque vitam amittit in undis.
At bona pars hominum decepta cupidine falso [10],
« Nil satis est, inquit, quià tanti, quantùm habeas, sis. »

rum, medimnorum (gallicè *cent mille mesures de froment*). — *Hoc :* ex hoc, ideò. — *Reticulum panis :* saccum in modum retis contextum in quo panis ab uno e servis domini sui iter comitantibus portabatur. — *Venales intèr :* venalis servus à vernâ differebat, in eo quòd ille pretio emptus fuerat, hic domi natus.

9. *Intrà naturæ fines viventi :* illi qui rebus quas natura strictè exigit contentus vivit. Sic Epicurus, teste Senecâ, Epist. XVI ad Lucilium : *Si ad naturam vives, nunquàm eris pauper; si ad opiniones, nunquàm eris dives.* — *At suave est :* avari responsio. — *Dùm ex parvo nobis :* sermonem poeta repetit. — *Cumeris granaria nostris :* cumera, vas erat è sparto vèl palmarum foliis vulgò confectum, in quo egeni cives frumentum suum servare solebant; opponitur *granariis*, h. e. vastis divitum horreis. — *Liquidi :* aquæ. *Eò fit, Plenior :* indè evenit, ut qui plùs aquæ haurire quàm necesse est, et è flumine, ex Aufido v. g., bibere mâlunt, sæpè cum ripâ sub eorum pedibus, præ rapiditate fluminis, deficiente, abripiantur. Pellucidus allegoriæ sensus.

10. *Decepta cupidine falso :* cupiditate nimirùm benè audiendi apud cæteros homines, laudes, famam obtinendi, *quià*

Quid facias illi? jubeas miserum esse, libentèr
Quatenùs id facit; ut quidam memoratur Athenis
Sordidus ac dives, populi contemnere voces
Sic solitus : « Populus me sibilat; at mihi plaudo
» Ipse domi, simùl ac nummos contemplor in arcâ.
Tantalus à labris sitiens fugientia captat
Flumina [11]. Quid rides? mutato nomine, de te
Fabula narratur. Congestis undique saccis
Indormis inhians, et tamquàm parcere sacris
Cogeris, aut pictis tamquàm gaudere tabellis.
Nescis, quò valeat nummus, quem præbeat usum.

tanti, quantùm habeas, sis, h. e. quià virtus pro divitiarum magnitudine æstimatur. — *Quid facias illi :* quâ medicinâ morbum illius hominis curabis? — *Jubeas miserum esse, libentèr Quatenùs id facit :* illum cupiditati suæ relinque, cùm illam amet, cùm in eâ complaceat. — *Ut quidam memoratur Athenis :* quis fuerit ille sivè reverâ Atheniensis, sivè Romanus avarus cujus nomen, mutato patriæ nomine, ab Horatio dissimulatum fuerit, quid ad interpretationem, aut ad philosophici exempli utilitatem attinet? Probat poeta falsum esse modò citatum adagium, homines scilicèt à solis divitiis æstimari, cùm ditissimus ille, ab universo populo sibilatus fuerit.

11. *Tantalus à labris sitiens fugientia captat Flumina :* nexus sententiæ; avarus ille cujus memini, Tantalo simillimus est, eodemque supplicio afficitur. Quid Tantalus? — Fabulam, respondere censetur Horatius, quamvìs notissimam, accipe. Tùnc narrationem incipit. Risu auditoris sibi fabulam applicare recusantis interruptus, pergit : *Quid rides?* etc. — *Mutato nomine, de te Fabula narratur :* nàm tu quoque, omnibus divitiis affluis, et Tantalo insanior, qui appositis nonnisi coactus abstinet, tu, liber et volens, rerum vèl necessariarum tibi ipsi usuram invides. — *Indormis inhians :* admiranda hypotyposis! Thesauris tuis incubas, metuens ne tibi alibì dormienti noctu surripiantur, et tamèn vèl in somnis tibi augendarum opum tanta cura instat, ut, ore hiante tuam cupiditatem demonstres.— *Et tanquàm parcere sacris Cogeris :* et avaritiâ tuâ victus, pecuniæ tuæ parcis, quasì à religione alicui deo consecrata esset. — *Pictis tabellis :* quas intueri quidèm licet, attingere nefas. — *Quò valeat nummus :* cui rei verè utili inserviat.

Panis ematur, olus, vini sextarius [12]; adde
Quîs humana sibi doleat Natura negatis.
An vigilare metu exanimem, noctesque diesque
Formidare malos fures, incendia, servos,
Ne te compilent fugientes, hoc juvat? Horum
Sempèr ego optârim pauperrimus esse bonorum.
At si condoluit [13] tentatum frigore corpus,
Aut alius casus lecto te afflixit, habes qui
Assideat, fomenta paret, medicum roget ut te
Suscitet, ac reddat natis carisque propinquis.
Non uxor salvum te vult [14], non filius; omnes
Vicini oderunt, noti, pueri atque puellæ.
Miraris, cùm tu argento post omnia ponas,
Si nemo præstet, quem non merearis, amorem.
At, si cognatos, nullo Natura labore
Quos tibi dat, retinere velis servareque amicos;

12. *Vini sextarius :* lagenâ gallicâ minus capax, quæ sexdecim cyathos continet, dùm sextarius duodecim tantùm cyathos continebat. — *Quîs negatis :* ea quibus carere sinè gravi incommodo non possumus. — *An vigilare?* hoc et mala quæ sequuntur avari patiuntur. Ergò, saltèm quoàd bonorum usuram, mortalium miserrimi sunt. — *Ne te compilent fugientes :* ne fugam, te spoliato, arripiant; undè non solos thesauros, sèd servos etiàm perdendi, quæ pars est divitiarum, æternus avaro timor incutitur. Porrò, verbum *compilare*, non à *pilo*, cujus prima syllaba corripitur, sèd à verbo græco, πτλῶ, h. e. *complano*, derivandum est, quià fures, ubì ædes aliquas vastaverunt, res surreptas in minimum spatium, quantùm fieri potest, complanant vèl compingunt, ut eas faciliùs transferant.

13. *At si condoluit :* objectio avari, qui sibi ex opibus suis auxilium contrà malam valetudinem aut ingruentes ex improviso morbos pollicetur. — *Tentatum frigore corpus :* febrim indicat è frigore natam (gallicè *une fièvre de rhume*. — *Fomenta :* omnia cujuscumque generis remedia, quibus ægrotantis valetudo *foveri* solet, potus medicos, balnea, cataplasmata, etc.

14. *Non uxor salvum te vult :* Horatii ad præcedentem objectionem responsio. — *At si cognatos nullo Natura labore Quos tibi dat, retinere velis :* sìc con-

Infelix operam perdas; ut si quis asellum
In campo doceat parentem currere frænis.

Deniquè [15] sit finis quærendi; cùmque habeas plùs,
Pauperiem metuas minùs, et finire laborem
Incipias, parto quod avebas. Ne facias, quod
Umidius quidam, non longa est fabula, dives
Ut metiretur nummos, ità sordidus ut se
Non umquàm servo meliùs vestiret. Ad usquè
Supremum tempus, ne se penuria victûs
Opprimeret, metuebat; at hunc liberta securi
Divisit medium, fortissima Tyndaridarum.

strue : at si, nullo labore adhibito, nullâ curâ impensâ, velis retinere cognatos quos tibi Natura dedit. —*Ut si quis asellum In campo doceat parentem currere frænis :* rem impossibilem exemplo vulgari significat; nemo nescit nullum animal indocilius esse asino, minùs aptum disciplinæ, minùs dignum quod *in campo* Martio cum nobilibus equorum catervis quæ ibi quotidiè excerbantur, colluctaretur.

15. *Deniquè* : ad satiræ metam advenire se poeta nuntiat. — *Sit finis quærendi :* conquirendi novas divitias. — *Cùmque habeas plùs :* plus quàm necesse est; cùm sis dives. — *Pauperiem metuas minùs :* subjunctivum *metuas*, ut sequens, *incipias*, pro imperativis *metue, incipe.* — *Finire laborem :* hanc vocem, *finire*, voci, *finis*, quæ in præcedenti versu legitur, paulò viciniorem esse fatendum est. — *Parto quod avebas :* cùm tibi pepereris opes in quarum acquisitione summa votorum tuorum constabat. — *Nec facias quod Umidius quidam :* exemplo verisimilitèr recenti avarum monet quantùm instet periculi viro diviti et sordido à furibus et sicariis, nonnunquàm à domesticis. Pari ferè narratione Avaritiam terruit Bolæus, satirâ decimâ quæ *in Feminas* inscribitur. — *Ut metiretur nummos :* immensæ opulentiæ signum nummos modio metiri, non numerare aut ponderare, ut mos est. Sic Petronius de uxore Trimalcionis : *Fortunata quæ nummos modio metitur! — Ne se penuria victûs Opprimeret :* ne victu deficiente moreretur. — *Divisit medium :* securi armata, in duas partes secuit. — *Fortissima Tyndaridarum :* audaciâ plùs quàm virili ipsam superans Clytemnestram, Tyndari filiam, quæ, ut satis notum est, Agamemnona maritum suum è Trojâ reducem, adultero Ægystho jubente, noctu interfecit.

Quid mî igitùr suades[16]? Ut vivam Mænius, aut sic
Ut Nomentanus? Pergis pugnantia secum
Frontibus adversis componere. Non ego, avarum
Quum voto te fieri, vappam jubeo ac nebulonem.
Est intèr Tanaïm quiddam socerumque Viselli.
Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultrà citràque nequit consistere rectum.
Illùc, undè abii, redeo. Nemon' ut avarus
Se probet[17], ac potiùs laudet diversa sequentes?
Quòdque aliena capella gerat distentius uber,
Tabescat; neque se majori pauperiorum
Turbæ comparet; hunc atque hunc superare laboret?
Sic festinanti sempèr locupletior obstat.

16. *Quid mî igitùr suades?* avarus loquitur. — *Ut vivam Mœnius, aut sic Ut Nomentanus:* uterquè decoctor insignis. De *Mœnio* iterùm agit infrà, Epist. I, 15, 26. — *Pergis pugnantia secum Frontibus adversis componere:* duas res sibi omninò oppositas, vitam scilicèt tnam sordidissimam, et vitam hominum prodigentiâ infaminm pergis comparare, quæ quidèm tàm sibi repugnant, ut, hostinm infensissimorum instàr, non possint simùl consistere, quin altera alteri bellum inexpiabile inferat. — *Vappam:* propriè *vappa* de vino dicitur quod vim snam et quidquid in eo boni et sapidi erat, amisit. Par metaphoram eadem vox transfertur ad insanum qui virtutem suam in solâ pecuniâ fundatam, opes profundendo, profudit. — *Est intèr Tanaïm quiddam socerumque Viselli:* ignotus utèrque; sèd evidentèr vitio quisque contrario laborans. — *Est modus in rebus:* utilissima sapientiæ practicæ norma, quam religio sancivit, quæque, ab omnibus philosophis adoptata, in proverbium transiit.

17. *Nemon' ut avarus Se probet:* præcipuum satiræ suæ argumentum, hominum nempè inconstantiam, à versu vigesimo tertio ad insectandam avaritiam derelictum, nùnc repetit. Fierine potest, exclamat, ut omnes homines avaro meo sese similes præbeant, ejusque ad exemplum, sortem suam doleant et *improbent?* — *Quòdque aliena capella gerat distentius uber Tabescat:* capellam, pro quolibèt pecoris genere, pro omni terræ proventu, deniquè pro alienis opibus, cujuscumque naturæ sint, poeta nominat. — *Sic festinanti sempèr locupletior obstat:* sic, cùm sempèr aliqnot viros multò

Ut, cùm carceribus missos rapit ungula currus,
Instat equis auriga suos vincentibus, illum
Præteritum temnens extremos intèr euntem.
Indè fit, ut rarò, qui se vixisse beatum
Dicat, et exacto contentus tempore, vitâ
Cedat, utì conviva satur[18], reperire queamus.
Jàm satis est; ne me Crispini scrinia lippi
Compilasse putes, verbum non ampliùs addam.

locupletiores vir ditescendi avidus reperiat, prospectus ille quo tabescit, impedimento est quìn ad fortunam *festinare*, novamque viam sibi moliri desinat. — *Ut cùm carceribus :* perfecta est comparatio; avarus instat ditioribus, ut eos assequatur et prætereat, oblitus eorum quibus superior est. Sìc et auriga, etc.

18. *Vitâ Cedat, utì conviva satur :* legitur quoque : *et exacto contentus tempore vitæ Cedat, utì conviva satur.* Hanc imaginem à Lucretio mutuatam III, 953, expressit quoque Fontainus noster, Fab. VIII, 1, in epilogo : *Je voudrais qu'à cet âge, On sortît de la vie Ainsi que d'un banquet, Remerciant son hôte.* — *Crispini lippi :* doctrinâ stoïcus erat, sèd poeta verbosissimus, oculorum morbo fœdè laborans; fastidium igitùr duplici corporis et ingenii vitio movebat Crispinus ille, de quo infrà mentio altera fiet. — *Scrinia :* arcula in qnà libri et res aliæ magni pretii asservabantur, undè vox gallica derivata est, *un écrin.* Hic, strictiore sensu, *un secrétaire, un porte-feuille.*

SATIRA SECUNDA

IN MOECHOS.

In depravatos ætatis suæ mores vehementissimè invehitur Horatius, ità tamèn ut, dùm vitia præsertìmque adulteria carpit, remedia morbis pejora proponat, et in curandis aliquot flagitiis, flagitiosi medici contumeliam meritò subierit.

Ambubaiarum [1] collegia, pharmacopolæ,
Mendici, mimæ, balatrones, hoc genus omne

1. *Ambubaiarum :* derivatur vox ista, *ambubaiæ*, à vocabulo syrio, *ambub*, quod tibiam significat. Volunt nonnulli interpretes duas postremas syllabas, *baiæ*, ab urbe Campaniæ ejusdem nominis exire, quià circà Baias, locum amœnitate celeberrimum, frequentes versabantur mulieres illæ Asiaticæ, quæ, ut apùd nos eæ quæ *Bohemæ* (*des Bohémiennes*) vocantur, vicos circuibant, choreasque et obscenos mimos ad tibiarum sonum exercebant. Admissâ priori interpretationis parte, alteram facilè rejecerim, cùm vix credibile sit, turbam illam vagam ab unâ civitate in quâ nec diutiùs nec frequentiùs quàm in multis aliis, Romæ scilicèt, Neapoli, etc., morabantur, nomen suum traxisse. Verisimilius est voci syriæ conclusionem latinam, sàt aliundè communem, additam fuisse. — *Collegia :* à colligendo, ut notum est. Mulieres autèm de quibus agitur, non nisi turmatìm et *collectæ* apparebant. — *Pharmacopolæ :* homines intelligit, non qui salutaria remedia miscent, sed unguentarios, veneficos, pigmentarios, omnes denique aliorum luxui et voluptatibus, nonnunquàm sceleribus inservientes. — *Mendici :* non qui stipem præ egestate rogant, sed qui eam lascivis artibus in publicis plateis insolentèr sollicitant (*des bateleurs*). — *Mimæ :* impudicæ saltatrices. — *Balatrones :* non certa est hujus

Mœstum ac sollicitum est cantoris morte Tigellî [2];
Quippè benignus erat. Contrà hic, ne prodigus esse
Dicatur, metuens, inopi dare nôlit amico,
Frigus quo duramque famem depellere possit.
Hunc [3] si perconteris, avi cùr atque parentis
Præclaram ingratâ stringat malus ingluvie rêm,
Omnia conductis coemens obsonia nummis;
Sordidus atque animi quòd parvi nôlit haberi,
Respondet. Laudatur ab his, culpatur ab illis.
Fusidius vappæ [4] famam timet ac nebulonis,

vocabuli etymologia. Putârim tamèn scurras præcipuè ac parasitos eo nomine contineri, levi unius litteræ mutatione, à voce, *barathro*, quòd istorum hominum venter, quasi gurges est, in quem amplissimæ opes sæpiùs profunduntur. Sic ferè Turnebus et Torrentius.

2. *Cantoris morte Tigellî :* de eodem Tigellio mentio fiet in satirâ III, et X. — *Benignus erat :* benignus quidèm, h. e. magnificus, liberalis, ab isto hominum genere vocabatur, à cæteris verò, decoctor et prodigus. — *Hic :* alius quilibet, cujus avaritia Tigellii prodigentiæ opponitur.

3. *Hunc :* fortassè alio pronomine meliùs notatus fuisset homo de quo locuturus est Noster, ut faciliùs à præcedente qui per idem pronomen, *hic*, designatus est, discerneretur. — *Malus :* adjectivus, pro adverbio, malè, h. e. imprudentèr, absque consilio. — *Ingratâ stringat ingluvie : stringere*, propriè est aliquid arctè tenere et complecti, undè, per assiduam et validam contrectationem, rei *strictæ* attenuatio oriri solet. *Stringere* igitùr in hoc loco idem valet ac, *infringere, partem demere*, et, per extensionem, *ad nihilum reducere. Ingrata* autèm dicitur *ingluvies*, eodem sensu quo Callimachus ναταίρην vocavit ἀχαρίστον, *ventrem ingratum*, cùm, quidquid ventri concesseris, nihil illi verè utilis et jucundi in vicem referat, dùm è contrà quæ ingenio et animo largitus fueris magno cum fœnore tibi restituentur. — *Omnia conductis :* duæ illæ voces sibi apprimè respondent; prodigus ille nihil ventri suo denegat, quamvis, ad ruinam vergens, non alios nummos possideat, quàm quos magno pretio, ingenti usurâ locavit. — *Laudatur ab his :* à parasitis qui istius profusionem lucro apponunt. — *Culpatur ab illis :* à sapientibus.

4. *Vappæ :* vid. satir. præced. v. 104. — *Quinas hic capiti*

Dives agris, dives positis in fenore nummis.
Quinas hic capiti mercedes exsecat, atque
Quantò perditior quisque est, tantò acriùs urget;
Nomina sectatur, modò sumptâ veste virili,
Sub patribus duris, tironum. Maxime, quis non,
Jupiter, exclamat, simùl atque audivit? — At in se
Pro quæstu sumptum facit[5]? — Hic? Vix credere possis
Quàm sibi non sit amicus; ità ut pater ille, Terentî
Fabula quem miserum nato vixisse fugato
Inducit, non se pejus cruciaverit atque hic.
Si quis nùnc quærat, quo res hæc pertinet? Illùc;
Dùm vitant stulti vitia, in contraria currunt.

mercedes exsecat : caput est sors ipsa, sivè summa pecuniæ commodata (gallicè *le capital*). *Merces* est sortis fructus (*l'intérêt*). Porrò cùm in more esset apùd Romanos, menstruam mercedem uno quoque mense percipi, et usura auctoritate legum, ad centesimam sortis partem definita esset, qui centum, v. g. nummos ineunte mense acceperat, die ipso Calendarum proximi mensis, unum nummum reddere creditori cogebatur. Verùm fenerator iste non unum, sed quinque nummos à debitoribus exigebat, qui quidèm *extrà* percipiebantur (*l'intérêt en dehors*), ità ut non reverà centum nummos, sed tantummodò nonaginta et quinque commodaret, quæ vis est istius vocis, *exsecat*. — *Tantò acriùs urget :* tantò graviore usurâ onerat. — *Nomina sectatur :* curiosè inquirit ubì reperiat adolescentulos, qui, è severâ patris tutelâ vix liberi, libertate recentèr partâ abuti properant.

5. *At in se Pro quæstu sumptum facit ?* objectio est alicujus feneratorem excusantis. Homo ille, si multa lucratur, multa quoque *in se*, h. e. in suum usum impendit? — *Hic ?* Horatii est responsio. — *Quàm sibi non sit amicus :* quàm sibi durus, quàm in seipsum avarus.— *Terentî Fabula :* comœdia Terentii notissima, inscripta *Heautontimorumenos;* à vocibus græcis, Ἑαυτὸν τιμωρούμενος, *sese ipsum crucians*. De Menedemo agitur, qui fugam filii sui Cliniæ sibi crudelitèr exprobrans, omnia sibi denegat et miserrimè vivit. — *Dùm vitant stulti vitia, in contraria currunt :* eamdem sententiam aliis verbis expressam in Nostro multotiès reperire est.

Malthinus tunicis demissis [6] ambulat; est qui
Inguen ad obscenum subductis usquè facetus;
Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum :
Nil medium est [7]. Sunt qui nôlint tetigisse, nisi illas,
Quarum subsutâ talos tegat instita veste;
Contrà alius nullam, nisi olenti in fornice stantem.
Quidam notus homo quum exiret fornice : « Macte
» Virtute esto, » inquit sententia dia Catonis.
« Nàm simùl ac venas inflavit [8] tetra libido,
» Hùc juvenes æquum est descendere, non alienas
» Permolere uxores. » Nôlim laudarier, inquit,
Sìc me, mirator cunni Cupiennius albi.

6. *Tunicis demissis :* ad talos fluentibus, quod erat mollitiei indicium.—*Inguen ad obscenum subductis usque :* sursùm elatis, et tàm brevibus, ut vix partes corporis tegendas velarent. Augusto blanditur Noster, qui, teste Suetonio, *togis neque strictis neque fusis*, utebatur. — *Facetus :* risum prætereuntibus movens. — *Pastillos Rufillus olet :* per *pastillos* intellige odores voluptuarios quibus delicati et molles vestem, capillos, barbam ungere solebant, quique vicinis non minùs importuni erant, quàm teter ille et hircinus odor quem, præ immunditiâ, squallidus *Gorgonius* exhalabat.

7. *Nil medium est :* justam servare mensuram nemo novit. — *Quarum subsutâ talos tegat instita veste : instita,* fascia erat purpurea quæ extremæ vestis ad pedes defluentis oræ subsuebatur, eique adhærebat. Hujus generis fasciæ non nisì magnis pudicisque matronis permissa erat. — *Olenti in fornice stantem :* in sordido lupanari commorantem; lupanaria antèm in locis fornicatis, h. e. in modum fornicis constructis vulgò celebrabantur, undè, *fornicari* idem est ac rem cum meretricibus habere. — *Sententia dia Catonis :* h. e. Cato, divinam, seu potiùs sapientissimam sententiam pronuntians.

8. *Venas inflavit :* ad actum venereum provocavit. — *Hùc :* ad lupanar. — *Æquum est :* melius est. — *Alienas permolere uxores :* obscena vox est, à græcâ voce derivata, μύλλειν, quam Theocritus eodem sensu adhibuit, pro, *subjicere, subagitare.* — *Nôlim laudarier :* non laudem à Catone concessam cuperem. — *Mirator cunni Cupiennius albi :* qui nihil aliud

Audire est operæ pretium [9], procedere rectè
Qui mœchos non vultis, ut omni parte laborent,
Utque illis multo corrupta dolore voluptas,
Atque hæc rara cadat dura intèr sæpè pericla.
Hic se præcipitem tecto dedit; ille flagellis
Ad mortem cæsus; fugiens hic decidit acrem
Prædonum in turbam [10]; dedit hic pro corpore nummos;
Hunc perminxerunt calones; quin etiàm illud
Accidit, ut cuidam testes caudamque salacem
Demeteret ferro. Jure omnes. Galba negabat.
Tutior at quantò merx est in classe secundâ [11]!
Libertinarum dico, Sallustius in quas
Non minùs insanit, quàm qui mœchatur! At hic, si

optat quàm mulieres albâ stolâ amictas, id est, graves et honestas matronas.

9. *Audire est operæ pretium :* hìc per parodiam imitatur Noster locum ex Ennii annalibus depromptum; *Audire est operæ pretium, procedere rectè Qui rem Romanam Latiumque augescere vultis.* Sìc innuit gavisuros esse qui mœchorum pericula à se mòx describenda legerint. — *Ut omni parte laborent :* ut nullum sit periculi aut supplicii genus quod eos fugiat. — *Atque hæc rara :* difficultas enim occasionem fruendi raram efficit.

10. *Fugiens hic decidit acrem Prædonum in turbam :* qui noctu vagantur, adulteris istis insidias molientes. — *Dedit hic pro corpore nummos :* pecuniam solvit, ne aut castraretur, aut aliud supplicii genus incurreret. — *Hunc perminxerunt calones :* per turpem imaginem indicat vates sæpissimè advenisse ut deprehensis adulteris vis inferretur, eripereturque pudicitia. Propriè *calones* appellabantur servi qui focum ligno instruebant, à voce græcâ, κάλον. — *Testes :* testiculos. — *Caudamque salacem :* mentulam sui impotentem, sibi temperare nesciam. — *Jure omnes :* subaudi, dicebant illud esse factum. — *Galba negabat :* celeberrimus jurisconsultus, idemque famosus adulter, cujus impudicitiam, quasi transeundo, notat.

11. *Tutior at quantò merx est in classe secundâ :* intèr matronas et meretrices mediam classem instituit, libertinarum scilicèt, in quâ minùs infamiæ simùl minùsque periculi. — *Sallustius in quas Non minùs insanit, quàm qui mœchatur :* idem

Quà res, quà ratio suaderet, quàque modestè
Munifico esse licet, vellet bonus atque benignus
Esse, daret quantùm satis esset, nec sibi damno
Dedecorique foret. Verùm hoc se amplectitur uno,
Hoc amat et laudat : « Matronam nullam ego tango. »
Ut quondam Marsæus, amator Originis, ille
Qui patrium mimæ donat fundumque laremque :
« Nil fuerit mi, inquit, cum uxoribus umquàm alienis. »
Verùm est cum mimis, est cum meretricibus, undè
Fama malum gravius, quàm res, trahit. An tibi abundè
Personam satìs est, non illud, quidquid ubiquè
Officit, evitare? Bonam deperdere famam,
Rem patris oblimare, malum est ubicumquè. Quid inter-
Est in matronâ, ancillâ, peccesve togatâ?

est ac Sallustius ille ad quem scripta est ode 2 libri II, qui, æris prodigus, rem suam cum libertinis consumebat. Atqui non minor est insania opes suas sìc perdere, quamvìs minus sit periculum. — *Quà res, quà ratio :* in quantum sensus permittit, et suadet moderatio. — *Vellet bonus atque benignus Esse :* partem opum suarum cum libertinis dividere. — *Hoc se amplectitur uno :* stricto sensu, amplectimur quæ nobis placent. Igitùr Sallustius ob id unum sibi placet, quòd libertinis ad voluptatem utatur. — *Matronam nullam ego tango :* Sallustius loquitur. — *Marsæus :* vir quidam, aliundè ignotus. — *Amator Originis :* famosa tùnc temporis mima et meretrix Origo fuit. — *Verùm est cum mimis, est cum meretricibus :* retorquetur argumentum quo se Marsæus tuebatur. Uxoribus alienis parcis, verùm et rem et famam cum perditis mulieribus profligas. Quid indè tibi boni evenit? — *An tibi abundè Personam satìs est, non illud, quidquid ubique Officit, evitare?* Satis complexa et paululùm intricata verborum dispositio : sìc intellige : àn tibi sufficit personam eligere, cum quà minus tibi periculum immineat? Nonne debes paritèr evitare quidquid tibi nocet? Porrò, mima illa patrimonium tuum tàm rapidè consumet, quàm alia quælibet amasia. — *Malum est ubicùmque :* quæcumque sit mulier à quà malum tibi ingruat. — *Quid inter-Est :* jungenda esse hæc duo verba, per tmesim inusitatam separata, vix est ut admoneam. — *Est in matronâ, ancillâ,*

Villius [12] in Faustâ, Sullæ gener, hoc miser uno
Nomine deceptus, pœnas dedit usquè supèrque
Quàm satis est, pugnis cæsus ferroque petitus,
Exclusus fore, quum Longarenus foret intùs.
Huic si mutonis [13] verbis mala tanta videnti
Diceret hæc animus : « Quid vis tibi? numquid ego à te
» Magno prognatum deposco consule cunnum,
» Velatumque stolâ, mea quum conferbuit ira? »
Quid responderet? « Magno patre nata puella est. »
At quantò meliora monet, pugnantiaque istis [14],
Dives opis Natura suæ, si tu modò rectè

peccesve togatâ? Repetit tria mulierum genera de quibus jàm egit. *Ancilla* igitùr hìc libertinæ locum, *togata* meretricis tenet; legibus enim cautum fuerat ut prostibula non nisì longâ veste inducta in publicum prodirent, et sic ab honestis matronis secernerentur. Huic vesti togæ nomen inditum fuerat, quià ad formam togæ virilis confecta erat, ut, quæ sexum suum moribus abnuerant, alterius sexùs habitum, ut ità dicam, prætenderent.

12. *Villius :* gens Villia, Romæ insignis. — *In Faustâ :* Fausta, filia Sullæ, morum licentiâ et amatorum numero infamis. — *Sullæ gener :* non reverà gener, sèd sese ità appellans, et eo nomine superbiens, quòd dictatoris filiam stupravisset. — *Exclusus fore : fore,* in singulari, quod rarò usurpatur, pro, *exclusus foribus.* — *Longarenus :* alter Faustæ amator, Villio prælatus.

13. *Mutonis :* per *mutonem*, intelligit partem illam quâ viri sumus. Supponit igitùr membrum illud ad libidinem promptum vocem quasi accipere, et Villium alloqui. *Animus* autèm sermonem *mutonis* apprimè intelligit. — *Magno prognatum consule cunnum :* mulierem nobilitate et originis antiquitate celebrem. — *Velatumque stolâ : stola* vestis erat matronarum. — *Mea cùm conferbuit ira :* cùm libidine incendor. Obscena quidèm, sèd vehementissima metaphora quæ, per illud Virgilianum, *In furias igneimque ruunt*, Georg. III, 244, facilè explicari posset. — *Quid responderet?* Villius scilicèt. — *Magno patre nata puella est :* non ipsam, sèd ejus nobilitatem ardeo.

14. *Pugnantiaque istis :* tuæ insanæ opinioni, Villi, omninò contraria. — *Dives opis Natura suæ :* quæ solis opibus quas illa dat, ut pulchritudine, juvenili vultûs decore, beatum te efficere potest, dùm fortunæ dona, ut

Dispensare velis, ac non fugienda petendis
Immiscere! Tuo vitio, rerumne, labores,
Nil referre putas? quare, ne pœniteat te,
Desine matronas sectarier, undè laboris
Plùs haurire mali est, quàm ex re decerpere fructùs.
Nèc magis huic [15] niveos intèr viridesque lapillos,
Sit licèt hoc, Cerinthe, tuum, tenerum est femur aut crus
Rectius; atque etiàm melius persæpè togatæ.
Adde hùc, quòd mercem sinè fucis gestat; apertè,
Quod venale habet, ostendit; neque, si quid honesti est,
Jactat habetque palàm, quærit quo turpia celet.

Regibus hic mos est [16], ubi equos mercantur, opertos
Inspiciunt; ne, si facies, ut sæpè, decora

divitiæ, generis nobilitas, etc., nullatenùs ad veram sinceramque procurandam voluptatem proficiunt. — *Tu si modò rectè Dispensare velis:* naturæ muneribus sapientèr uti. — *Tuo vitio, rerumne, labores, Nil referre putas?* Suo laborat vitio qui res sibi à Naturâ oblatas dedignatur, qualis Villius erat, inanem nobilitatis generisque umbram sectans, dùm *res* ad voluptatem necessariæ, h. e. formosissimæ ancillæ, abundantèr suppetebant. Non igitùr, *rerum vitio*, sèd *suo* laborabat. — *Laboris Plùs haurire mali est, quàm ex re decerpere fructùs :* plus timendum incommodi, quàm percipiendum utilitatis, *ex eâ re*, h. e. è potentis matronæ consortio.

15. *Huic :* matronæ nobili, quamvis adamantum et smaragdorum fulgore coruscet. *Sit licèt hoc, Cerinthe, tuum :* quamvis pretiosa illa ornamenta, ô Cerinthe, corporis elegantiæ præponas. Negat Horatius exemplum istius Cerinthi imitandum esse, juvenis formosissimi, à Sulpiciâ, Servii filiâ, adamati, quæ eum opulentissimis donis ditaverat. De Cerintho multa apùd Tibullum legenda sunt, quæ nostræ hujusce loci interpretationi mirum in modum inserviunt. — *Melius persæpè togatæ :* femur tenerius, crus decentius sæpissimè meretricem ornat. Vid. suprà, vers. 63. — *Mercem sinè fucis gestat :* vox illa, *mercem*, henè cum sequentibus, *quod venale habet*, convenit. — *Si quid honesti est :* si quid pulchri. — *Quærit quo turpia celet :* nec quærit, nec, si quærat, invenit, cùm nuda arbitrio viri usquè ad ludibrium permittatur.

16. *Regibus hic mos est :* divitibus et potentibus viris, ut passim. — *Ubi equos mercantur, opertos Inspiciunt :* multa moliti

Molli fulta pede est, emptorem inducat hiantem,
Quòd pulchræ clunes, breve quòd caput, ardua cervix.
Hoc illi rectè. Ne corporis optima [17] Lynceis
Contemplere oculis, Hypsæâ cæcior, illa
Quæ mala sunt spectes. « O crus! ô brachia! » verùm
Depygis, nasuta, brevi latere ac pede longo est.
Matronæ, prætèr faciem, nil cernere possis,
Cætera, ni Catia est, demissâ veste tegentis.
Si interdicta petes, vallo circumdata, nàm te
Hoc facit insanum, multæ tibi tùm officient res;

sunt ut vocem illam, *opertos*, cujus sensus patet, obscurarent. Nonnulli pro *opertos* legi debere crediderunt, *apertos*, quæ vox cum sensu generali consentanea magìs videtur : malè quidèm. *Opertos inspiciunt*, h. e. equos qui à mangonibus *operti* fuerant, primùm retegunt et retectos introspiciunt, attentè examinant, nudos cernunt. — *Molli fulta pede est :* phaleræ enìm sivè stragula pedes equorum celant, quæ tamèn pars equinæ virtutis præcipua est. — *Hiantem :* admirantem, et sìc impeditum ne crurum vitia, cæterarum partium pulchritudine deceptus, observet. — *Quòd pulchræ clunes, breve quòd caput, ardua cervix :* hæ sunt partes quæ stragulis non operiuntur; easdem laudat quoque in equo Virgilius, Georg. III, 79 : *Illi ardua cervix, Argutumque caput, brevis alvus, obesaque terga.*

17. *Ne corporis optima :* ad sensùs connexionem, aliquid evidentèr subaudiendum, v. g. reges illos tu, mulierum amator, imitare; noli ea sola inspicere, contemplari quæ in feminâ egregia sunt, et ità age ut spectes quoque ea quæ mala sunt; quæ quidem disquisitio non nisi in libertinis aut meretricibus permittitur. — *Hypsæâ cæcior :* ignoratur quæ ista fuerit Hypsæa; verisimile est aliquam fuisse matronam quæ hominem quemdam vitiosum et difformem adamabat. — *O crus! ô brachia!* sermo est exclamantis, sèd non sat attentè inspicientis. — *Depygis :* à voce græcâ, πύγη, h. e. macris et aridis clunibus. — *Ni Catia est :* matrona procùl dubio nobilis, sèd ultrà generis sui nobilitatem ad pravos mores et ad impudicitiam prona. — *Interdicta :* quæ, præ habitùs dignitate et vestimentorum prolixitate, quibus se quasi *vallo* tuetur, oculis tuis interdicit. — *Hoc facit insanum :* ipsa videndi difficultas, quâ cupido tua crescit et irritatur. — *Cini-*

Custodes, lectica, ciniflones, parasitæ,
Ad talos stola demissa; et circumdata pallâ
Plurima, quæ invideant purè apparere tibi rem.
Altera [18] nil obstat; Coïs tibi pænè videre est
Ut nudam; ne crure malo, ne sit pede turpi;
Metiri possis oculo latus. An tibi mavis
Insidias fieri, pretiumque avellier, antè
Quàm mercem ostendi? « Leporem venator [19] ut altâ
« In nive sectetur, positum sìc tangere nolit, »
Cantat, et apponit : « Meus est amor huic similis. Nàm
« Transvolat in medio posita, et fugientia captat. »
Hiscine versiculis speras tibi posse dolores,
Atque æstus, curasque graves è pectore pelli?
Nonne cupidinibus statuat natura modum quem,
Quid latura sibi, quid sit dolitura negatum,

flones : sìc appellabantur servi aut servæ quibus cura erat heræ suæ capillos ferro calefacto crispare. Vocabantur quoque *cinerarii*. — *Purè apparere tibi rem :* quæ omnia obstant ne matronæ corpus nudum et ex omni parte tibi appareat.

18. *Altera :* libertina vèl ancilla. — *Coïs :* subaud. *vestibus*, quæ in insulâ Coo texebantur, adeò pellucidæ, ut corpus vix tegerent; eas Varro *vitreas* vocat, et P. Syrus, *ventum textilem*. — *Ne crure malo :* subaud. non timendum est. — *An tibi mavis Insidias fieri :* sìc connecte; insanus esses, si, cùm rei à te emptæ pretium cognoscere facile sit, pati velles tibi per matronam errorem injici.

19. *Leporem venator :* verba sunt matronas insectantis qui, per comparationem, poetæ respondere tentat. — *Positum :* quiescentem, et ideò indignum qui venatoris strenui industriam exerceat. — *Cantat :* ridendo et quasì per cantilenam respondet. — *Et apponit :* et simùl addit. — *Transvolat in medio posita :* negligit, fastidit meretrices ut faciliores. — *Hiscine versiculis :* interrogat amatorem poeta, an tàm insipiens sit, ut istiusmodi de venatoris comparatione versiculis speret morbum curari posse? Atque hoc nullo modo futurum indicans, meliorem medicinam præbet, à naturæ moderatione petitam. — *Quem :* cui *modo* assequendo magìs utile est quærere quid strictè sibi exigat natura, quid non sinè

Quærere plus prodest, et inane abscindere soldo?
Nùm, tibi quum fauces urit sitis, aurea quæris
Pocula? nùm esuriens fastidis omnia, prætèr
Pavonem rhombumque[20]? tument tibi cùm inguina, nùm, si
Ancilla aut verna est præsto puer, impetus in quem
Continuò fiat, mâlis tentigine rumpi?
Non ego; namque parabilem amo Venerem facilemque.
Illam, « Pòst paulò[21]; sèd pluris; si exierit vir; »
Gallis; hanc, Philodemus ait, sibi, quæ neque magno
Stet pretio, neque cunctetur, cùm est jussa venire.
Candida rectaque sit; munda hactenùs, ut neque longa
Nèc magìs alba velit, quàm det natura, videri.
Hæc, ubì supposuit dextro corpus mihi lævum,
Ilia et Egeria est; do nomen quodlibet illi.
Nèc vereor ne, dùm futuo, vir rure recurrat,
Janua frangatur, latret canis, undiquè magno
Pulsa domus strepitu resonet, vepallida lecto
Desiliat mulier, miseram se conscia clamet;
Cruribus hæc metuat, doti deprensa, egomet mî.

dolore amittat, et res snpervacnas à solidiset necessariis secernere.

20. *Pavonem rhombumque :* pavo in deliciis erat apùd Romanos. Rhombus, piscis exquisitissimus (gallicè, *le turbot*). — *Tunent tibi cùm inguina :* cùm, præ ardore libidinis, mentula erigitur. — *Tentigine rumpi :* distentione membri virilis. — *Parabilem Venerem :* quæ facilè parari potest.

21. *Illam, Pòst paulò :* qnoad hanc mulierem quæ, meque facilis, neque parabilis sempèr cunctatur, et de tempore, de pretio contendit, illam *Gallis*, h. e. hominibus frigidis et quasì eviratis Philodemus relinquit, quippè qui moram patientèr ferunt. Sibi reservat *hanc* quæ sempèr parata est et ad rem accincta. — *Munda hactenùs :* ad hunc terminum benè disposita, etc. — *Hæc ubì supposuit dextro corpus mihi lævum :* ubì est meis in complexibus. — *Ilia et Egeria est :* prior à Marte, posterior à Numâ adamata, utraque Romanis in magno honore. — *Nèc vereor :* quod in matronarum honestarum consortio reverâ timendum est. — *Vepallida :* valdè pallida. — *Conscia :* ancilla culpæ herilis conscia. — *Cruribus hæc metuat, doti deprensa, egomet mî :*

Discinctâ tunicâ fugiendum est et pede nudo,
Ne nummi pereant, aut pyga, aut deniquè fama.
Deprendi miserum est; Fabio vèl judice vincam.

venustissimâ distributione suum cuique metum attribueus, aucillam cruribus, nuptam doti, adulterum pelli timentem velùt in mimo aliquo antè oculos ponit, quod illæ tùnc pœnæ in usu fuerint. — *Aut pyga :* hæc verba ad ea quæ præcedunt v. 44, *Hanc perminxerunt calones*, referenda sunt, neque alterâ interpretatione indigent. — *Fabio vèl judice vincam :* hìc notari creditur celeberrimus juriseonsultus, qui adulterii, in quo deprensus fuerat, gravissimas dederat pœnas.

SATIRA TERTIA.

Hunc sermonem à ridiculâ quâdam de cantorum moribus sententiâ exorsus Horatius, mòx velutì è turba audientium adversarium quemdam sibi opponens, ac quærentem fingens an ipse qui in alios diceret, ab omni vitio immunis esset; non modò honestè respondet, sed indè sumtâ occasione, quomodò comitèr amicis utendum, atque illis, si quid fortè peccaverint, ignoscendum sit, docet. Eos primùm reprehendit, qui cùm ad sua ipsorum vitia conniveant, in alienis videndis acumine oculorum valent. Deindè amatorum et patrum exemplo leviora vitia in amicitiâ dissimulanda esse docet. Postremò ad reprehensionem stoïci paradoxi dilabitur, quo paria esse peccata dicunt.

Omnibus hoc vitium est cantoribus [1], inter amicos
Ut numquàm inducant animum cantare rogati,
Injussi numquàm desistant. Sardus habebat
Ille Tigellius hoc. Cæsar, qui cogere posset,
Si peteret per amicitiam patris atque suam, non
Quidquam proficeret; si collibuisset, ab ovo
Usquè ad mala citaret, Io Bacche! modò summâ

1. *Omnibus hoc vitium est cantoribus :* iisdem vitiis variis ætates laborare nemo est suâ experientiâ edoctus qui non fuerit. — *Sardus :* è Sardiniâ oriundus. — *Cæsar :* Augustus. — *Patris :* Julii Cæsaris à quo adoptatus fuerat. — *Si collibuisset :* si libido cantandi eum cepisset. — *Ab ovo :* per totam cœnam. Hanc enim ducebant ab ovis, finiebant in pomis et fructibus. Hinc, *ab ovo* aliquid narrare, id est, à primo initio rem repetere. — *Citaret :* caneret; verbum simplex est à quo verbum *recitare* compositum est. Propriè dicitur de iis quæ jàm nota sunt. — *Io Bacche!* initium cantilenæ à Tigel-

Voce, modò hâc, resonat quæ chordis quatuor ima.
Nil æquale homini fuit illi [2]; sæpe velùt qui
Currebat fugiens hostem, persæpè velùt qui
Junonis sacra ferret. Habebat sæpè ducentos,
Sæpè decem servos. Modò reges atque tetrarchas [3],
Omnia magna loquens, modò : « Sit mihi mensa tripes, et
» Concha salis puri, et toga quæ defendere frigus,
» Quamvis crassa, queat. » Deciès centena dedisses [4]
Huic parco, paucis contento; quinque diebus
Nil erat in loculis. Noctes vigilabat ad ipsum
Manè, diem totum stertebat. Nil fuit umquàm
Sìc impar sibi. Nùnc aliquis dicat mihi : « Quid tu?

lio citatæ.—*Modò summâ voce :* (gallicè, *en faisant le dessus*). — *Modò hâc, resonat quæ chordis quatuor ima :* modò voce gravi et depressâ, quæ respondet chordæ gravissimæ instrumenti cui nomen græcum, τετράχορδον.

2. *Nil æquale homini fuit illi :* nihil erat homine illo levius et inconstantius. — *Fugiens hostem :* de hoste loquitur insequente et mortem minitante. — *Velùt qui Junonis sacra ferret :* in omnibus sacris, qui dei aut deæ alicujus effigiem gestabant, lento gradu, ad majorem pompæ dignitatem procedebant; sèd præsertim in solemnibus Junoniis, in quibus honos habebatur reginæ divûm, Jovis conjugi et sorori.

3. *Tetrarchas :* sìc nominabantur summi magnarum provinciarum administri, qui quartam supremæ ditionis partem, ipsi regibus subditi, obtinebant.

— *Mensa tripes :* simplex, qualem narrat Ovidius fuisse mensam Philemonis et Baucidis. — *Concha salis puri :* non splendidum salinum, è pretioso metallo confectum, sèd vulgaris testa et nullius pretii.

4. *Deciès centena dedisses :* subaud. *sestertia.* Duo erant sestertiorum genera, unum, quod in masculino ferè semper usurpatur, vocaturque *sestertius;* alterum, quod in neutro adhibetur, nominaturque *sestertium.* Porrò sestertium magnum mille sestertios repræsentabat, et, quotiès subauditur, ut in hoc loco, magnum sestertium intelligi decet. Cum igitùr sestertius duos è nostris assibus (gallicè, *deux sous*) æquaret, sestertium idem ferè valet ac centum nostræ monetæ libræ (100 *fr.*) Ergò deciès centena, sivè mille sestertia summam efficiunt centiès mille librarum (100,000 *fr.*)

« Nullane habes vitia?» Imò alia, haùd fortassè minora [5]. [20]
Mænius absentem Novium cùm carperet : « Heus tu, »
Quidam ait, « ignoras te? an ut ignotum dare nobis
» Verba putas? » « Egomet mî ignosco, » Mænius inquit.
Stultus et improbus hic amor est, dignusque notari.
Cùm tua pervideas oculis mala lippus inunctis, [25]
Cùr in amicorum vitiis tàm cernis acutum,
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius? At tibi contrà
Evenit, inquirant vitia ut tua rursùs et illi.
Iracundior est paulò [6]? minùs aptus acutis

5. *Imò alia, haùd fortassè minora :* respondet Horatius : Fateor, habeo mea quoque vitia, et fortassè majora Tigellii, quem carpo, vitiis : neque id facio quod Mænius; qui cùm absentem Novium vituperaret, diceretque illi nonnemo qui aderat, Heus tu, an te ignoras, an tibi ipse ignotus es? an speras nos fallere et latere? probè te novimus et ipso Novio pejorem esse scimus : Mænius respondit se quidem alios carpere libentèr ac liberalitèr, at sibi ignoscere, de seipso tacere, secum leniùs agere. — *Hic amor :* quo nobis, ut Mænius, omnia ignoscimus. — *Cùm tua pervideas oculis mala lippus inunctis :* alii legunt, *prævideas*, et interpretantur, negligentèr et obitèr aspicere. Non malè. Sensus est : cùm tua vitia oculos tuos, velutì aliquo unguento delibutos, quo eorum acies oblimatur, fugiant. — *Aquila :* nemo nescit tam acrem esse aquilis oculorum aciem, ut ardentissimos solis radios facilè sustineant. — *Serpens Epidaurius :* sacer Æsculapio, medicorum deo præsidi, qui Epidauri (est nrbs Græciæ in Peloponneso) præcipuè colitur; idcircò autèm serpens Æsculapio sacer, quià ad multa remedia utilis est. Adde ex historiâ romanâ, quòd cùm pestilentiâ Romæ laboraretur, responsum est ab oraculo, ità salvos cives fore, si è Græciâ Æsculapium adveherent. Legati Epidaurum cum trireme sunt profecti; factumque est ut ingens anguis ad triremem adnaverit, seque in puppi composuerit in gyrum : quem illi cùm Æsculapium putarent esse, Romam in triumpho duxernnt. — *Et illi :* homines quos carpis tua vicissim vitia curiosè investigant.

6. *Iracundior est paulò :* suspicati sunt multi interpretes hìc ab Horatio Virgilii, amici sui, imaginem delineari, quæ quidem apprimè congruit cum iis quæ de eodem descripsit ipsius vitæ auctor. Hanc opi-

Naribus horum hominum? rideri possit, eò quòd
Rusticiùs tonso toga defluit, et malè laxus
In pede calceus hæret? At est bonus, ut melior vir
Non alius quisquam; at tibi amicus; at ingenium ingens
Inculto latet hoc sub corpore. Deniquè te ipsum
Concute [7], nùm qua tibi vitiorum inseverit olim
Natura, aut etiàm consuetudo mala; nàmque
Neglectis urenda filix innascitur agris.
Illùc prævertamur [8]; amatorem quòd amicæ
Turpia decipiunt cæcum vitia, aut etiàm ipsa hæc

nionem multò libentiùs sequar, quàm eorum qui Horatium suî ipsius effigiem expressisse asseruerunt. Nimìs ingeniosus erat Noster, quàm ut sibi *ingenium ingens* tribueret. — *Minùs aptus acutis Naribus horum hominum :* qui acutiore et longiore sunt naso, dicaces esse perhibentur; et cùm quempiam irrident naso plurimum utuntur, sivè illum corrugent, sivè attollant; sivè etiàm eo sonum edant. Porrò, Virgilius talium hominum impatiens, eorum congressui *minùs aptus* erat. — *Toga defluit :* non rectè alligata et composita est. — *Malè :* junge cum verbo, *hæret*, vix in pedibus consistit.

7. *Denique te ipsum Concute :* nexus sententiæ; si tàm parvi momenti vitia, ut aliqua in vestimentis negligentia, maximis virtutibus et immensâ ingenii laude, tuo judicio, non redimuntur, neque adhùc os maledicentiæ tuæ occluditur, te moveat saltèm et ad silentium adigat tuorum vitiorum consideratio. *Te ipsum concute*, h. e., perpende nùm, sivè naturâ, sivè pravâ consuetudine, vitiorum labes tibi non insita fuerit. — *Urenda :* ut inutilis.

8. *Illùc prævertamur :* nonnihil obscuri et impediti esse in hâc transitione ipsa variarum interpretationum discordia indicat. In Dacierii sententiam mâlim descendere, quæ sìc se habet. Illùc, inquit, vertamur præ aliis, antè omnia, quò vertuntur amatores, cùm de amicarum vitiis pronuntiant; quod in amore illi faciunt, nos in amicitiâ efficiamus. — *Turpia decipiunt cæcum vitia, aut etiàm ipsa hæc Delectant :* hunc Nostri locum memoriâ tenebat Molierius, *Misanthrop.* act. I, sc. 1, cùm Philintum introducit de Alcestis cæcitate querentem : *Ne sont-ce plus défauts dans un objet si doux, Ne les voyez-vous pas, et les excusez-vous ?* Quæ sequuntur de facilitate quâ pater dilecti filii vitia attenuare, mutato vitiorum nomine, conatur,

Delectant, velutì Balbinum polypus Hagnæ.
Vellem in amicitiâ sic erraremus, et isti
Errori nomen virtus posuisset honestum [9].
At, pater ut gnati, sìc nos debemus, amici
Si quod sit vitium, non fastidire. Strabonem
Appellat pætum pater; et pullum, malè parvus
Si cui filius est, ut abortivus fuit olìm
Sisyphus; hunc, varum, distortis cruribus; illum
Balbutit scaurum, pravis fultum malè talis.

ex Platone, Republ. V, ex Lucretio, IV, 1147, expressit Horatius; quem deindè æmulatus est in *Arte amandi* Ovidius, et in eâdem *Misanthrop.* fabulâ, act. II, sc. 5, Molierius, Lucretii tamèn fidus interpres, magìs quàm Horatii et Ovidii imitator. — *Polypus :* narium morbus, cùm caro intùs crescens, et in multos ramulos divisa, nares obstruit : dictus à polypo, pisce quodam, qui multis fibris, tanquàm pedibus, nititur; de quo Plin. lib. IX, c. 20.

9. *Et isti Errori nomen virtus posuisset honestum :* qui enìm error amantium insaniam arguit, idem amicorum indulgentiam verè laudandam denotat. — *Strabonem :* qui oculos distortos habet, vitiososque magìs, quàm eum qui *pætus*, h. e. cui oculi nictantes et semiclausi sunt. — *Pullum :* pusillum, cui statura brevis quidèm, neque tamèn elegantiâ carens. — *Malè parvus :* ultrà modum parvus, nanus. — *Sisyphus :* puer Antonii triumviri pumilio, duos pedes altus, vafer et subdolus, atque ideò dictus Sisyphus, qui fuit Æoli quondàm filius, à Theseo interfectus, homo vaferrimus. — *Hunc, varum, distortis cruribus :* alius filium suum qui est distortis fœdè cruribus, appellat varum. Est autèm varus, is qui crura introrsum versa et arcuta habet, suris in medio ad se invicèm accedentibus : sicùt valgus, qui crura extrorsum versa, et recedentes à se invicèm suras, genua verò ad se accedentia et pedes habet. Varus autèm, etsi vitiosum aliquid siguificat, mollius tamèn est vocabulum, et cognomentum multorum Romanorum nobilium. — *Illum Balbutit scaurum, pravis fultum malè talis :* idem pater alium suum filium, qui talos habet vitiosè compactos, balbutit, id est, balbutiendo appellat, tremulâ et fractâ voce dicit esse scaurum. Scauri vocantur, qui vitio aliquo talorum laborant, quibus inflexo et inverso talo pedes distorti sunt : quâ ex voce factum olìm cognomen nobilis-

Parciùs hic vivit? frugi dicatur. Ineptus
Et jactantior hic paulò est? concinnus amicis
Postulat ut videatur. At est truculentior, atque
Plùs æquo liber? simplex fortisque habeatur.
Caldior est? acres intèr numeretur. Opinor,
Hæc res et jungit, junctos et servat amicos.
At nos virtutes ipsas invertimus [10], atque
Sincerum cupimus vas incrustare. Probus quis
Nobiscum vivit? multum demissus homo; illi
Tardo, cognomen pingui damus. Hic fugit omnes
Insidias, nullique malo latus obdit apertum?
Cùm genus hoc intèr vitæ versetur, ubì acris

simæ Romanorum familiæ. — *Frugi dicatur :* vir *frugi*, propriè est ille è cujus consortio *fruæ*, h. e. utilitas oriri potest. Metaphora ducta est ex arboribus, quarum aliæ fructus ferunt, aliæ sunt steriles. — *Ineptus Et jactantior hic paulò est?* intellige hominem loquacem, multa et futilia garrientem, quique se eo modo placere in cœtibus existimat. — *Concinnus :* urbanus, elegans et festivus. — *Truculentior, atque Plùs æquo liber :* homo duri sermonis, ut Alcestes ille Molierianus. — *Simplex fortisque habeatur:* qui, ut de se idem Alcestes prædicat, candidè, et sinè ambagibus eloquitur quid sentiat.

10. *At nos virtutes ipsas invertimus :* non solùm vitia amicorum attenuare non curamus, sèd ipsas virtutes in vitia vertimus. — *Atque Sincerum cupimus vas incrustare :* cùm vasa erant malè cocta, vèl aliquid in iis erat odoris mali, liniebantur intùs oleo quodam et glutino; undè fiebat incrustatio quædam et tectorium in ipso vase : non verò, cùm erant proba et sincera, id est, pura, incorrupta. Sententia est : nos actiones bonas et dotes amicorum inquinamus, eas vitiorum nomine induendo et oblinendo. — *Probus quis Nobiscum vivit? multum demissus homo :* cùm enìm ea sit vulgò probitatis natura, ut cum certâ quâdam morum dulcedine et indulgentiâ conjungatur, hìnc fit ut à vitiosis hominibus, abjectio et animi demissio habeatur. — *Illi Tardo, cognomen pingui damus :* pinguem et crassum vocamus eum qui paulò est tardior ac segnior. — *Nullique malo latus obdit apertum? obdit,* offert, detegit. Metaphora sumitur à gladiatoribus, qui cavent inter pugnandum, ne quis pateat in suo corpore vulneri locus. — *Cùm genus hoc intèr vitæ versetur :*

Invidia, atque vigent ubi crimina; pro benè sano
Ac non incauto, fictum astutumque vocamus.
Simplicior quis, et est, qualem me sæpè libentèr,
Obtulerim tibi, Mæcenas [11], ut fortè legentem
Aut tacitum impellat quovis sermone? « Molestus; 65
« Communi sensu planè caret, » inquimus. Eheu,
Quàm temerè in nosmet legem sancimus iniquam!
Nàm vitiis nemo sinè nascitur; optimus ille est,
Qui minimis urgetur. Amicus dulcis, ut æquum est,
Cùm mea compenset vitiis bona, pluribus hisce, 70
Si modò plura mihi bona sunt, inclinet; amari
Si volet hâc lege, in trutinâ ponetur eâdem.
Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum,
Postulat, ignoscet verrucis illius. Æquum est
Peccatis veniam poscentem reddere rursùs. 75
Deniquè, quatenùs excidi penitùs vitium iræ,
Cætera itèm nequeunt stultis hærentia, cùr non

cùm vivat intèr aulicos, qui ferè omnes invidi sunt et calumniatores.

11. *Qualem me sæpè libentèr Obtulerim tibi, Mæcenas:* qualis fieri facile potest ut ad te accesserim, ô Mæcenas, importunè me tibi obtrudens. *Libentèr,* in hoc loco, idem est, ac parùm considerate, cùm voluntati plus et iudoli tribuitur, quàm judicio et prudentiæ. — *Ut fortè legentem Aut tacitum impellat:* nihil enìm importunius, quàm hominem studiosum, in meditatione aut lectione totum sermone intempestivo distrahere, et ad colloquendum aut respondendum *impellere.* — *Quàm temerè in nosmet legem sancimus iniquam:* rationem illicò reddit, *Nam vitiis nemo sinè nascitur;* nostrì igitùr interest, ut alios exemplo nostro non doceamus, vèl vitiis nostris addere, vèl virtutes, si quæ sunt, attenuare. — *Pluribus hisce Inclinet:* qui amicis dulcem ac jucundum se præbere velit, is cum vitiis compenset bona. Qnæ si præponderent, ipse quoque eòdem inclinet, et par amici de se judicium expectet; ut, dissimulatis toleratisque utrìmque vitiis, ambo in amore persistant. — *Tuberibus.... verrucis:* tubera sunt tumores in aliquâ corporis parte excrescentes, verrucis multò crassiores vèl grandiores. — *Peccatis:* suis. — *Quatenùs*

Ponderibus modulisque suis ratio utitur? ac, res
Ut quæque est, ità suppliciis delicta coercet?
Si quis eum servum, patinam qui tollere jussus [12],
Semesos pisces tepidumque ligurrierit jus,
In cruce suffigat, Labeone insanior intèr
Sanos dicatur. Quantò hoc furiosius atque
Majus peccatum est! Paulùm deliquit amicus,
Quod nisi concedas, habeare insuavis; acerbus
Odisti et fugis, ut Rusonem debitor æris?
Qui, nisì, cùm tristes misero venere Calendæ,
Mercedem aut nummos undè undè extricat, amaras
Porrecto jugulo historias, captivus ut, audit.

excidi penitùs vitium iræ : siquidem ira, atque alia vitia, pravis hominibus insita, penitùs eradicari nequeunt, etc. Concludit esse partìm in aliis ferenda et condonanda, partìm corrigenda moderatè, et pro ratione culpæ, quæ aliàs levior, aliàs gravior est, non sempèr eadem et par, ut Stoïci volebant, contrà quos, hàc arreptâ occasione, disputat in extremo hujus satiræ fine. — *Res Ut quæque est :* culpa est, seu levis, seu gravis.

12. *Patinam qui tollere jussus :* qui auferendo patinam è mensâ, aliquid ferculi clàm vorat. — *Ligurrierit :* digitis lingendo, aut lambendo linguâ, hauserit. — *Labeone insanior :* Antistius Labeo, jurisconsultus peritus ille quidem, at Augusto infensus, in quem multa dixerat protervè. — *Quantò hoc furiosius : hoc,* id est, istud quod mòx dicendum est; nimia ergà amicum levitèr delinquentem severitas. — *Quod nisì concedas :* cui noxæ nisì veniam dederis. — *Rusonem :* fœneratorem aliquem, eundemque pessimum historicum, aut fabulatorem. — *Tristes Calendæ :* quià Calendis usuræ solvebantur. — *Mercedem aut nummos :* usuram et caput. — *Undè undè :* quolibet pretio, alicundè, omnibus frustrà tentatis. — *Extricat :* metaphora ducta à voce græcâ, θρὶξ, τριχὸς, *capillus,* quià res istius debitoris intricatæ, velutì crines malè pexi, impediunt quìn facilè pecuniam comparet. — *Amaras historias :* fabulas insulsas, aut historias, quas ille Ruso ipsi denarrabat, et quas debitor audire cogebatur, *ut captivus; porrecto jugulo,* id est, attentissimè, ut solent qui se arrigunt ad audiendum : vèl, quasì enecandus mo-

Comminxit lectum potus, mensâve catillum
Evandri manibus tritum [13] dejecit; ob hanc rem,
Aut positum antè meâ quià pullum in parte catini
Sustulit esuriens, minùs hoc jucundus amicus
Sit mihi? Quid faciam, si furtum fecerit? aut si
Prodiderit commissa fide, sponsumve negârit?
Quîs paria esse ferè placuit peccata, laborant,
Cùm ventum ad verum est; sensus moresque repugnant,
Atque ipsa utilitas, justi propè mater et æqui.
Cùm prorepserunt primis animalia terris [14],
Mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia propter,

lestâ narrationum anilium recitatione vide ultimos versus Artis poeticæ; ubi molestus recitator hominem tenere legendo et occidere dicitur.

13. *Catillum Evandri manibus tritum :* parvum catinum ipsâ antiquitate pretiosiorem.—*Commissa fide : fide,* pro, *fidei,* ut apud Virgilium, *die,* pro *diei,* et apùd Sallustium, *vix decimâ parte die.* — *Sponsumve negârit :* rem solemnitèr promissam exsequi recusaverit. — *Quîs :* stoïcis. Notum stoïcæ sectæ paradoxum, ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα. Quod illusurus Horatius, à communi hominum sensu abhorrere ostendit. — *Laborant :* difficilè sese expediunt, opinionem suam commodè tueri nequeunt. — *Cùm ventum ad verum est :* cùm rei veritas philosophicè expenditur.—*Sensus :* communis. — *Mores :* omnium populorum consuetudo et vivendi ratio. — *Atque ipsa utilitas :* quià utile est, non esse paria peccata, neque pares omnibus pœnas irrogari; ut homines à gravioribus flagitiis deterreantur pœnarum graviorum metu. — *Justi propè mater et æqui :* jus enim et leges in iis quæ sivè privatorum, sivè civitatis universæ utilitati inserviunt, innituntur.

14. *Cùm prorepserunt primis animalia terris :* paria esse peccata idcircò affirmabant stoïci, quòd justum et injustum in naturâ ipsâ fundatum esset : quæ natura cùm eadem in omnibus hominibus reperiretur, erat eadem quoque dignitas justi et injusti gravitas. Horatius negat justum ab naturâ oriri, sed à legibus, quarum originem accersit, et ab utilitate publicâ, quæ quid justum et injustum sit maximè demonstravit. — *Primis :* recèns creatis. — *Mutum et turpe pecus :* pecorum instàr mutorum vivebant primi homines, qui, à naturâ quidèm loquendi facultatem sor-

Unguibus et pugnis, dein fustibus, atque ità porro
Pugnabant armis, quæ pòst fabricaverat usus;
Donèc verba, quibus voces sensusque notarent,
Nominaque invenêre. Dehìnc absistere bello,
Oppida cœperunt munire, et ponere leges,
Ne quis fur esset [15], neu latro, neu quis adulter.
Nàm fuit antè Helenam cunnus teterrima belli
Causa; sèd ignotis perierunt mortibus illi,
Quos Venerem incertam rapientes, more ferarum,
Viribus editior cædebat, ut in grege taurus.
Jura inventa metu injusti fateare necesse est,
Tempora si fastosque velis evolvere mundi;
Nèc natura potest justo secernere iniquum,
Dividit ut bona diversis, fugienda petendis;
Nèc vincet ratio hoc [16], tantùmdem ut peccet idemque
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus sacra Divùm legerit. Adsit

titi, absentiâ tamèn idiomatis rectè compositi, sonos aliquot vix articulatos, neque ideò verum sermonem intèr se edere noverant. — *Quæ mòx fabricaverat usus :* quæ fabricari experientia docuerat.

15. *Ponere leges, Ne quis fur esset :* nàm, antè leges institutas, nihil cuique proprium erat, nec solum, nec fruges, nec feminæ. — *Cunnus :* obscena vox, sed ad rem accommodata; quippè, mulier tùnc temporis ad actum venereum appetebatur, quo absoluto, mulieri valedicebant. — *Venerem incertam rapientes :* exquisitè, *incertam*, mulierem non *certi* mariti, sèd omnibus expositam, et primi occupantis; poeticè *rapientes*, ne mulier foritutò objecta, ab alio superveniente occuparetur. — *Viribus editior :* potentior. — *Nec natura potest :* natura sola et per se non potest, absque legum priùs latarum adminiculo, *justum* ab iniquo *secernere*, quemadmodùm sola per se dividit et distinguit ea, quæ animali cuique *bona* et utilia sunt, ab iis quæ sunt diversa, h. e. mala et noxia.

16. *Nec vincet ratio hoc :* nec ratiouem ducem sequendo, id unquàm obtinebis ut, etc. — *Nocturnus Divùm sacra legerit :* per noctem furatus sit sacras Deorum imagines, vasa, instrumenta sacrificiorum, hæc omnia

Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas;
Ne scuticâ dignum horribili sectere flagello.
Nàm, ut ferulâ cædas [17] meritum majora subire
Verbera non vereor; cùm dicas esse pares res
Furta latrociniis, et magnis parva mineris
Falce recisurum simili te, si tibi regnum
Permittant homines. Si dives [18], qui sapiens est,
Et sutor bonus, et solus formosus, et est rex,
Cùr optas quod habes? — Non nôsti quid pater, inquit,
Chrysippus dicat : Sapiens crepidas sibi nunquàm
Nèc soleas fecit; sutor tamèn est sapiens. — Quò? —
Ut, quamvis tacet Hermogenes, cantor tamèn atque

in acervum colligendo. — *Peccatis quæ pœnas irroget æquas :* cum flagitiorum gravitate aut levitate pœnas justâ proportione concordes.

17. *Nàm, ut ferulâ cædas :* non enìm vereor ne cædas tantùm ferulâ eum qui meritus sit subire majora supplicia : scio te id non facturum, non futurum adeò lenem; quippè qui paria putes esse furta latrociniis (furta fiunt clàm, latrocinia palàm et atrociùs), et mineris te recisurum, id est, emendaturum simili falce, hoc est, iisdem pœnis, parva peccata magnis, id est, æquè ac magna. Vox, *idem, similis*, etc., cum dandi casu sæpè jungitur, more Græcorum. Nota hìc dici posse, *vereor ut hoc facias*, pro, *ne facias*, contrà vulgarem grammaticorum regulam; vèl, esse recurrendum ad ingeniosam explicationem Lambini, nempè particulam, *ut*, non esse cum verbo, *vereor*, conjungendam, sed totam illam, quæ antecedit, orationem suo loco et separatim legendam esse, hoc modo; *nàm, ut ferulâ cædas eum qui majora verbera subire meritus sit, non vereor;* subaudi, *ne id facias.*

18. *Si dives :* arripit exagitatque postremam hanc stoïci voculam, *si tibi regnum Permittant homines*, si te regem creare velint : cùr id optas, nempè rex esse, ô stoïce? Jàm rex es, siquidèm qui sapiens est, solus est dives, sutor, rex. — *Chrysippus :* Zenonis auditor, stoïcæ sectæ philosophus, quam in multis auxit. — *Ut quamvis :* responsio stoïci : quemadmodum Hermogenes optimus est cantor, quamvìs taceat; ut Alfenus erat optimus sutor, licèt non tractaret reipsâ subulam, et sutrinam haberet clausam : sic, etc. — *Hermogenes :* cognomine Tigellius, Augusti cantor, diversus à Tigel-

Optimus est modulator; ut Alfenus vafer, omni
Abjecto instrumento artis, clausâque tabernâ,
Sutor erat; sapiens operis sic optimus omnis
Est opifex, solus sic rex. — Vellunt tibi barbam
Lascivi pueri [19], quos tu nisi fuste coerces,
Urgeris turbâ circùm te stante, miserque
Rumperis et latras, magnorum maxime regum.
Ne longum faciam, dùm tu quadrante lavatum
Rex ibis, neque te quisquam stipator, ineptum
Prætèr Crispinum, sectabitur, et mihi dulces,
Ignoscent, si quid peccavero stultus, amici;
Inque vicem illorum patiar delicta libentèr,
Privatusque magìs vivam te rege beatus.

lio Sardo, quem in satiræ superioris limine mortuum legimus. — *Alfenus :* anteà sutor, posteà jurisconsultus, Romæ clarissimus, Catullo amicissimus et Virgilio.

19. *Vellunt tibi barbam Lascivi pueri :* qualis rex, inquit Noster, qui talia à nebulonibus pati cogitur! irridet stoïcorum superbiam. — *Rumperis et latras :* pueros illos allatrando vox tua rumpitur. — *Dùm tu quadrante lavatum Rex ibis :* ridiculum est se regem prædicare, et balnea adire quibus pauperes, pro exiguâ monetâ, pro quadrante, h. e., pro quartâ assis parte lavantur (gallicè, *pour un liard*). — *Ineptum prætèr Crispinum :* idem ille est Crispinus de quo suprà, Satir. I, 120. — *Si quid peccavero stultus :* per imprudentiam, aut potiùs ironicè, et ad stoïcos spectans qui vèl levissimè delinquentes, stultos appellabant.—*Magìs :* junge cum *beatus;* felicior te rege, ad stoïcorum formulam.

SATIRA QUARTA.

Cùm superioribus satiris multos Horatius offendisset, in sequenti illud scribendi genus absolvere conatur, innoxiamque in eo malignitatem, vèl potiùs magnam utilitatem esse demonstrat. Negat se Lucilii Romanæ satiræ inventoris et priscæ comœdiæ poetarum mordacitatem æquavisse; addit multò leviùs à satiricis poetis peccari, quàm à multis urbanis hominibus, in communi vitæ consuetudine. Quòd si in eo tamèn ipse peccet, dùm homines vitiosos publico contemptui proponit, veniam ironicè petit, culpamque suam ipsâ excusatione auget.

Egregiam Nostri satiram, ferè omnes satirarum scriptores pòst Horatium imitati sunt: Regnierius scilicèt et Bolæus apùd nos, apùd Anglos Popus, Gilbertus deniquè, qui in satirâ cui titulus: Mon apologie, *priorem quam hactenùs scripserat satiram longè exsuperavit.*

Eupolis [1], atque Cratinus, Aristophanesque, poetæ,
Atque alii, quorum comœdia prisca virorum est,

1. *Eupolis :* poeta comicus Atheniensis, populo in primis carus, et in carpendis vitiis liberrimus. — *Cratinus :* Eupolidi et Aristophani coætaneus, vino, si ipsi Aristophani creditur, deditus ultrà modum. — *Aristophanes :* præcedentibus celebrior, cujus undecim comœdiæ extant, dùm aliorum opera omnia perierunt. Tres illos quoque ut præcipuos antiquæ comœdiæ inventores Quintilianus nominat, lib. X, cap. 1. — *Comœdia prisca :* tres sunt comœdiæ apùd Græcos ætates, tribus *priscæ*, *mediæ* et *novæ* nominibus insignitæ. In *priscâ*, nihil ficti quoàd fabulæ materiem et personarum sivè actorum nomina; in *mediâ*, fabulæ materies sincera et historica, dissimulatis tantummodò actorum nominibus; in *novâ*, omnia ficta, et è communibus civitatis moribus deprompta, qualem esse comœ-

Si quis erat dignus describi [2], quòd malus ac fur,
Quòd mœchus foret, aut sicarius, aut alioquì
Famosus, multâ cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus,
Mutatis tantùm pedibus numerisque, facetus,
Emunctæ naris, durus componere versus.
Nàm fuit hoc vitiosus [3]; in horâ sæpè ducentos,
Ut magnum, versus dictabat, stans pede in uno.
Cùm flueret lutulentus, erat quod tollere velles;

diam decebat in recto politici regiminis ordine, qualem illam primus Menander restituit apùd Græcos, qualis posteà Romæ floruit, qualis nùnc deniquè extat apùd omnes recentiores populos. Consule Bolæum, Art. poet., libro III, in fine.

2. *Si quis erat dignus describi :* infamiâ notari, quales Athenis fuisse commemorant Cleonem, Cleophantem, Hyperbolum, homines sceleratissimos. At, cùm è libertate facilè oriatur licentia, neque Pericli Cratinus pepercit, neque ipsi Socrati Aristophanes. — *Hinc omnis pendet Lucilius :* quod poetæ græcî in *priscâ* comœdiâ fecerant, id in satirâ exequutus est Romæ Lucilius, h. e. vitiosos homines, nomine quemque suo notavit; primus latinæ satiræ auctor, natus Auruncæ, Latii civitatis. — *Mutatis tantùm pedibus numerisque :* quià hexametris usus est, cùm comœdiæ græcæ iambico metro scriberentur. — *Emunctæ naris :* metaphora est, ex eo derivata, quòd ut illi quibus nares benè emunctæ sunt, odores faciliùs discernunt, sìc et viri delicato judicio præditi, quid in agendî ratione deceat, quid non, quid in scriptis laudandi aut carpendi sit meliùs sentiunt et quasì olfaciunt. — *Durus componere versus :* in aptandis versuum pedibus, in concinnandis numeris parùm diligens; plerùmque asperior et agrestior.

3. *Nàm fuit hoc vitiosus :* nàm in eo laborabat, scilicet, etc. — *Ut magnum :* quasì illud fecundi ingenii, non deploraudæ miserrimæque facilitatis indicium esset. — *Stans pede in uno :* brevissimo tempore; nemo enìm uno pede inniti diutiùs potest. — *Cùm flueret lutulentus, erat quod tollere velles :* ista infelix scribendi rapiditas torrentis cujuslibet rapiditati elegantissimè comparatur, qui vehementi undarum decursu, limum et terras utrimque jacentes secum abripit, dùm è contrà fontium placidorumque rivulorum aquæ pellucidæ sunt. Fate-

Garrulus, atque piger scribendi ferre laborem,
Scribendi rectè; nàm, ut multùm, nil moror. Eccè
Crispinus [4] minimo me provocat: — Accipe, si vis,
Accipiam tabulas. Detur nobis locus, hora,
Custodes; videamus uter plus scribere possit. —
Dî benè fecerunt [5], inopis me quòdque pusilli
Finxerunt animi, rarò et perpauca loquentis.
At tu conclusas hircinis follibus auras,

tur tamèn Noster nonnihil esse in Lucilio quod laude dignum sit, quod *tolli*, h. e. seligi et notari mereatur. Ab Horatio dissentit Quintilianus, X, 1; *Ego*, inquit celeberrimus rhetor, *quantùm ab illis* (qui omnia in Lucilio mirantur) *tantùm ab Horatio dissentio qui Lucilium* fluere lutulentum, et esse aliquid quid tollere possis, *putat. Nàm et eruditio in eo mira, et libertas, atque indè acerbitas, et abundè salis.* — *Garrulus :* in oratione diffusus, verborum prodigus inutilium, ut qui *piger ferre laborem scribendi*, nihil ex eo quod semèl effluxerat resecaret, nihil limæ, nihil incudi redderet. — *Nàm ut multùm, nil moror :* parùm refert quantùm quis scribat; refert autèm quàm rectè et ornatè.

4. *Eccè Crispinus :* nexus sententiæ. Vide quàm res contemptu digna sit multa rapidè et sinè diligentiâ scribere. Eo ipso tempore quo Lucilium ob hanc nimiam facilitatem reprehendo, *eccè Crispinus*, non solùm in cæteris Lucilio inferior, sèd latinorum poetarum pessimus, me ad certamen provocat, ut judicetur *utèr plùs scribere possit;* vincet certè Crispinus; quid indè? — *Minimo :* subaud. *digito.* Pugiles et gladiatores, cùm ad pugnam provocabant adversarium quem contemnebant, eum uno porrecto digito, et eo quidèm minimo solebant lacessere, quasi hominem eo digito dejecturi et prostraturi.

5. *Dî benè fecerunt :* magnas Diis ago gratias, respondet ironicè Horatius, quòd me timidum finxerunt, *pusilli animi*, h. e. viribus suis diffidentis, *rarò et perpauca loquentis*, ità deniquè dispositum ut, nonnisi præmissâ longâ meditatione, ad aliquid aut loquendum aut scribendum accingar. Itaquè tua, ô Crispine, provocatio ad me, tardi ingenii poetam, non pertinet. — *At tu*, etc. : tuum est è contrà, ô Crispine, imitari, si placet, tuis versibus turgidis et inanibus folles vento distentos qui *laborare* non cessant, donèc igne ferrum molliatur.

Usquè laborantes, dùm ferrum molliat ignis,
Ut mavis, imitare. Beatus Fannius, ultrò
Delatis capsis et imagine [6]! Cùm mea nemo
Scripta legat, vulgò recitare timentis, ob hanc rem,
Quòd sunt quos genus hoc minimè juvat, utpotè plures
Culpari dignos. Quemvis mediâ elige turbâ [7];
Aut ob avaritiam, aut miserâ ambitione laborat.
Hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum;
Hunc capit argenti splendor; stupet Albius ære;
Hic mutat merces surgente à sole ad eum quo
Vespertina tepet regio; quìn pèr mala præceps

Venti in follibus conclusi ad arbitrium fabri indesinentèr emittuntur, ad quod opus nullum ingenium requiritur.

6. *Beatus Fannius, ultrò Delatis capsis et imagine :* nomen est poetæ non optimi. Bonorum poetarum carmina reponebantur in æde Apollinis Palatini, aut in adjunctâ illi bibliothecâ, quam Augustus exstruxerat; ibi cedrinis arculis aut cupressinis inclusa servabantur; ibidèm ipsorum statuæ aut imagines collocabantur. Hunc honorem isti Fannio Augustus, vèl senatus, minùs merenti detulerat; id agentibus adulatoribus, qui ejus venditabant carmina, quòd ejusdem hæreditati inhiarent. Juvenc. — *Cùm mea nemo Scripta legat, vulgò recitare timentis :* seria, procùl dubio, hæc pars posterioris versûs; quæ præcedunt, mera ironia. Quis enìm credat Horatium in tot aliis locis superbientem famâ carminum suorum, gloriantemque quòd *monstretur digito præteruntium*, sibi ità contradicere ut se à nemine legi seriò asserat. — *Recitare :* in circulis et coràm magnâ audientium coronâ declamare. Utinàm Horatii prudentiam imitarentur quidam ætatis nostræ poetæ, operum suorum *recitatores acerbi*, quos ut Horatius in fine Artis poeticæ, sìc Molierius, *Femmes savantes*, act. III, sc. 5, tàm graphicè depinxerunt : *Le défaut des auteurs dans leurs productions*, etc.

7. *Quemvis mediâ elige turbâ :* alitèr, *erue*. — *Argenti :* signorum, vasorum ex argento confectorum. — *Ære :* æreis statuis. — *Mutat merces :* mercaturam exercet, quæ nunquàm magìs proficit, quàm cùm res ab aliquâ regione ubì abundant et ideò vili pretio comparantur, in alteram regionem quæ eis indigent translatæ, ingenti mercatoris utilitate venduntur. — *Pèr mala :* pèr naufragia, et

Fertur, utì pulvis collectus turbine, ne quid
Summâ deperdat, metuens, aùt ampliet ut rem;
Omnes hi [8] metuunt versus, odere poetas. —
Fœnum habet in cornu, longè fuge; dummodò risum
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico,
Et, quodcumque semèl chartis illeverit, omnes
Gestiet à furno redeuntes scire lacuque,
Et pueros et anus. — Agedum, pauca accipe contrà.
Primùm ego me illorum, dederim quibus esse poetas [9],
Excerpam numero. Neque enìm concludere versum
Dixeris esse satìs; neque, si quis scribat, utì nos,

alia maris pericula, nt scopulos, piratas, etc. — *Utì pulvis collectus turbine :* hæc comparatio à voce præcedenti, *præceps*, repetenda est. Eodem impetu eàdem mobilitate mercator in varia artis snæ discrimina se dat *præcipitem*, quâ pulvis vento vehementissimo excitatus, in auras diffunditur.

8. *Omnes hi :* quicumque aut *avaritiâ*, aut *ambitione*, aut alio insigni vitio laborant, illi *omnes*, satiræ ictibus obnoxii, *poetas oderunt.* — *Fœnum habet in cornu :* homo est vitandus et perniciosus : similis est bovi cornupetæ. Si cujus equus aut bos, damnum aut malum fecisset, domino mulcta legibus erat indicta; quarè, ut ab ejusmodi animalibus sibi caverent homines, solebant domini aliquid signi dare; v. g. cornibus bovis cornu petere soliti, fœnum illigabant, etc. Hunc locum mirè à Bolæo expressum vide in sat. IX; *Gardez-vous, dira l'un, de cet esprit critique*, etc. — *Chartis illeverit,* qui scribunt, atramento chartam aspergunt, ut pictor tabulam coloribus; quæ propria vis est vocis *illinere.* — *A furno redeuntes scire lacuque :* à turbâ sibi obviâ; frequens esse solet servorum, ancillarum, plebeculæ ad furnum ubì panis coquitur, ad lacum sivè fontem undè aqua ad domesticos usus hauritur, concursus.

9. *Dederim quibus esse poetas :* sese satirarum scriptorem à poetarum numero eximendo, ea mens est Horatio, ut non vanæ laudis poeticæ assectator, sèd unius virtutis ultor et rigidus satelles videatur. — *Neque enìm concludere versum Dixeris esse satìs :* non certa pedum dispositio poetam facit. Hoc sibi dictum teneant innumeri illi syllabarum mensores, qui unà quàque ætate poeseos palmam ideò sibi vindicant, quòd rhythmum, pedum numeros, et apùd nos duarum vocum consonan-

Sermoni propiora, putes hunc esse poetam.
Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os
Magna sonaturum, des nominis hujus honorem.
Idcircò quidam, comœdia necne poema
Esset, quæsivere [10], quòd acer spiritus ac vis
Nec verbis nec rebus inest, nisi quòd pede certo
Differt sermoni, sermo merus. — At pater ardens
Sævit, quòd meretrice nepos insanus amicâ
Filius, uxorem grandi cum dote recuset,
Ebrius et, magnum quod dedecus, ambulet antè
Noctem cum facibus. — Numquid Pomponius [11] istis
Audiret leviora, pater si viveret? Ergò
Non satis est puris versum perscribere verbis;
Quem si dissolvas, quivis stomachetur eodem
Quo personatus pacto pater. His, ego quæ nunc,

tiam apprimè servare noverint! — *Sermoni propiora :* ferè similia *sermoni* familiari qui intèr confabulantes habetur. — *Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os Magna sonaturum : ingenium*, magna imaginandi vis à Naturâ ingenita; *mens divinior*, œstrum quoddam et motus animi, quasi sibyllæ à deo suo inspiratæ et in tripode vaticinantis; *os Magna sonaturum*, insolita quædam verborum magnificentia, vividus harmoniæ sensus.

10. *Quidam comœdia necne poema Esset quæsivere :* intèr alios, Cicero, qui in *Oratore* Platoni et Demostheni plùs poetici ingenii tribuit quàm comicis poetis, *apùd quos*, inquit, *nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis, nisi quòd versiculi sunt.* — *At pater ardens Sævit :* objectio est; at enim, inquiet aliquis, sua quoque vis, suus spiritus inest comœdiæ, quæ vocem aliquandò tollit; v. g. cùm in Terentio Demea, in filium Æschinum tàm acerbè invehitur. — *Antè Noctem :* quod est summum impudentiæ, quæ, noctis silentio et solitudine operta, tolerabilior videretur.

11. *Numquid Pomponius :* respondet objectioni : atquì, ait Horatius, pater Pomponii iisdem verbis filium sunm, flagitiosum et perditum adolescentem, alloqueretur, quibus Demea Æschinum. — *Puris :* claris, castigatis. — *Quem si dissolvas :* cui versui si metrum et mensuram eximas. — *Personatus pa-*

Olim quæ scripsit Lucilius, eripias si
Tempora certa modosque, et, quod prius ordine verbum est
Posterius facias, præponens ultima primis;
Non, ut si solvas, « Postquàm Discordia tetra
» Belli ferratos postes portasque refregit; »
Invenias etiàm disjecti membra poetæ.

Hactenùs hæc [12]; alias, justum sit necne poema.
Nùnc illud tantùm quæram, meritòne tibi sit
Suspectum genus hoc scribendi. Sulcius acer
Ambulat et Caprius [13], rauci malè, cumque libellis,
Magnus uterquè timor latronibus; at benè si quis
Et vivat puris manibus, contemnat utrumque.
Ut sis tu similis Cœli Birrique, latronum,
Non ego sim Caprî, neque Sulcî; cùr metuas me?
Nulla taberna meos habeat neque pila libellos,
Quîs manus insudet vulgi, Hermogenisque Tigellî;

ter : pater comœdiæ.—*Tempora certa :* quantitatem syllabarum, quarum aliæ breves, breviori tempore, aliæ longæ, longiori pronuntiantur. — *Non, ut si solvas :* non invenias membra disjecti et quasi lacerati poetæ, ut iuvenire esset, si solveres hunc Ennii versum, plenum spiritùs et ardoris poetici : *Postquàm Discordia tetra*, etc.

12. *Hactenùs hæc :* hæc de satirâ et comœdiâ nùnc suffîciant. Alio tempore, diligentiùs exquiram àn utrumque illud scribendi genus poematis titulo insigniri debeat. Hoc unum à te quæram, nàm jure ac meritò satiram oderis.

13. *Sulcius, Caprius :* infames delatores. — *Rauci malè :* quibus *malam*, scelestam artem suam assiduè nimis exercentibus, vox accusationibus fatigata raucitatem contraxerat. — *Cumque libellis :* in quibus eorum crimina et nomina servabant, quos ad prætorem, vel etiàm ad ipsum imperatorem accusare vellent. — *Cœli Birrique :* uterque latrociniis infamis erat, et Sulcii Capriique delationibus inprimis expositus. — *Pila :* columna cui, ut olim in palatio forensi Parisino, tabernæ librariorum applicitæ erant. Undè Bolæus, satir. IX; *Quand Bilaine l'étale au deuxième pilier.* — *Quîs manus insudet vulgi, Hermogenisque Tigellî :* qui terantur multorum lectorum manibus, et ab Hermogene Tigel-

Nèc recito cuiquam, nisi amicis idque coactus,
Non ubivis, coràmve quibuslibet. — In medio qui
Scripta foro recitent sunt multi, quique lavantes [14]; 75
Suave locus voci resonat conclusus. — Inanes
Hoc juvat, haùd illud quærentes, nùm sinè sensu,
Tempore nùm faciant alieno. — Lædere gaudes,
Inquit, et hoc studio pravus facis. — Undè petitum
Hoc in me jacis [15]? Est auctor quis denique eorum, 80
Vixi cum quibus? Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit, alio culpante; solutos
Qui captat risus hominum, famamque dicacis;
Fingere qui non visa potest; commissa tacere
Qui nequit, hic niger est; hunc tu, Romane, caveto. 85
Sæpè tribus lectis videas cœnare quaternos [16],
E quibus imus avet quâvis aspergere cunctos,

lio percurrantur. Familiaritate Augusti utebatur cantor ille egregius, de quo jàm egit Noster in Satir. III, 129, undè timendum fuisset iis quos satira Horatiana reprehendisset, ne per Hermogenem illorum vitia principi innotescerent.

14. *Lavantes :* balneis utentes. — *Suave locus voci resonat conclusus :* balnea, ut omnia loca undique clausa, vocem sonoram efficiunt. Duo vitia ridiculorum poetarum hìc carpuntur, qui versus suos ubicùmque recitant, idque cum maximâ vocis contentione, sibi ingenium simùl et declamandi artem applaudentes. — *Inanes :* judicio et ratione vacuos. — *Tempore alieno :* intempestivè.

15. *Undè petitum Hoc in me jacis?* à quo edoctus es hanc lædendi cupidinem quam mihi exprobras? Quis eorum cum quibus vivere insuevi eam tibi revelavit? — *Absentem qui rodit amicum :* innocuæ et utili satiricorum poetarum reprehensioni pravam et crudelem maledicorum loquacitatem opponit. — *Qui non defendit alio culpante :* ultima verbi, *defendit*, syllaba per cesuræ licentiam producitur, ut passim. — *Solutos Qui captat risus hominum :* qui loquendo, amicis ipsis nocere non timet, modò risus immoderatos audientibus moveat. — *Hic niger est :* veneni plenus, verè fugiendus.

16. *Sæpè tribus lectis videas cœnare quaternos :* sententia est : reperitur sæpè in frequentissimo convivio, in quo non tres in singulis lectulis, pro more, sèd

Prætèr eum, qui præbet aquam; pòst, hunc quoque potus,
Condita cùm verax aperit præcordia Liber.
Hic tibi comis, et urbanus, liberque videtur,
Infesto nigris; ego, si risi, quòd ineptus
Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum,
Lividus et mordax videor tibi? Mentio si qua
De Capitolini furtis injecta Petillî [17]
Te coràm fuerit, defendas, ut tuus est mos : —
Me Capitolinus convictore usus amicoque
A puero est, causâque meâ permùlta rogatus
Fecit, et incolumis lætor quòd vivit in urbe;
Sèd tamèn admiror, quo pacto judicium illud
Fugerit. — Hic nigræ succus loliginis, hæc est

quatuor accumbant, unus aliquis qui aveat, id est, gestiat alios in omnem partem aceto et dicteriis suis aspergere, prætèr illum tamèn qui *aquam* ad lavandum, qui balnea convivis *præbet*, qui domûs et convivii dominus est; illum enìm excipit, illi soli parcit; ac ne parcit quidèm sempèr: sed hunc quoquè pòst alios carpit, suisque salibus irrorat, *potus*, id est, quandò plusculùm bibit, cùm factus est potando hilarior; cùm *Liber verax*, id est vinum veritatis amans, aperit animorum abditos sensus, et omnia efferre suadet. Hic tamèn habetur urbanus, et laudatur à te qui hominibus malè dicacibus, ac satiricis poetis, infestus videri vis et inimicus. Cùr igitùr à te reprehendor, si pèr jocum fortè in satirâ dixi *Rufillum olere pastillos*. Vid. sat. II, 27.

17. *Mentio si qua De Capitolini furtis injecta Petillî :* Petillius cognomine Capitolinus, cùm accusatus fuisset de peculatu, aut, ut alii malunt, quòd coronam è statuâ Jovis auream detraxisset, tamèn, corruptis judicibus, est absolutus. Notissima hujus loci imitatio apùd Bolæum, satir. IX; *Si l'on vient à chercher pour quel secret mystère*, etc. — *Defendas :* non dubito quìn eum sis defensurus, quìn dicas te cum illo communi mensâ usum esse, etc. — *Sèd tamèn admiror :* Horatius indicat hominem, qui pèr ambages et clàm de alterius famâ detrahit, qui laudat eum à principio, quem, ad extremum, accusat et carpit, ut iste Petillî amicus. Hæc, inquit Horatius, homines carpendi ratio, pèr simulationem amicitiæ, merum est odium, omni atramento et succo loliginis nigrius; mera est invidia. Loligo est piscis

Ærugo mera. Quod vitium procùl abfore chartis,
Atque animo priùs, ut si quid promittere de me
Possum aliud verè, promitto. Liberiùs si
Dixero quid, si fortè jocosiùs, hoc mihi juris
Cum veniâ dabis. Insuevit pater optimus hoc me [18],
Ut fugerem, exemplis vitiorum quæque notando.
Cùm me hortaretur, parcè, frugalitèr, atque
Viverem uti contentus eo, quòd mi ipse parasset :
« Nonne vides, Albî ut malè vivat filius, utque
» Barrus inops? magnum documentum, ne patriam rem
» Perdere quis velit. » A turpi meretricis amore
Cùm deterreret : « Scetani dissimilis sis [19]. »
Ne sequerer mœchas, concessâ cùm Venere uti

quidam, succum atrum in aquam effundens ore, ne à piscatoribus videri et capi possit. — *Ærugo mera :* (gallicè, *vert-de-gris*), venenum acerrimum. Quemadmodùm igitùr æs ærugine, ità obtrectationibus aliena fama roditur ac pereditur.

18. *Insuevit pater optimus hoc me :* puræ et eximiæ latinitatis est, aliquem aliquâ re insuescere; sic apùd Columellium, VI, 4; *Amurcâ pecus insuescere, plaustro aut aratro juvencum consuescere.*—*Ut fugerem, exemplis vitiorum quæque notando :* sic construe : ut fugerem (subaud. *vitia*) notando exemplis quæque vitiorum, h. e. singula vitia. — *Albî filius :* malè multi interpretes de Tibullo agi arbitrati sunt, qui reverâ rem suam profligavit, et antè vigesimum quartum annum inediâ propè decessit. Horatius ferè quinquagenarius erat eo ipso tempore quo exemplum Tibulli à patre illi propositum fuisse supponunt, quo quidèm nihil ridiculum magis. — *Malè vivat :* pauper, omnibus indigens. — *Barrus :* Titus Vetnrius, de quo in duabus satiris VI et VII nova mentio fiet; juvenis alioquìn dicacitate, elegantiæ affectatione, et luxûs dementiâ famosus, qui vestali Æmiliæ cùm stuprum intulisset, pœnas dedit.

19. *Scetani dissimilis sis :* legitur quoque, Sectani; quis fuerit Scetanus ille, quis fuerit Trebonius de quo mòx, non aliud quàm quod ab Horatio notatum fuit, cognoscitur. — *Concessâ Venere :* mediam illam Venerem intelligit, quæ à turpi prostibulorum, à periculoso matronarum amore æquè distans, adolescentibus probis, velùt adversùs majora flagitia perfugium,

Possem, « Deprensi non bella est fama Trebonî, »
Aiebat. « Sapiens, vitatu quidque petitu
» Sit melius, causas reddet tibi; mî satìs est, sì
» Traditum ab antiquis morem servare, tuamque,
» Dùm custodis eges, vitam famamque tueri
» Incolumem possim : simùl ac duraverit ætas,
» Membra animumque tuum, nabis sinè cortice. » Sic me
Formabat puerum dictis, et sivè jubebat
Ut facerem quid : « Habes auctorem, quo facias hoc. »
Unum ex judicibus selectis [20] objiciebat.
Sivè vetabat : « An hoc inhonestum et inutile factu
» Nècne fit addubites, flagret rumore malo cùm
» Hic atque ille? » Avidos vicinum funus ut ægros [21]

permittebatur. — *Deprensi :* in flagrante delicto; vide suprà ultimo satiræ II versu, *Deprendi miserum est.* — *Sapiens :* philosophus, cujus partes sunt vitia virtutesque definire, et experientiâ meditationibusque discipulos ritè docere quid quisque *vitare*, quid *expetere* debeat. — *Traditum ab antiquis morem :* mores antiquos, utpotè longè severiores purioresque. — *Vitam famamque tueri :* tuam vivendi, h. e. agendi rationem et normam ità componere, ut nihìl indè labis famæ tuæ aspergatur. — *Duraverit :* firmaverit, eodem sensu quo apud Virgil. Æneid. IX, 603; *Natos ad flumina primùm Deferimus, sævoque gelu duramus et undis.* — *Nabis sine cortice :* sinè subere. Metaphora desumpta à pueris qui natandi artem edocentur, quorumque axillis aut pectori supponitur lata è subere tabula, cujus auxilio freti, motus natationi idoneos majori cùm securitate condiscant..

20. *Unum ex judicibus selectis :* unum è magistratibus qui, tùm doctrinâ, tùm probitate eminens, publicam indè existimationem sibi conciliaverat. — *Inutile :* non vulgari et proprio sensu, vanum, irritum, absque utilitate, sèd, contrà sivè tuam, sivè publicam utilitatem, perniciosum; ut *inhonestum*, contrà honestatem, significat. — *Flagret rumore malo :* rectè, *flagrare*, per vividissimam metaphoram. Nàm, ut sceleris convicto nota infamiæ ferro candenti inurebatur, sìc vitioso homini mala fama, carnificis partes gerens, indelebilem maculam, quasì flammà admotà, imprimit.

21. *Avidos ægros :* ægros à cibo vetito temperare aut etiàm

Exanimat, mortisque metu sibi parcere cogit;
Sic teneros animos aliena opprobria sæpè
Absterrent vitiis. Ex hoc ego sanus ab illis
Perniciem quæcumque ferunt; mediocribus, et quîs
Ignoscas, vitiis teneor. Fortassis et istinc
Largitèr abstulerit longa ætas, liber amicus,
Consilium proprium. Neque enim, cùm lectulus, aut me
Porticus excepit, desum mihi : « Rectiùs hoc est;
» Hoc faciens, vivam melitis; sic dulcis amicis
» Occurram; hoc quidam non bellè; numquid ego illi
» Imprudens olim faciam simile? » Hæc ego mecum
Compressis agito labris. Ubi quid datur otî,
Illudo chartis [22]. Hoc est mediocribus illis
Ex vitiis unum; cui si concedere nolis,
Multa poetarum veniet manus, auxilio quæ
Sit mihi (nàm multò plures sumus) ac, velutî, te,

abstinere nescios. — *Exanimat :* salutarem terrorem injicit. — *Ex hoc :* è prudentissimâ patris mei institutione et disciplinâ. — *Istinc Largitèr abstulerit :* multum ab illis mediocribus vitiis detrahet. — *Longa ætas :* quæ experientiam secum trahit. — *Liber amicus :* amici libera monitio. — *Consilium proprium :* diligentior de me ipso cura et meditatio. — *Cùm lectulus, aut me Porticus excepit :* sivè, eâ horâ quæ somnum præcedit, quæque, ut sàt notum est, meditationi favet; sivè cùm deambulationis voluptati indulgeo in illis *porticibus,* ubi cæteri tempus nugis et inanibus colloquiis terunt. — *Desum mihi :* tùnc mihi emendando totus sum. — *Rectius hoc est :* illud et quæ sequuntur, oratio est poetæ sese ipsum alloquentis. — *Compressis labris :* silens, nè fortè vox vèl levissima quidpiam attentioni surripiat.

22. *Illudo chartis :* chartas, quasi pèr lusum, versibus aliquot operio. — *Hoc est mediocribus illis Ex vitiis unum :* facetè quasi vitium, mediocre quidèm, sèd tamèn vitium, scribendi versus pruriginem sibi exprobrat Horatius. — *Concedere :* veniam dare. — *Nàm multò plures sumus :* satiricè dictum contrà innumerabilem poetarum latinorum turbam, qui quantò pejores, tantò ardentiùs arti suæ adhærebant. — *Ac veluti te Judæi :* proselytismum Judæorum irridet, quem ipse Christus non dubitavit reprehendere, Matth.

Judæi, cogemus in hanc concedere turbam.

XXIII, 15; *Væ vobis, scribæ et pharisæi hypocritæ, quià circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum!* Quemque non minùs acritèr, sèd magìs effusè insectatus est D. Ambrosius : *Hi enìm arte insinuant se hominibus, domos penetrant, ingrediuntur prætoria, aures judicum et publica inquietant, et ideò magìs prævalent, quò magìs sunt impudentes.— Cogemus in hanc concedere turbam :* te nostro numero aggregare, carmina ad nostrum exemplar conscribere, aùt saltèm carmina, et inprimìs satirica, componentibus non ampliùs adversari.

SATIRA QUINTA.

Anno U. C. 713, missi ab Senatu Mæcenas, Cocceïus, et Capito, fuerant Brundusium, ut M. Antonium, qui urbem hanc obsidebat, cum Octavio Cæsare in gratiam revocarent. Eos Horatius assecutus, cum iisdem Brundusium usquè perrexit. Describit hoc suum iter; et narrationem facetis fabellis exhilarat, quas intèr secernenda duorum scurrarum Sarmenti et Messii contentio.

Egressum magnâ me excepit Aricia [1] Româ,
Hospitio modico; rhetor comes Heliodorus,
Græcorum longè doctissimus. Indè Forum Appî,
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.
Hoc iter ignavi divisimus, altiùs ac nos 5

1. *Aricia :* prima ab urbe Româ per viam Appiam egredientibus statio, viginti millibus (septem ferè leucis gallicis) distans; olim nobile municipium; nùnc *La Rizza,* viculus, solâ situs pulchritudine commendatus. — *Hospitio modico :* pèr oppositionem *Romæ magnæ.* — *Heliodorus :* quis fuerit ille rhethor ignoratur, et scire parùm attinet. — *Forum Appî :* oppidum in eâdem Appiâ viâ, *le Marché d'Appius ;* nùnc excisum, cujus in vicinià, seù ruinis, est locus *Santo-Donato* dictus. Fora vocabantur quædam oppida quò mercatores convenire soliti erant, ut Forum Livii, Forum Sempronii, etc. Quatuordecim lencis à Româ distans. Prudentèr egerint tirones, si hanc satiram, nonnisi subjectâ oculis *Italiæ antiquæ* mappâ geographicâ, perlegant. — *Cauponibus atque malignis :* ut suprà, et eodem sensu, satir. I, 29, *perfidus hic caupo.* — *Hoc iter ignavi divisimus, altiùs ac nos Præcinctis unum :* iter Româ ad Forum Appii quod uno die peragi strenuis viris et expeditis poterat, nos, ignavi, molles, et commodis nostris nimiùm servientes, duobus tantùm diebus confecimus. — *Mi-*

Præcinctis unum. Minùs est gravis Appia tardis.
Hic [2] ego, proptèr aquam, quòd erat deterrima, ventri
Indico bellum, cœnantes haùd animo æquo
Exspectans comites. Jàm nox inducere terris
Umbras et cœlo diffundere signa parabat;
Tùm pueri nautis, pueris convicia nautæ
Ingerere. — Hùc appelle. — Trecentos inseris, ohe!
Jàm satis est. — Dùm æs exigitur, dùm mula ligatur,
Tota abit hora. Mali culices ranæque palustres
Avertunt somnos. Absentem ut cantat amicam [3]
Multâ prolutus vappâ nauta, atque viator
Certatim; tandèm fessus dormire viator
Incipit, ac missæ pastum retinacula mulæ
Nauta piger saxo religat, stertitque supinus.

nùs est gravis Appia tardis : tardis h. e. lentè ambulantibus minùs est incommoda *Appia*, subaudi, *via*, proptèr hospitiorum frequentiam. Hoc nomen ab Appio Cæco, censore, acceperat, qui eam straverat lapidibus.

2. *Hic :* in Appii Foro. — *Ventri Indico bellum :* à cœnâ abstineo, quod est, reverâ, contrà famem pugnare. Aquam bibere *quià erat deterrima*, mero se abluere proptèr oculorum debilitatem, quòd inferiùs patebit, non poterat. — *Exspectans :* exspectans jejunus, et id quidèm ægerrimè, donèc comites mei, cœnâ peractâ, ad proficiscendum parati essent. — *Cœlo diffundere signa :* cœlum astris distinguere. — *Pueri :* servi, famuli. — *Hùc appelle :* cymbam littori admove. Sìc nautas alloquuntur servi, à dominis præmissi, ut locum in cymbâ ipsis paulò pòst venturis servari juberent, undè conquernntur de nautis, quòd ninìs multos in lintrem admittant. Erat autèm Appii Forum ad ripam Pomptinæ paludis (hodiè, *les marais Pontins*) cui se committebant quicumque viatorum navigare quàm iter terrâ facere mallent. — *Dùm mula ligatur :* dùm mula nautico fune lintri alligatur, quæ eam adversâ undâ trahat.

3. *Absentem cantat amicam :* voce non minùs importunâ quàm *ranarum palustrium* concentus. — *Ac missæ pastum retinacula mulæ Nauta piger saxo religat.* Ambigitùr àn mulam, ne longiùs aberret, àn lintrem, ne pèr paludes vagetur, saxo astringat Nauta : hæc posterior interpretatio placet magìs, quamvis nihil sit absurdi in alterâ. —

Jàmque dies aderat, nil cùm procedere lintrem
Sentimus; donèc cerebrosus prosilit unus,
Ac mulæ nautæque caput lumbosque saligno
Fuste dolat. Quartâ vix demùm exponimur horâ.
Ora manusque tuâ lavimus, Feronia, lymphâ [4].
Millia tum pransi tria repimus, atque subimus
Impositum saxis latè candentibus Anxur.
Hùc venturus erat Mæcenas, optimus atque
Cocceius, missi magnis de rebus uterque
Legati, aversos soliti componere amicos.
Hìc oculis ego nigra meis collyria [5] lippus

Cerebrosus : unus è viatoribus, cui cerebrum facilè incalescebat. — *Saligno Fuste dolat : dolare,* est propriè dolabrâ, lignarii artificii instrumento, complanare, polire. — *Quartâ horâ :* quartâ ab ortu solis, quæ respondet horæ apùd nos decimæ matutinæ. — *Exponimur :* in littus descendimus.

4. *Ora manusque tuâ lavimus, Feronia, lymphâ :* lavimus, in præsenti tempore, ab antiquo verbo, *lavere, lavis, lavo,* ut jàm suprà Od. IV, 6, 26, *Phœbe, qui Xantho lavis amne crines.* Fontes existimabantur sacri, et, religionis causâ, nunquàm adibantur à viatoribus, quìn illi eorum lymphis sese aspergerent. — *Feronia :* dea quædam erat, à servis præsertìm, cùm libertate donabantur, coli solita, eadem, ut nonnulli censent, cum Junone, quæ virgo dicebatur. Fons illi sacer et lucus, ædesque, eodem cognomine, visebantur propè Tarracinam. Juvenc.—*Repimus :* ægrè et lentè ascendimus, quià Anxur monti impositum est, et quià nos recentèr pransi. — *Impositum saxis latè candentibus Anxur :* quæ procùl apparent ob candorem, et altitudinem. Anxur est oppidum Italiæ, in monte positum, ubì Jupiter nomine *Anxuris,* sivè *Axuris,* id est, imberbis, colebatur, à voce græcâ, α *privativo,* et ξυράω, *rado;* cui nunquàm barba raditur. Hodiè vocatur, *Terracina.* Geminum unus, ejusdemque loci nomen memoratur apùd Virgil. Æneid. VII, 799; *Queis Jupiter Anxurus arvis Præsidet, et viridi gaudens Feronia luco.* — *Cocceius :* jurisconsultus, ab Antonio ad Augustum missus; idem imperatoris Nervæ avus. — *Aversos soliti componere amicos :* amicos dissidentes invicèm conciliare.

5. *Collyria :* à voce græcâ, κολλύριον, oculis laborantibus et

Illinere. Intereà Mæcenas advenit, atque
Cocceius, Capitoque simùl Fonteius, ad unguem
Factus homo, Antonî, non ut magis alter, amicus.
Fundos Aufidio Lusco prætore libentèr
Linquimus, insani ridentes præmia scribæ,
Prætextam, et latum clavum, prunæque batillum.

humore malo diffluentibus medicamenta. — *Capito Fonteius :* pater, procùl dubio, illius Capitonis Fonteii, qui, biennio antè Augusti mortem, consulatum gessit. — *Ad unguem Factus homo :* homo perfectus et ex omni parte absolutus. Metaphora ducitur à fabris marmorariis, qui, confecto artis suæ opere, illud ungue superinducto explorant et perpoliunt. — *Fundos :* urbem in viâ Appiâ sitam, hodiè, *Fondi.* — *Aufidio Lusco prætore :* Aufidius ille, ex humili scribæ munere ad primariam municipii Fundorum dignitatem, quæ *prætura* appellabatur, evectus, *præmiis*, h. e. honoribus sibi delatis ità superbiebat, ut nonnisi eorum insignibus decoratus in publicum procederet, quod perridiculum omnibus videri debebat, præsertìm aulicis Româ advenientibus, ipsique adeò Mæcenati Imperatoris vicario; undè evenit ut facetus ille supremæ potestatis imitator *libentèr relinqueretur.* — *Prætextam :* togam purpureo limbo circumdatam. — *Latum clavum :* erat latus clavus tunica, cujus duæ partes ante pectus jungebantur fibulis, et erant tæniâ quâdam purpureâ assutâ ornatæ. In lato clavo, tænia latior erat; in angusto clavo, angustior. Quidam globulos sericos, qui tanquàm clavi, seù clavorum capita, prominerent, in veste additos ad ornatum fuisse volunt, et hìnc vestem laticlaviam dictam, si latiores et ampliores forent globuli; angusticlaviam, si minores et angustiores. Lato clavo soli Senatores et Patricii utebantur. — *Prunæque batillum :* batinum, undè, *batillum*, vox vetus est, significans ferreum istud instrumentum, in imo instar remi, latum, quo carbones è foco excipiuntur (*une pelle à feu*). Batillum verò significat etiàm vas ferreum aut æreum, in quo odores adolentur, *une cassolette.* Ejusmodi vasculum præferebatur olim Persarum regibus, et Romanis imperatoribus, cùm iter facerent : quem morem iste prætor, tanquàm insigne auctoritatis et majestatis, usurpabat. In eodem vase, pro felici hospitum adventu, incensis odoribus, Jovi hospitali sacra fiebant. Idque ab Aufidio isto fortassè factum est, cùm missos Româ legatos, tanquàm Fun-

In Mamurrarum lassi deindè urbe [6] manemus,
Murænâ præbente domum, Capitone culinam.
Postera lux oritur multò gratissima; namque
Plotius et Varius Sinuessæ Virgiliusque
Occurrunt; animæ, quales neque candidiores
Terra tulit, neque quîs me sit devinctior alter.
O qui complexus et gaudia quanta fuerunt!
Nil ego contulerim jucundo sanus amico.
Proxima Campano Ponti [7] quæ villula, tectum
Præbuit, et parochi, quæ debent, ligna salemque.
Hinc muli Capuæ clitellas tempore ponunt.
Lusum it Mæcenas, dormitum ego Virgiliusque;

dani municipii princeps magistratus, accepit. Juvenc.

6. *In Mamurrarum urbe :* Formiis (*Formiæ*). Formiæ, Formiarum, urbs Italiæ. Poëta Mamurrarum urbem appellat, quià Mamurræ, civis Romani ditissimi, et Augusto carissimi, majores ex illâ civitate oriundi, eamdem diù obtinuerant, ejusque fortassè tùnc dominus is, de quo hìc agitur, Mamurra erat. — *Murænâ præbente domum, Capitone culinam :* L. Licinius Varro Muræna, frater Terentiæ, uxoris Mæcenatis, tectum præbebat; Capito sumptus in culinam faciebat. — *Plotius, Varius, Virgilius :* tres poetæ clarissimi. — *Sinuessæ :* erat olìm urbs Campaniæ Italicæ maritima, ad radices Massici montis, amœno in loco et salubri cœlo sita; nùnc jacet *excisa* in orâ maris Tyrrheni, ubì mons *Massicus desinit*, et ejus rudera vetus adhuc *Sinuessæ* nomen retinere dicuntur. — *Nil ego contulerim jucundo sanus amico :* quàmdiù recto judicio integrâque ratione utar, nihil mihi jucundius erit quàm veri amici consortium.

7. *Campano Ponti :* Campanus Pons, oppidulum fuit in eâdem viâ Appiâ. — *Parochi :* sìc vocabantur certi homines, quibus id muneris erat impositum, ut legatis et oratoribus à populo vel imperatore missis præberent omnia quæ ad iter commodè faciendum forent necessaria, certis in locis ubì minùs idonea essent diversoria. Πάροχοι, Græca vox à παρέχω præbeo : quasì diceres, *præbitores*. Copiarii latinè vocabantur. Juvenc. — *Hinc muli :* ex hâc villulâ Ponti Campano proximâ muli nostri Capuam usquè, urbem Campaniæ primariam, perrexerunt, ubì, *clitellas*, h. e. sarcinas, *tempore*, h. e. tempestivè, antè noctem, deposuerunt. — *Nàmque pilâ lippis inimicum*

Nàmque pilâ lippis inimicum et ludere crudis.
Hinc nos Cocceii recipit plenissima [8] villa,
Quæ supèr est Caudî cauponas. Nunc mihi paucis
Sarmenti scurræ pugnam Messîque Cicirri,
Musa, velim memores, et quo patre natus uterque
Contulerit lites. Messî clarum genus Osci [9];
Sarmenti domina exstat. Ab his majoribus orti
Ad pugnam venêre. Prior Sarmentus : « Equi te
» Esse feri similem dico. » Ridemus; et ipse
Messius : « Accipio; » caput et movet : « O, tua cornu
» Ni foret exsecto frons [10], inquit, quid facercs, cùm

et ludere crudis : Horatio, ut suprà legimus, oculi laborabant, Virgilio stomachus. Porrò noxium utrique fuisset pilâ ludere; vehemens enim exercitatio, qualis est in hoc ludo (*la paume*), nocet cibos malè concoquentibus, et, ex alterâ parte, magnam oculorum contentionem ludus requirit, ut pila observetur, excipiatur bellè, commodè remittatur, et ab eâ, cùm opus est, caveatur.

8. *Plenissima :* omnibus ad victum necessariis abundans. — *Caudî cauponas :* Caudium erat oppidum Hirpinorum, Benevento distans quatuor admodùm leucis, nùnc vicus *Arpaia* nuncupatus. Non procùl sunt Caudinæ fauces, ubì Romani sub jugum missi. Videntur autèm illæ Caudinæ cauponæ extrà oppidum fuisse, et ultrà illas, villa Cocceïorum. — *Musa, velim, memores :* facetè ad Homeri exemplum, musas, quasì rem magnam dicturus, invocat. — *Et quo patre natus uterque :* illud ab epicis ductum, qui heroüm suorum genealogiam narrare non obliviscuntur. — *Contulerit lites :* digladiatus sit cum socio, rixam et pugnam inierit.

9. *Osci :* est in recto casu numeri pluralis. Et ordo est : Osci sunt clarum genus Messii : id est, Messius ex Oscis oriundus est. Erant autèm Osci, Italiæ populus in Campania, contemptissimus ob sermonem et mores inquinatissimos. Juv. — *Sarmenti domina extat :* vivit adhùc hera, cujus servus fuit Sarmentus, quæ vilem istius hominis conditionem, si necesse esset, testaretur. — *Accipio :* subaud. provocationem tuam. Paratus sum reponere; quod gestu potiùs quàm verbis expressit, caput movendo. Ea vox, *accipio,* ad rei cujuslibet significandam approbationem adhibetur.

10. *O, tua cornu Ni foret exsecto frons :* cornu, ut in satirâ præcedenti vidimus, minitantur et feriunt animalia quædam, ut tauri, cervi, etc., verè imbe-

» Sic mutilus minitaris? » At illi fœda cicatrix
Setosam lævi frontem turpaverat oris.
Campanum in morbum, in faciem permulta jocatus,
Pastorem saltaret utì Cyclopa rogabat;
Nil illi larvâ, aut tragicis opus esse cothurnis.
Multa Cicirrus ad hæc : donasset jàmne catenam
Ex voto Laribus [11], quærebat; scriba quòd esset,
Nihilò deteriùs dominæ jus esse. Rogabat
Deniquè, cùr unquàm fugisset, cui satis una
Farris libra foret, gracili sic, tàmque pusillo.
Prorsùs jucundè cœnam producimus illam.

cilli et impares, si istis armis destituantur, etiàm in parte. Porrò alludit Sarmentus ad turpem cicatricem in fronte Messii extantem, exsectæ forsàn verrucæ vestigium; sicque hostis debilitatem irridet. — *Setosam :* capillis fœdè hirsutis horrentem. — — *Campanum in morbum :* turpem et epidemicam luem apùd Campanos communem, ex eorum moribus depravatis ortam, cujusque infamia signa, ut verrucæ enormes, papulæ tabo diffluentes in vultu totius ferè gentis, apparebant. Capuana luxuria ab Annibale ad nos in proverbium venit. — *Pastorem saltaret utì Cyclopa, rogabat :* rogabat Messium, ut saltaret pastorem Cyclopem : id est, ut Polyphemum saltando imitaretur; eum illi esse simillimum, ob oris cicatricem, uni illi Cyclopis oculo respondentem, et ob corporis proceritatem.

11. *Donasset jàmne catenam Ex voto Laribus :* qui periculo defuncti erant, aut artem deponebant aliquam, ejus indicia, instrumenta, etc., Deo cuipiam consecrabant. Decebat autèm servum libertate donatum catenas Laribus, diis domesticis, consecrare. Quærebat igitùr à Sarmento Messius, nùm tandèm liber esset ac manumissus, quamdudùm exiisset servitio, et quânam arte id esset consecutus, innuens scilicet, eum adhùc esse servum, quamvis fugitivum. Juvenc. — *Scriba quòd esset :* minores illi magistratus, in quibus plùs utilitatis erat quàm dignitatis, sæpè sæpiùs libertinis, aliquandò etiàm ipsis servis permittebantur, utpotè qui litteras cæterasque artes liberales à civibus contemptui habitas, præcipuè excolerent. — *Cùr unquàm fugisset :* è domo heræ suæ, quæ ipsi victum sàt abundantem recusare non poterat, cui una farris, h. e. panis libra, ut *gracili* et *pusillo* sufficiebat. —*Producimus :* in hâc cœnâ, ut face-

Tendimus hinc rectà Beneventum [12], ubi sedulus hospes
Pænè, macros, arsit, dùm turdos versat in igne;
Nàm vaga pèr veterem dilapso flamma culinam
Vulcano summum properabat lambere tectum.
Convivas avidos cœnam, servosque timentes
Tùm rapere, atque omnes restinguere velle videres.
Incipit ex illo montes Appulia notos [13]
Ostentare mihi, quos torret Atabulus, et quos
Nunquàm erepsemus, nisi nos vicina Trivici
Villa recepisset, lacrimoso non sinè fumo,
Udos cum foliis ramos urente camino.

tissimâ, diutiùs immorati sumus.

12. *Beneventum :* urbs opulenta, in Samnio, antiquum nomen hodiè retinens. — *Sedulus hospes :* in nobis benè curandis nimiùm attentus et diligens. — *Pænè arsit :* domum suam pænè incendit. *Ardere* ipse hospes dicitur, pèr metonymiam, ut in illo Virgiliano, Æneid. II, 311: *Jàm proximus ardet Ucalegon.* — *Turdos :* (gallicè, *des grives*). — *Versat in igne :* tàm vehementi videlicèt, ut non turdi, velutì decebat, admoveri, sed à flammâ undiquè circumdari viderentur. — *Veterem :* vetustate putridam et siccam. — *Convivas avidos :* famis quasì immemores, ipsi tamèn sedandæ, pòst extinctum incendium, fercula rapiendo, providentes.

13. *Notos :* Horatio nempè, Venusiæ nato, quæ est urbs Appuliæ. — *Atabulus :* ventus Appuliæ infestissimus, sìc appellatus à duabus vocibus græcis, ἄτη, *damnum,* et βάλλω, *infero, jacio;* teste quidèm Plinio, frigidissimus, cujus textum referre non pigebit, quo ea vox, *torret,* cum vento frigido malè, ut crederes, conveniens, faciliùs explicabitur: *Est in Appuliâ Atabulus, qui, si flavit circà brumam, frigore exurit arefaciens, ità ut nullis posteà solibus vites recreari possint.* In memoriam quoque redit Virgil. Georg. I, 93: *Penetrabile frigus adurat;* quod mirum in modum de more imitatus est J. B. Russæus in ode ad Malherbium, III, 6, in fine: *Venez, fiers tyrans du Nord, De vos brûlantes froidures Sécher ces feuilles impures Dont l'ombre donne la mort.* — *Erepsemus :* pro, *erepsissemus,* per notam syncopen. — *Trivici :* Tricicum, hodiè, *Trivico,* oppidulum regni Neapolitani, in Principatu Ulteriore. — *Lacrimoso fumo :* quià fumus lacrimas elicit.

Hìc ego mendacem stultissimus usquè puellam [14]
Ad mediam noctem exspecto. Somnus tamèn aufert
Intentum Veneri; tùm immundo somnia visu
Nocturnam vestem maculant, ventremque supinum.
Quatuor hìnc rapimur viginti et millia rhedis,
Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est [15],
Signis perfacile est. Venit vilissima rerum
Hìc aqua; sèd panis longè pulcherrimus; ultrà
Callidus ut soleat humeris portare viator.
Nàm Canusî lapidosus; aquæ non ditior urna;
Qui locus à forti Diomede est conditus olìm.
Flentibus hìc Varius discedit mœstus amicis.
Indè Rubos [16] fessi pervenimus, utpotè longum
Carpentes iter, et factum corruptius imbri.
Postera tempestas melior, via pejor ad usquè

14. *Mendacem puellam :* quæ promissis non stetit. — *Somnus tamèn aufert :* longâ et inutili expectatione defessus, tandèm indormio. — *Intentum Veneri :* aliquid obsceni inesse huic verbo, *intentum*, facilè crederis. — *Nocturnam vestem maculant, ventremque supinum :* seminis emissione.

15. *Oppidulo, quod versu dicere non est :* Equotuticum vocabatur, quæ vox hexametro versu includi commodè nequit. Erat in Hirpinis : nùnc urbicula est regni Neapolitani, quæ Arianum dicitur, *Ariano*, in Principatu Ulteriori, ad Apennini radices. Juv. — *Signis perfacile est :* signis ità huic oppidulo accommodatis, ut nulli alteri conveniant; nàm hìc aqua, quod nunquàm alibì, venalis est. — *Callidus viator :* prudens, et in reliquum itineris providens. — *Humeris portare :* secum asportare. — *Canusî :* Canusium, urbs Appuliæ. — *Lapidosus :* durus, malè coctus, stomacho gravis. — *Aquæ non ditior urna :* non est uberior aquæ copia Canusii quàm Equotutii.

16. *Rubos :* Rubi, hodiè, *Ruvo*, urbs Italiæ intèr Canusium et Barium, à priori urbe decem ferè leucis distans. — *Tempestas :* dies; *tempestas* sæpè pro voce, *tempus*, usurpatur, et ad sensum proprium apposito epitheto determinatur. — *Via pejor :* quamvìs enìm cœli facies ad serenitatem vergat, pòst densam pluviam sæpissimè evenit, ut solum ipso siccationis initio pinguius factum quàm cùm imbribus diluebatur, diffi-

Barî mœnia piscosi. Dehînc Gnatia lymphis
Iratis exstructa [17] dedit risusque jocosque,
Dùm, flammâ sinè, thura liquescere limine sacro
Persuadere cupit. Credat Judæus Apella,
Non ego [18]; namque Deos didici securum agere ævum,
Nèc, si quid miri faciat Natura, Deos id
Tristes ex alto cœli demittere tecto.
Brundusium longæ finis chartæque viæque.

ciliorem viam ambulantibus efficiat, tardioresque eis moras nectat. — *Barî :* Barium, hodiè, *Bari*, urbs Appuliæ maritima, in quâ magna piscatorum frequentia.

17. *Gnatia, lymphis Iratis exstructa :* civitas inter Barium et Brundusium, ubi magna est aquæ dulcis penuria, undè dicitur, *iratis lymphis exstructa*, quasi lymphæ, illi loco infensæ, ab eo procùl fugissent; hodiè collapsa; reliquiis tamèn exstantibus, alii, *Nazo*, alii *torre di Anasso*, nomen indidêre. — *Dùm, flammâ sinè :* nihil facilius quàm per causam merè naturalem prodigium illud explicare, si supponatur, v. g. è loco quodam tantillùm distante et oculis spectantium inaccesso, solares radios in speculo ardenti exceptos, ad thura in limine ædis sacræ exposita directos fuisse. — *Persuadere cupit :* pro, *cupiunt hujus urbis incolæ.*

18. *Credat Judæus Apella, Non ego :* ambigitur àn vox illa, *Apella*, Judæum aliquem Romæ notissimum proprio nomine indicet, àn, commune sit Judæis epitheton, quasì, *sinè pelle*, factâ ad istius populi circumcisionem allusione. Quidquid sit, in sacris Judæorum codicibus leguntur plurima ejusmodi prodigia de sacrificiis et victimis ignem sponte suâ concipientibus. Vide inprimìs, *Regum* primum librum, cap. XVIII; hinc est cùr Judæis potiùs quàm sibi aliquid simile persuaderi posse asserat Horatius. — *Securum agere ævum :* sinè curâ rerum humanarum. — *Didici :* ab Epicuro, cujus doctrinæ in multis adhærebat Horatius. — *Tristes :* de hominibus sollicitos, et eorum rebus cum severâ animi contentione addictos. — *Brundusium :* hodiè *Brindisi*, gallicè, *Brindes ;* urbs egregia Calabriæ, cum amplissimo portu.

SATIRA SEXTA.

Gratiam in quâ erat apùd Mæcenatem in hâc satirâ ingeniosè tuetur Horatius, obtrectatoribusque et invidis generis obscuritatem ipsi exprobrantibus ità respondet, ut simùl patroni sui judicio blandiatur, qui amicos familiaresque non è vanâ nobilitate, sèd ex propriâ virtute seligit. Undè, occasionem nactus, se honorificâ hâc familiaritate non indignum prædicat, cùm eam institutionem ab optimo patre, quem piè et effusè memorat, acceperit, quâ, sivè juvenilium morum castitate, sivè majorum vitiorum, ambitionisque præsertìm odio et contemptu, verè commendabilem se felicitèr præstiterit.

Non, quià [1], Mæcenas, Lydorum quidquid Etruscos
Incoluit fines, nemo generosior est te;
Nèc, quòd avus tibi maternus fuit atque paternus,
Olìm qui magnis legionibus imperitârint,
Ut plerique solent, naso suspendis adunco 5

1. *Quià : quamvìs.* Sensus est; quamvis tibi sit genus illustrissimum, non ideò *plerosque* imitaris, qui è claro sanguine orti, ignobiles et *ignotos*, qualis ego sum, dedignantur et irrident. — *Lydorum :* Lydi, Asiæ Minoris populus, duce Tyrrheno, Herculis nepote, in Etruriâ multas urbes condiderunt, testibus innumeris scriptoribus, quibus unus adversatur Dionysius Halicarn. — *Quidquid Incoluit fines : quidquid* pro, *quicumque ;* in qualicumque numero Asiatici illi transfugæ Etruriam incoluerint. Construe igitùr : quamvis nemo Lydorum, h. e. intèr Lydos, qui, etc., te natalium claritate superaverit. — *Naso suspendis adunco :* qui aliquem irrident, nasum vulgò corrugant et attollunt elato capite, ità ut curvus et aquilino

Ignotos, ut me libertino patre natum;
Cùm referre negas, quali sit quisque parente
Natus, dùm ingenuus [2]. Persuades hoc tibi verè,
Antè potestatem Tullî atque ignobile regnum,
Multos sæpè viros, nullis majoribus ortos,
Et vixisse probos, amplis et honoribus auctos;
Contrà Lævinum, Valerî genus [3], undè Superbus
Tarquinius regno pulsus fuit, unius assis
Non umquàm pretio plurìs licuisse, notante
Judice, quem nosti, populo, qui stultus honores
Sæpè dat indignis, et famæ servit ineptus;

propior videatur. Ipsi Horatio hanc proverbii formulam applicuit Persius, I, 118 : *Callidus excusso populum suspendere naso.*

2. *Dùm ingenuus :* probus, honestus, liberalitèr educatus. — *Antè potestatem Tulli :* ideò Servium Tullium citat, quòd nullo illustriori exemplo propositum confirmare poterat; quippè qui, ignobili et obscuro loco natus, ancillæ filius, Tarquinii tamèn Prisci filiam uxorem duxit, et à socero adoptatus, ejus quoque solium, sextus Romanorum rex, conscendit.

3. *Contrà Lævinum, Valerî genus :* cùm Tarquinius Superbus Romà pulsus est, rempublicam administrandam susceperunt Brutus et Collatinus. Hi consules appellati. Incidit Collatinus in suspicionem, quasi Tarquinio faveret, itaquè in ordinem redactus, et magistratum abdicare coactus est. Suffectus illi fuit Publius Valerius Publicola, sivè Poplicola, sic dictus, quià populi erat studiosissimus. Ex ejus Valerii familiâ ortus est subindè Valerius Lævinus, homo vecors, et à majorum virtute degener, cujus ne nomen quidèm proditum litteris legitur, nisì in hoc Horatii loco. Fit quidèm mentio Publii Valerii Lævini, et Marci Valerii Lævini, sèd honorifica; hic enìm contrà Philippum Macedonem, ille contrà Pyrrhum res magnas gessit. Juvenc. — *Unius assis Non unquàm pretio plurìs licuisse : licere,* vox est forensis, quæ à jurisconsultis adhibetur, quotiès de merce aliquâ agunt quæ publicè venditur, et maximum pretium offerenti addicitur. Idem ergò valet, ac, *æstimari.* — *Notante Judice quem nosti populo :* vèl ejusdem populi judicio, qui, quamvis titulorum pompâ nimis sæpè decipiatur, tamèn ergà Lævinum, se sapientem et æquum præstitit.

Qui stupet in titulis et imaginibus. Quid oportet
Nos facere [4], à vulgo longè latèque remotos?
Nàmque esto [5], populus Lævino mallet honorem,
Quàm Decio mandare novo; censorque moveret
Appius, ingenuo si non essem patre natus,
Vèl meritò, quoniàm in propriâ non pelle quiessem. —
Sèd fulgente trahit constrictos gloria curru
Non minùs ignotos generosis. — Quò tibi, Tillî [6],
Sumere depositum clavum, fierique tribuno?

4. *Quid oportet Nos facere :* nexus sententiæ; quòd si populus ipse aliquandò, in hàc nobilitatis avitæ et propriæ indignitatis quæstione, ad rationem et sapientiam redit, quî fieri posset ut tu, Mæcenas, ut ego Horatius, ut omnes rectè sentientes et à vulgo secreti, non constantèr eodem modo judicaremus, quo populus semèl de Lævino judicavit?

5. *Nàmque esto :* concessio est Horatii; sèd, inquit, supponamus populum, pro suâ inconstantiâ et stoliditate, maluisse deferre honorem, id est consulatum, Lævino, nobili et improbo, quàm P. Decio Muri, qui homo novus erat, id est, nullis majorum honoribus insignis, etc. Subaudiendum est, àn idcircò deterior fuisset P. Decius? àn Lævinus honestior et sanctior? An ego nequior forem, si senatu motus essem, quià non essem ingenuus? Minimè, sanè. Ex eo concludit poeta, populi judicium esse contemnendum; quod tamèn, inquit, pauci faciunt : omnes enìm, et nobiles, et ignobiles, famæ et gloriæ serviunt; eos gloria quasì captivos, et suo currui alligatos trahit. Quid illi tamèn ex hàc ambitione et gloriæ cupiditate assequuntur? Nihil prætèr curas majores, invidiam, etc., quod probat exemplo Tillii. Hic germanus est loci, à nemine (quod sciam), benè explicati, sensus. — *Decio :* P. Decius Mus, consul factus, bello Latino, circà annum U. C. 314, cum T. Manlio Posthumo, multa præclarè gessit. — *Censorque moveret Appius :* et rigidus censor, Appius alter, me *moveret*, h. e. è senatu, vèl ab altiori quolibet magistratu expelleret. Rectè Appius hìc nominatur, cujus nota in exercendo Censorio munere severitas. — *Vèl meritò :* injustè quidèm, si ad originis meæ tenuitatem spectes; sèd rectè, sèd *meritò*, quòd, conditionis meæ oblitus, in sublimiorem gradum ambitiosè tentavissem ascendere.

6. *Quò tibi, Tillî :* alii legunt, *Tullî*. Tullius ille vèl Tillius

Invidia accrevit, privato quæ minor esset.
Nàm ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus, et latum demisit pectore clavum,
Audit continuo : Quis homo hic, et quo patre natus?
Ut si qui ægrotet quo morbo Barrus, haberi
Ut cupiat formosus, eat quacùmque, puellis
Injiciat curam quærendi singula, quali
Sit facie, surâ, quali pede, dente, capillo;
Sic, qui promittit cives, Urbem, sibi curæ
Imperium fore et Italiam et delubra Deorum,
Quo patre sit natus, nùm ignotâ matre inhonestus,
Omnes mortales curare et quærere cogat. —
Tunc Syri, Damæ, aùt Dionysî filius [7], audes
Dejicere è saxo cives, aut tradere Cadmo? —

(quid refert?), Pompeianis partibus addictus, à Cæsare è senatu motus fuerat; occiso verò Cæsare, latum clavum, id est, senatoriam dignitatem quam deposuerat recepit, tribunusque militum factus, ab Octavio exagitatus iterùm, invidiæ quam privatus forsàn effugisset, obnoxius fuit. — *Nigris pellibus :* calcei senatorum alutâ nigrâ, id est, molli pelle agninâ, aut hœdinâ, erant confecti. Ea pellis, ocreæ minoris instàr, assurgebat usquè ad medium crus (*une espèce de brodequins noirs*), eratque interdùm integra et perpetua, interdùm secta variis in locis et aperta; nonnumquàm dividebatur in varia lora (quatuor fuisse corrigias Isidorus ait) quæ alia aliis imposita, et cancellatìm implexa, quasì vinculis tibiam obligabant, et circà suram fibulis innectebantur. Senatorius igitùr calceus erat altior, et ad mediam tibiam pertinebat; vulgaris, et quo populus utebatur, erat demissior, nèc suprà pedem elatus. Cùm autèm senatorum alii esseut curules, alii pedarii, curules utebantur calceis mulleis, id est, rubris, seù versicoloribus; pedarii, nigris. JUVENC.

7. *Tune Syri, Damæ aùt Dyonisî filius :* nomina sunt servorum in fabulis comicis. Hæc verba, *Tune*, etc., cum præcedentibus apprimè conveniunt. *Omnes curare et quærere coacti* quisnàm tandèm sit magistratus ille cui tantùm licet in *cives* Romanos, indignantur quòd ignoti aut etiàm servi filius de rebus capitalibus agat,

At Novius collega gradu pòst me sedet uno [8];
Nàmque est ille, pater quod erat meus. — Hòc tibi Paulus
Et Messala videris? At hic, si plaustra ducenta
Concurrantque foro tria funera, magna sonabit,
Cornua quod vincatque tubas; saltèm tenet hoc nos.
Nùnc ad me redeo, libertino patre natum,
Quem rodunt omnes libertino patre natum [9],
Nùnc, quià sim tibi, Mæcenas, convictor; at olìm,
Quòd mihi pareret legio Romana tribuno.
Dissimile hoc illi est; quià non ut forsìt honorem
Jure mihi invideat quivis, ità te quoquè amicum,
Præsertìm cautum dignos assumere, pravâ

et statìm exclamant : *Tune,* etc. *E saxo :* è Tarpeiâ rupe. — *Cadmo :* tortori.

8. *Novius collega gradu pòst me sedet uno :* respondet ignobilis ille Syri aut Damæ filius se quidèm esse obscurum, minùs tamèn quàm collegam suum qui libertus, sivè servi filius est, dùm ipse liberti filius, libertini titulo gloriatur. — *Hòc :* sermonem repetìt quilibet è populo; *hòc,* id est, ideò, et quià collega tuus ignobilitate te vincit, te *Paulum* aliquem, vèl *Messalam* existimas? Paulum Æmilium et Valerium Messalam intelligit, cives nobilissimos. — *At hic :* Novius; mera ironia; tibi quidèm, quoàd generis dignitatem, aliquantispèr cedit; sèd magnâ virtute præditus est, cùm vocis suæ elatione possit superare murmur editum ab innumeris plaustris, cornuaque et tubas trium funerum simùl in foro concurrentium. — *Saltèm tenet hoc nos : hoc* in ablativo casu; Novius *nos tenet,* h. e. delectat, capit, *hoc,* eo laudis et meriti genere. Stoliditas populi irridetur.

9. *Libertino patre natum :* cùr bis illud hemistichion repetatur vix est ut explicem. — *Nùnc, quià sim tibi, Mæcenas, convictor :* ad mensam tuam admissus. — *Mihi tribuno :* in Philippensi pugnâ tribuni militum munia non adeò honorificè gesserat Horatius. — *Dissimile hoc illi est :* hoc, videlicèt fuisse tribunum militarem, non est idem atquè illud, scilicèt tibi nùnc esse familiarem et amicum : quià non est causa, cùr quispiam invideat mihi, et indignetur, quòd tuus sim amicus, quamvìs *forsìt,* id est, fortassè, honorem tribunatûs mihi jure posset invidere. Indignis enìm

Ambitione procùl. Felicem dicere non hoc
Me possim casu, quòd te sortitus amicum.
Nulla etenìm mihi te fors obtulit; optimus olìm
Virgilius, pòst hunc Varius, dixêre quid essem.
Ut veni coràm [10], singultìm pauca locutus,
Infans nàmque pudor prohibebat plura profari,
Non ego me claro natum patre, non ego circùm
Me Satureiano vectari rura caballo,
Sèd, quod eram, narro. Respondes, ut tuus est mos,
Pauca. Abeo; et revocas, nono pòst mense, jubesque
Esse in amicorum numero. Magnum hoc ego duco,
Quòd placui tibi, qui turpi secernis honestum,
Non patre præclaro, sèd vitâ et pectore puro.
Atqui si vitiis mediocribus ac mea paucis
Mendosa est natura, alioquì recta, velùt si
Egregio inspersos reprendas corpore nævos;
Si nequè avaritiam, neque sordes, ac mala lustra
Objiciet verè quisquam mihi; purus et insons,
Ut me collaudem, si et vivo carus amicis :
Causa fuit pater his, qui macro pauper agello

sæpè honores contingunt; at tu *cautus* es, id est, prudens et consideratus, ad eos tantùm in amicitiam assumendos et asciscendos, qui eâ digni sint; nequè ullam in amicis eligendis rationem dignitatis habes. — *Felicem dicere non hoc Me possim casu :* non ascribo tuam amicitiam fortuitæ felicitati, sèd judicio tuo, et meis quibusdam meritis.

10. *Ut veni coràm :* ubì tuum in conspectum prodii. — *Singultìm :* quasi dubitans, et verba trahens amputata et malè cohærentia. — *Infans pudor :* timiditas veneratione mixta, quæ *fari* prohibet. — *Satureiano caballo :* Satureiana pascua erant in Appuliæ et Calabriæ finibus, ad urbem Saturenm; ibì generosi equi alebantur. — *Non patre præclaro :* junge cum, *si placui tibi.* — *Mala lustra :* ganeas, lupanaria. *Lustra* dici, ait Festus, lamas lutosas, quæ sunt in sylvis aprorum cubilia; ab earum autèm similitudine ii qui in locis abditis et sordidis ventri et desidiæ dant operam, dicuntur in lustris vitam agere.

Noluit in Flavî ludum me mittere, magni
Quò pueri magnis è centurionibus orti,
Lævo suspensi loculos tabulamque lacerto [11],
Ibant octonis referentes Idibus æra.
Sèd puerum est ausus Romam portare [12], docendum
Artes, quas doceat quivis eques atque senator
Semèt prognatos. Vestem servosque sequentes
In magno ut populo si quis vidisset, avitâ

JUVENC. — *In Flavi ludum :* scholam. Docebat Venusii Flavius artem legendi, scribendi, numerandi.—*Magni Quò pueri, magnis è centurionibus orti :* gratiam optimo patri refert Horatius, qui se multò liberaliùs educari curaverit, quàm educati erant ipsi magnorum centurionum filii. Porrò centuriones erant sexaginta in singulis legionibus, sex in unàquàque cohorte. Centenis vulgò peditibus singuli præerant; et quamvis pauciores centenis interdùm numerarentur milites in singulis manipulis, nomen tamèn centurionum mansit. Major aliis erat primus cohortis primæ centurio, ac primipilus sivè centurio primipili vocabatur. JUVENC.

11. *Lævo suspensi loculos tabulamque lacerto :* ferentes ipsi, non ut ego per servos, crumenam, ubi calculi ad numerandum, et tabulam in quâ calculos ponerent. — *Octonis referentes Idibus æra :* Idus vocantur octonæ, quiâ intèr Nonas et Idus, octo dies intercedebant; octava, Iduum dies erat. Fenératores usuram vulgò exigebant Calendis, id est, primâ die cujusque mensis, àc rursùm Idibus, si essent avidiores. Iste Flavius exigebat stipendium Idibus. Quidam sic explicant : pecuniæ calculis putatæ rationem domo reportantes in scholam, quemadmodùm fuerat ipsis à magistro præscriptum, ità ut calculos referrent, seù accommodarent ad diem Iduum, id est, notarent quantùm fenoris pro certâ pecuniâ Idibus exigi posset. In quo carpit illorum centurionum avaritiam qui artes hujusmodi feneratorias à liberis suis unicè perdisci vellent. Ista expositio videtur obscura et parùm latina, *referre æra Idibus,* pro, revocare computationem summæ ad Idus, etc. JUVENC.

12. *Sèd puerum est ausus Romam portare :* Romam secum ducere. Notanda vis istius verbi; *est ausus ;* inerat enim illi quam dabat filio suo institutioni nobile quoddam æmulationis et *audaciæ* genus, cùm impensas suprà conditionem suam facere videretur, timendumque esset ne tanti sumptus in humile *præco-*

Ex re præberi sumptus mihi crederet illos.
Ipse mihi custos incorruptissimus omnes
Circàm doctores aderat. Quid multa? pudicum,
Qui primus virtutis honos, servavit ab omni
Non solùm facto, verùm opprobrio quoquè turpi.
Nèc timuit, sibi ne vitio quis verteret, olim
Si præco parvas, aut, ut fuit ipse coactor
Mercedes sequerer; neque ego essem questus. Ad hoc nùnc
Laus illi debetur, et à me gratia major.
Nil me pœniteat sanum patris hujus [13]; eòque
Non, ut magna dolo factum negat esse suo pars,
Quòd non ingenuos habeat clarosque parentes,
Sic me defendam. Longè mea discrepat istis
Et vox et ratio. Nàm si Natura juberet

nis coactorisve officium desinerent. — *Avitâ Ex re :* non solum paternâ, sèd jamdudùm, et à longâ majorum seric comparatâ. *Opprobrio quoque turpi:* ità pudicum, ut nullus extiterit qui vèl minimâ *exprobratione* famam castitatis meæ offenderet. — *Præco :* is est, qui leges ferendas, aùt edicta recitat in curiâ, in concione, etc., qui merces auctione constitutâ vendendas appellat, licitantibus addicit, etc. — *Coactor :* publicanorum administer, qui pecunias tributi nomine pensitari solitas minutatìm exigebat, colligebatque : *cogo* enìm interdùm significat idem atque *colligo :* vèl potiùs, accensus quidam, *an sergent*, qui rerum venditarum pretia intrà certum diem solvenda curabat, id quod Horatius vocat *mercedes sequi.* Maluit Horatii pater filio mores optimos quàm opimam hæreditatem relinquere. Itaque rem imminuere non dubitavit, ut eum diligentèr educatum haberet. Juvenc.

13. *Nil me pœniteat sanum patris hujus :* quamdiù ratione utar, nunquàm me obscuri, sèd excellentissimi patris pudebit. Eàdem loquendi formâ quâ suprà, Sat. V, 44: *Nil ego prætulerim jucundo sanus amico.* — *Eòque :* et ideò.—*Non, ut,* etc.: sìc construe : non me defendam ut magna pars hominum qui affirmant illud sinè suo dolo, h. e. sinè suâ culpâ, sinè suo vitio evenisse, quòd non ingenuos parentes habeant. — *Et vox et ratio :* loquendi et judicandi modus. — *A certis annis*

A certis annis ævum remeare peractum,
Atque alios legere ad fastum quoscumque parentes,
Optaret sibi quisque; meis contentus, honestos
Fascibus et sellis nôlim mihi sumere, demens
Judicio vulgi, sanus fortassè tuo, quòd
Nollem onus, haùd umquàm solitus, portare molestum.
Nàm mihi continuò major quærenda foret res [14],
Atque salutandi plures; ducendus et unus
Et comes alter, utì ne solus rusve peregrève
Exirem; plures calones atque caballi
Pascendi; ducenda petorrita. Nùnc mihi curto
Ire licet mulo, vèl, si libet, usquè Tarentum,
Mantica cui lumbos onere ulceret, atque eques armos.

ævum remeare peractum : non, *renasci,* ut plerique interpretantur, sèd ad illos annos retrò meare, quibus eligere fas est, v. g. ad decimum, ad duodecimum annum; qui enìm nondùm natus est, parentes suos eligere nonnisì absurdè diceretur. — *Ad fastum :* ad ostentationem. Heinsius putat legendum esse, *ad fastos,* et sìc interpretatur : « Si natura permitteret mihi ad » fastos ire, h. e. ad publicos » libros in quibus gentis cujus- » que nomina et insignia serva- » bantur, et ex iis ad arbitrium » parentes meos eligere, ego » meis contentus essem. » Cui lectioni, quam alinndè sensus et ratio confirmant, decsse omnium mss. fidem fateamur necesse est. — *Fascibus et sellis :* fasces et sellæ, majorum magistratuum insignia prærogativa. Notum quid fuerint *fasces;* sella erat subsellii genus quoddam, eburneis ornamentis decorati, in quo senatores, cùm Curia habebatur, sedebant, undè *sellæ curulis* nomen acceperat.

14. *Major res :* inquieta opes amplificandi cura. — *Salutandi plures :* suffragiorum vèl ambitionis causâ. — *Unus et alter comes :* honoris gratiâ, ad sustentandam nobilitatis meæ dignitatem. — *Calones :* viliorum servorum turba, quorum numerus importuna pars est divitiarum. — *Petorrita :* vehicula quatuor rotis insistentia, majoris luxûs indicium, è Galliâ in Italiam translata. Duæ tantùm rotæ romanis curribus erant. — *Curto mulo :* pusillæ staturæ, quique ideò minore sumptu ali potest. — *Tarentum :* urbs Italiæ extremæ, quâ Siciliam respicit. — *Mantica :* pernla coriacea quæ equo imponitur (gal-

Objiciet nemo sordes [15] mihi, quas tibi, Tillî,
Cùm Tiburte viâ prætorem quinque sequuntur
Te pueri, lasanum portantes œnophorumque.
Hoc [16] ego commodiùs, quàm tu, præclare senator,
Millibus atque aliis, vivo. Quàcumque libido est,
Incedo solus; percontor, quantî olus ac far;
Fallacem Circum, vespertinumque pererro
Sæpè forum; assisto divinis; indè domum me
Ad porri et ciceris refero laganique catinum.
Cœna ministratur pueris tribus [17]; et lapis albus
Pocula cum cyatho duo sustinet; adstat echino
Vilis cum paterâ guttus, Campana supellex.

licè, *une valise*). Simplex quidèm arguitur hìc itineris faciendi modus, sèd qui sufficiat.

15. *Sordes :* turpia vitia, arrogantiam, et impudentem lasciviam. — *Tillî :* idem ille est Tillius, de quo suprà, v. 24. — *Tiburte viâ :* quæ Tibur ducit, oppidum Romæ vicinum, quò tanto cum apparatu sese transferre, summæ erat impudentiæ. — *Lasanum :* vas alvo exonerandæ idoneum, matulam. — *Œnophorumque : vas vinarium.*

16. *Hoc :* sìc, eâ vitæ meæ moderatione. — *Percontor quantî olus ac far :* non solùm ad innocuam libidinem, sed etiàm ad domesticam utilitatem; quæ cura me privatum non dedecet. — *Fallacem Circum :* quià propè Circum institores, harioli, et id genus homines conveniebant, ad captandam plebeculæ credulitatem et pecuniam. — *Vespertinumque pererro Sæpè forum :* vespertina enìm hora deambulationis voluptati indulgere permittit, et in calidis regionibus imperat. — *Assisto divinis :* præstigiatoribus, scurris, iis qui artem *divinandi* profitentur. — *Ad porri et ciceris :* cœnæ suæ modestiam significat. — *Lagani :* laganum, placentæ genus, è similâ, melle et oleo recenti confectum (gallicè, *des beignets*).

17. *Pueris tribus :* à tribus servulis; opulentis civibus ingens servorum turba ministrabat, Horatio tres tantùm famuli; diversitatis morum et temporum ratio tenenda est. Nostrâ ætate, quicumque se à tribus famulis cœnantem circumdari diceret, modestiæ laudem non assequeretur. — *Adstat echino Vilis cum paterâ guttus :* echinus, animal exiguum, setis, instàr jaculorum aùt spinarum, acutis obsitum, quibus totum se involvit contràque morsus canum tue-

Deindè eo dormitum, non sollicitus, mihi quòd cras
Surgendum sit manè; obeundus Marsya, qui se
Vultum ferre negat Noviorum posse minoris.
Ad quartam jaceo [18]; pòst hanc vagor, aut ego lecto,
Aut scripto [19], quod me tacitum juvet; ungor olivo,
Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.

tur, corpus in orbem colligens. Hoc in loco vox eà significat vas quoddam cchini more rotundum, et in imo intumescens, culinæ aut mensæ usibus destinatum. Acron ait vas fuisse æneum aùt fictile, quo vèl calices, vèl manus abluerentur, pollubrum vulgò appellant (*un bassin à laver les mains*). Guttus verò, ampulla olearia, vèl unguentaria : ex quâ nempè liquor guttatìm funditur. Interdùm vas, quo aqua manibus datur : *une aiguière*. Juv. — *Obeundus Marsya :* Phryx quidam tibicen, et Satyrus, ut fabulis proditum est, qui cùm ausus esset Apollinem provocare, ab eo victus, et pelle nudatus fuit. Hujus Marsyæ statua visebatur in eâ fori parte quæ rostra attingebat, ubì constitui vadimonia et lites agitari solitæ; idcircò ibì posita, ut ejus aspectu et supplicio, improbi atque injusti litigatores, qui alios injuriâ vocarent in jus, deterrerentur. Hinc nomen ipsi loco factum. Id. — *Qui se Vultum ferre negat Noviorum posse minoris :* qui, quamvis vultu supplicii sui tormenta testetur, magis tamèn dolet quòd quotidiè videre cogatur minorem è fratribus Noviis, judicem corruptissimum, vèl, ut alii volunt, nequissimum feneratorem.

18. *Ad quartam jaceo :* usquè ad horam à sole orto quartam cubile meum servo. Hodiè quoque, horæ diurnæ in Italiâ à primâ ad vigesimam quartam uno eodemque tenore numerantur; et primam sol unoquoque die exoriens indicat, et dici vices sequitur. Sic, æstatis tempore, octavâ circitèr horâ matutinâ, hyemis verò, duodecimâ, qualem nos numeramus, surgebat è lecto Horatius.

19. *Lecto, scripto :* pèr inusitatam et non imitandam syncopen, pro, *lectito, scriptito;* quibus verbis, ut aiunt, frequentativis, indicat Noster se non uni aut legendi, aut scribendi generi vacare, sèd è quibusdam libris ad alios libros, de artis operibus conscribendis ad alia opera, proùt ipsi libido est, transvolare. — *Ungor olivo :* qui mos Romanis erat; puro autèm olivo ungebatur Horatius, non eo vili quòd Natta, vir nobilis et avarus, quem transeundo carpit, lucernis suis subducere credebatur. Oleum lampadibus inditum, vulgò crassum est et malè olens.

Ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum
Admonuit, fugio rabiosi tempora signi [20].
Pransus non avidè, quantùm interpellet inani
Ventre diem durare, domesticus otior. Hæc est
Vita solutorum miserâ ambitione gravique.
His me consolor, victurum suaviùs ac si
Quæstor avus, pater atque meus, patruusque fuisset.

20. *Fugio rabiosi tempora signi :* ardente sole meridiano qui eâ diei parte *acrior* est, et præsertìm, sæviente Caniculâ, æstum balneis tempero. — *Pransus non avidè :* ubì prandi moderatè et parcè, sèd tamèn quantùm sufficit ad impediendum quominùs inani ventre pèr totum diem maneam, et fame importunâ laborem, otiosus domi quiesco. *Interpellare* pro, *impedire,* sæpius à scriptoribus latinis usurpatum est. *Interpellato stupro magìs quàm cæde motus Appius.* TIT. Liv. III. — *His me consolor :* sic patientèr fero contumelias eorum qui, me ipso reverà miseriores, *me libertino patre natum, hominem ignobilem,* etc., appellant.

SATIRA SEPTIMA.

Describitur in satirâ sequenti ridicula intèr Rupilium quemdam Romanum, cognomine Regem, *et Persium coràm prætore contentio. Etiamsì ipsa satiræ materies tempus non argueret quo scripta fuit, illam intèr primas poetæ nostri elucubrationes et minùs laudandas reponi debere lectori attento nèc ad solum Horatii nomen respicienti facilè pateret. Nihil enìm in eâ reperiat, quod acuto et delicatè faceto Flacci ingenio dignum videatur, eamque meritâ animadversione Voltarius attigit, in* Candido, *cap. XXV.*

Proscriptus pòst necem Cæsaris ab Octavio, Rupilius ille ad Bruti partes confugerat, quibus addictum eo tempore fuisse quoquè Horatium, tribunique militaris munia parvâ militari laude, ut ipse fatetur, gessisse à nemine ignoratur. Nescio quid contumeliæ à Rupilio passus Noster, injuriam suam ulciscitur, utrumque tamèn litigatorem crassioribus salibus aspergendo.

Proscripti [1] Regis Rupilî pus atquè venenum
Hybrida quo pacto sit Persius ultus, opinor

1. *Proscripti :* v. *Argumentum.* — *Pus atque venenum :* mordacem Rupilii maledicentiam quam ipse fortassis expertus fuerat Horatius, verbis illis duris parùmque exquisitis notat. — *Hybrida :* patre græco et matre romanâ natus. *Hybrida,* vèl *hybris,* propriè appellatur sus imparibus prognata parentibus, altero fero, altero domestico; quæ tamèn appellatio cæteris animalibus, ut mulis, convenit, atque adeò ipsis hominibus qui è diversi generis, sanguinis, coloris, gentis deniquè parentibus editi sunt. Derivata videtur à voce græcâ ὕβρις, quæ, intèr multas alias contumelias, *adulterium* quoque significat. Illa autèm duorum parentum contrà naturæ vèl societatis leges mo-

Omnibus et lippis notum et tonsoribus esse.
Persius hic permagna negotia dives habebat [2]
Clazomenis, etiàm lites cum Rege molestas,
Durus homo, atque odio qui posset vincere Regem,
Confidens, tumidusque, adeò sermonis amari,
Sisennas, Barros ut equis præcurreret albis.
Ad Regem redeo. Postquàm nihil intèr utrumque
Convenit [3] (hoc etenìm sunt omnes jure molesti,

resve commixtio quamdam *adulterii* speciem refert. — *Omnibus et lippis notum et tonsoribus :* notissima quidèm tonsorum curiosa de rebus novis quarum narratione *clientes* suos delectent, investigatio; nèc minùs nota garrulitas quæ in proverbium venit, et uni è facetissimis Arabum fabularum (*les Mille et une nuits*) materiem præbuit. Sèd quid *lippis*, h. e. oculorum morbo laborantibus, quid, inquam, in hanc rem, cum tonsoribus? Lippi, si interpretibus creditur, quantò minùs oculis, tantò magìs auribus utuntur, uniusque organi damnum frequentiori alterius exercitatione compensant; omnia igitùr nova investigant, ut tempus quod vìdendo consumere nequeunt, saltèm audiendo terant. Ità sit, neque pèr me obstabit quin salvà Horatii famâ, infirmitatis corporeæ et artis mechanicæ adjunctio singularis sic explicetur. Scire tamèn velim nùm in poetâ minùs laudando laudaretur.

2. *Habebat :* alitèr legitur, *agebat.* — *Clazomenis :* Clazomenæ urbs erat Asiæ Minoris, ampla et dives, in eâ parte quæ Ionia Asiatica vocabatur. — *Cum Rege :* cum Rupilio, qui *Regis* cognomen acceperat. Vid. *Argumentum.* — *Odio :* sermonis acerbitate, dicacite importunâ, eodem sensu quo in *Hecyrâ* Terentianâ : *tundendo atque odio deniquè effecit.* — *Confidens :* audax, nemini parcens. — *Tumidus :* quìà *dives;* vide suprà. — *Sisennas, Barros :* de Barro, jàm in satiris præcedentibus actum est. Sisenna aculeo certè non carnit, qui, ut Dio refert cap. 54, de uxoris vitâ reprehensus, in senatu ausus fuerit dicere se illam et sciente et suadente Augusto Cæsare duxisse, notans principis cum eâ consuetudinem, quam nuptiis celatam vellet. — *Ut equis præcurreret albis :* ut longè superaret. Equi albi, omnium velocissimi reputabantur.

3. *Postquàm nihil intèr utrumque Convenit :* postquàm amicè litem suam componere nequiverunt. Longa deindè sequitur, et ultrà modum extensa parenthesis, novem versibus inclusa,

Quo fortes, quibus adversum bellum incidit. Intèr
Hectora Priamiden, animosum atque intèr Achillem
Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors,
Non aliam ob causam, nisì quòd virtus in utroque
Summa fuit. Duo si discordia vexet inertes,
Aùt si disparibus bellum incidat, ut Diomedi
Cum Lycio Glauco, discedat pigrior, ultrò
Muneribus missis). Bruto prætore tenente
Ditem Asiam [4], Rupilî et Persî par pugnat, uti non

quæ, procùl dubio, sermonis satirici naturæ repugnat. — *Hoc etenìm sunt omnes jure molesti Quo fortes :* nescio quid inesse intricati et subobscuri in his verbis, *molesti*, h. e. acres et pugnaces litigatores, *sunt hoc jure*, h. e., eodem jure utuntur, eâdem ratione se gerunt ac *fortes*, subaud. *duces*, qui alter alteri nolunt cedere; quis bonâ fide negaverit? Qui talibus nebulis non offenduntur, prorsùs indigni sunt quibus verè pulchra et splendìda placeant. — *Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors :* ità accensa, ut solâ alterutrius morte extingui posset. Fateor iterùm mihi neque, *mortem quæ iram dividit*, neque, *mortem ultimam* approbari posse, quamvìs aliundè sensus liqueat. — *Duo inertes :* duos viros ignavos, qui tàm facilè placantur quàm irascuntur, cùm uterque rixæ eventum æquè reformidet. *Duo*, pro *duos*, ut in Virgil. Æneid. XI, 285 : *Si duo prætereà tales Idæa tulisset Terra viros.* — *Aùt si disparibus bellum incidat :* aùt si intèr duos viros certamen ineatur, quorum alter altero sit fortior. — *Ut Diomedi Cum Lycio Glauco :* Glaucus, regis Lyciorum filius, cùm Trojanis auxiliator venisset, commisso prælio, in Diomedem incidit, fortissimum intèr Græcos bellatorem; cujus aspectu ità territus est, ut de pace statìm egerit, ac Diomedi arma sua aurea, sumptis illius æreis, dono dederit. Vide Iliad. VI. — *Discedat pigrior :* amborum ignavior ampliùs non contendet, *missisque ultrò Muneribus*, pacem mercabitur, vitamque redimet. Non ità Rupilius et Persius, ejusdem constantiæ litigatores, et ad Hectoris Achillisque exemplum, sibi invicèm cedere nescii. Hic tandem explicit molesta parenthesis.

4. *Bruto prætore tenente Ditem Asiam :* M. Brutus et C. Cassius, eo anno quo Cæsarem occiderunt, prætoriam dignitatem exercebant. Latâ in Cæsaris interfectores lege, discesserunt

Compositus meliùs cum Bitho Bacchius; in jus
Acres procurrunt, magnum spectaculum uterque.
Persius exponit causam; ridetur ab omni
Conventu; laudat Brutum, laudatque cohortem [5];
Solem Asiæ Brutum appellat, stellasque salubres
Appellat comites, excepto Rege; Canem illum,
Invisum agricolis sidus, venisse. Ruebat
Flumen ut hibernum, fertur quò rara securis [6].

in provincias sibi attributas Cretam et Bithyniam. Posteà Brutus Macedoniam obtinere jussus à senatu, in Asiam ad contrahenda undiquè auxilia profectus est. JUVENC. — *Cum Bitho Bacchius :* Bithus et Bacchius famosi erant tùnc temporis gladiatores, corporis viribus et artis suæ scientiâ pares. — *Procurrunt :* exquisitè; tanquàm gladiatores in arenam, capite elato, sibi mutuò minitantes. — *Magnum spectaculum uterque :* cùm nihil solitorum clientium ad quos audiendos aliquandò concurritur Persius et Rupilius haberent, sèd vultu, gestu, irâ toto corporis habitu prominente, ridiculum, ore nondùm aperto, *spectaculum* præberent.

5. *Laudatque cohortem :* exercitum quem adversùs Octavium Brutus conscripserat. — *Solem Asiæ :* hyperbolico præconio quod risum conventui movere reverâ debuit. — *Stellasque salubres Appellat comites :* non minùs vulgari, non minùs inficetâ comparatione. Ad hunc locum allusisse Racinium crediderim in fabulâ cui titulus, *les Plaideurs*, cùm perridiculum quoque causarum patronum introducit, inferioris Normanniæ prætori eâdem metaphorâ adulantem: *Oui, devant ce Caton de Basse-Normandie, Ce soleil d'équité qui n'est jamais terni.* Act. III, scen. 3. — *Canem illum :* subaudi, *clamat.* Dicit illum Rupilium venisse, Cani cœlesti, alitèr Sirio, similem, astro exitiali et agricolis inviso, de quo Virgil. Æneid. X, 274 : *Ille sitim morbosque ferens mortalibus ægris Nascitur.*

6. *Fertur quò rara securis :* has voces sensu facili et obvio carere demonstrant variæ annotatorum interpretationes. Quid, *flumen quò fertur securis?* in silvas, non in flumina securim vulgò lignatores ferunt. Intelligunt igitùr nonnulli silvas torrenti rapidissimo vicinas, quas illi adire, ad exscindendas arbores, non audent, ne fortè cum arboribus aquarum impetu abripiantur. Alii supponunt lignatores à tali vicinià abstinere non metu, sèd quià omnes arbores

Tùm Prænestinus [7] salso multùmque fluenti
Expressa arbusto regerit convicia, durus
Vindemiator, et invictus, cui sæpè viator
Cessisset, magnâ compellans voce cucullum.

ripis insitæ ab ipso fluminis cursu auferuntur, nihilque eorum securi agendum relinquunt. Alii de locorum difficultate interpretantur, quæ abrupta et invia violento undarum decursu facta sunt, ad quæ igitùr accedere non ligunatoribus magìs quàm cuilibet alii viatori fas est. Dacierius denique credit hìc alludi ad fabulam liguatoris Æsopiani, cujus securis in aquam imprudentèr decidit. Ex variis illis interpretationibus illud unum erui potest, vèl textum adulteratum fuisse, vèl locum citatum intèr mendas annumerandum esse quibus satiram hanc scatere profiteri non dubitavimus.

7. *Tùm Prænestinus :* Rupilius, Præneste natus, quæ est urbs Italiæ. — *Salso multùmque fluenti Expressa arbusto regerit convicia :* locus loco præcedenti longè obscurior; neque de sensu, neque de ipsâ verborum structurâ intèr interpretes convenit, cùm nonnulli has voces, *salso multùmque fluenti,* ad Persium referant, h. e. amaras contumelias largè profundenti, et, pèr *convicia arbusto expressa,* intelligant, convicia expressa quasì è vite viridi et acerbâ, quamvìs in eâ voce, *arbusto,* nihil aut vitem aut vitis viriditatem naturali et verè latino sensu significare videatur. Multò meliùs, sèd non ità ut plenè satisfaciat Juvencius, qui, *salso multùmque fluenti* cum *arbusto* jungit, et sìc interpretatur : Persius regerit, h. e. reddit Rupilio convicia et probra longè amarissima, et hausta e pectore maledico, quasì omphacium (*du verjus*). *Expressum ex arbusto salso,* h. e. è vite acerbâ, *et multùm fluenti,* et largum liquorem effundente. Vitis enìm propriè *multùm fluere* dicitur, ex quâ copiosus liquor exit, teste Virgilio, Georg. II, 100 : *Aùt tantùm fluere, aùt totidèm durare pèr annos.* Dura certè et quæ nonnihil desiderandum relinquat, multò tamèn rectior interpretatio. — *Durus Vindemiator et invictus :* allegoria, qualiscumque sit, sustinetur. Similem se præstat vindemiatori molesto et pertinaci, qui viatores conviciis suis appetitos et alia regerentes silere tamèn cogit, et victos recedere. Nota ad mensuram versûs, vocem hanc, *vindemiator,* cujus secunda syllaba producitur, sìc legendam esse, *vindemjator,* mutatâ vocali *i* in consonantem *j.* — *Magnâ compellans voce cucullum :* hæc avis fertur ova sua alieno nido imponere. Ea-

At Græcus, postquàm est Italo perfusus aceto [8],
Persius exclamat : « Pèr magnos, Brute, Deos te
» Oro, qui reges consuêris tollere, cùr non
» Hunc Regem jugulas? operum hoc, mihi crede, tuorum est. »[35]

dem non nisi adulto et vergente in æstatem verè canit : undè factum est, inquit Plinius, ut vinitoribus, vitem serò putantibus, *cuculli* nomine iterato, desidia exprobretur.

8. *Italo aceto :* continuatio est superioris metaphoræ; at Persius, homo *græcus*, saltèm paterno genere, ubì se amaris Rupilii, hominis *Itali*, conviciis omni *aceto* acrioribus prolutum vidit. — *Qui reges consuéris tollere :* Junius Brutus Tarquinio, rege Romanorum septimo, exacto, consul primus factus est. Ab eo ducebat originem Marcus Brutus, qui Cæsarem regnum affectantem occiderat, ità ut regicidium in istius familiæ consuetudinem, transiisse videretur. *Consuéris* per syncopen pro, *consueveris.* — *Cùr non Hunc Regem jugulas?* ludit frigidissimè Persius in hoc *Regis* cognomentum quod Rupilius acceperat. Unum est ex inficetis istis dicteriis quæ à Gallis *calembourgs* nominantur.

SATIRA OCTAVA.

Priapum, cujus, ut in omnibus, sic et in Exquilinis hortis à Mæcenate conditis lignea stabat effigies, querentem fingit Horatius de Canidiâ et Saganâ, mulieribus veneficis, quas jàm pluriès in Epodis notari et exagitari vidimus. Deus hortorum custos suum sacellum ab infamibus illis feminis violari indignatus, unum è nocturnis earum sacris evulgat, narratque quàm facetè impias cærimonias turbaverit et ultus fuerit. Verisimile est satiram sequentem editam fuisse antè recantatam in Epod. XVII palinodiam, et huic alludere respondentem Horatio Canidiam in his versibus :

Et Exquilinî pontifex veneficî
Impunè ut Urbem nomine implêris meo!

Olìm truncus eram ficulnus [1], inutile lignum,
Cùm faber, incertus scamnum faceretne Priapum,

1. *Truncus eram ficulnus :* rectè *truncus;* ficus enìm, ramis deficientibus, prorsùs *inutile lignum* est, arbor fragilis et tenera, neque foco neque torno idonea, ad nullum usum domesticum accommodata. — *Cùm faber, incertus scamnum faceretne Priapum :* Priapus, Bacchi et Veneris filius, Lampsaci in Hellesponto natus, generationi præerat, ad fœcunditatem invocabatur, ejusque nomen, ut satìs notum est, partes viri pudendæ acceperant. Ipsi quoque hortorum custodia commissa erat, quorum, præ exquisitâ culturâ, uber vulgò fertilius, et ad omnia generanda aptius. Cultûs ejus obscenitas non magnam istius generis deo reverentiam conciliare debebat, undè facetissimè faber hìc effingitur dubius àn scamnum, àn Priapum ex illo trunco ficulno faceret, quasì ejusdem ferè pretii instrumenta. Nostrum imitatus est Fontanius, in initio fa-

Maluit esse Deum. Deus indè ego, furum aviumque
Maxima formido. Nàm fures dextra coercet [2],
Obscenoque ruber porrectus ab inguine palus;
Ast importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa, vetatque novis considere in hortis.
Hùc priùs angustis ejecta cadavera cellis [3]
Conservus vili portanda locabat in arcâ.
Hoc miseræ plebi stabat commune sepulcrum,
Pantolabo scurræ, Nomentanoque nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum

bulæ cui titulus : *Le statuaire et la statue de Jupiter,* lib. IX, fab. 6 : *Qu'en fera, dit-il, mon ciseau ? Sera-t-il dieu, table ou cuvette ? Il sera dieu.*

2. *Nàm fures dextra coercet :* falce ligneâ quam manu gerebat, quâque furibus mortem intentare videbatur. — *Obscenoque ruber porrectus ab inguine palus :* penis, qui colore rubro ad distinguendam insigniorem istius dei partem et ad alliciendos oculos imbuebatur, vèl cujus glandis summitas, ad imitationem naturæ ridiculum illud ornamentum accipiebat. — *Novis hortis :* nupèr à Mæcenate factis, qui partem Exquiliarum emit, repurgavit, et sepulcretum in hortos mutavit magnificos.

3. *Angustis ejecta cadavera cellis :* cadavera pauperum qui, dùm viverent, angusta conclavia habitabant, è quibus pòst mortem sinè honore efferebantur, et quasì *ejiciebantur.* — *Vili in arcâ :* in vili feretro. — *Locabat :* vespillonibus portanda certo dabat pretio. — *Pantolabo scurræ Nomentanoque nepoti :* Mallium Pantolabum, et Cassium Nomentanum numerat in miserâ et egenti plebe, quià fortunas omnes suas ità dilapidaverant, et avaro ventri donaverant, ut ne tumuli quidèm privati ac proprii copia ipsis facultasque supperet. Juvenc. — *Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum :* erat cippus, id est lapis, erectus in agri limite, in quo scriptum erat mille agri pedes datos esse (nempè ab aliquo cive, qui hoc sepulcrum egenæ plebi testamento reliquerat) in fronte, id est, in eâ parte agri, quæ viam tangebat; alios trecentos in agrum, id est, in agri longitudinem, et amplitudinem camporum extensos. Ideò cippus erat positus, ut hæredes hoc sepulcretum intelligerent ad se non pertinere; ut esset divulsum et exceptum ab reliquâ hæreditate. Quandò locum aliquem, vèl rem aliam, publicè legabant,

Hic dabat; hæredes monumentum ne sequeretur.
Nùnc licet Exquiliis habitare salubribus, atque
Aggere in aprico [4] spatiari, quò modò tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum.
Cùm mihi non tantùm furesque [5] feræque, suetæ
Hunc vexare locum, curæ sunt atque labori,
Quantùm, carminibus quæ versant atque venenis
Humanos animos. Has nullo perdere possum,
Nèc prohibere modo, simùl ac vaga luna decorum
Protulit os, quìn ossa legant herbasque nocentes.
Vidi egomet nigrâ succinctam [6] vadere pallâ

sempèr addebant hæc verba : *Hoc hæredes non sequitur;* et istis compendiariis notis utebantur, *H. H. N. S.*

4. *Aggere in aprico :* locus erat editus, in quo igitùr ad deambulationis commoditatem multùm terræ *aggerendum* fuerat. Erant horti ex eorum genere quos gallicè dicimus, *jardins en terrasse*, quales Meudonios, San-Germanos, San-Clodoaldios hodiè admiramur. — *Quò, modò :* in eodem loco nbì recentèr. — *Tristes :* subaudi *cives.*

5. *Cùm mihi non tantùm fures :* ea conjunctio vox, *cùm*, idem hìc valet ac, *quamvìs*, quanquàm. Sensus est : ex illâ cæteris tàm gratâ loci illius mutatione nihil lucratus sum, cùm fures feræque à quibus vexari solebat mihi sempèr aliquam curam injiciant, minorem tamèn quàm mulieres illæ veneficæ quæ, etc. — *Versant :* agitant, torquent. — *Quas nullo perdere possum modo :* quæ tàm rugosæ, tàm turpes deformesque sunt, ut illas eâ pœnâ afficere nequeam, quam furibus applicare soleo. Stuprum enìm illis inferre, mercedis, non pœnæ loco esset, et sìc eas ad reditum hortarer. Sìc in Priapeiis, 51 : *Nimirùm apertam convolatis ad pœnam, Et vos hoc ipsum quod minamur invitat.* — *Simùl ac vaga luna decorum Protulit os :* hæc veneficiis et sacris magicis, noctu fieri solitis, præesse credebatur. Vagam appellat, quià circulum suum magnâ celeritate describit, et ab eo undè pridiè orta est loco, multùm hodiè, cùm oritur, discedit, aberratque; tùm extrà eclipticam evagatur. Juvenc. — *Quìn ossa legant :* quamvìs hunc locum purgari Mæcenas jussisset, fieri tamèn non potuit quìn multa ossa altiùs infossa remansissent, eaque ab istis veneficis legebantur.

6. *Succinctam :* ut expeditiùs

Canidiam, pedibus nudis, passoque capillo,
Cum Saganâ majore ululantem; pallor utrasque
Fecerat horrendas adspectu. Scalpere terram
Unguibus, et pullam divellere mordicùs agnam
Cœperunt; cruor in fossam confusus, ut indè
Manes elicerent, animas responsa daturas.
Lanea et effigies erat, alterà cerea; major
Lanea, quæ pœnis compesceret inferiorem 7.
Cerea supplicitèr stabat, servilibus, ut quæ
Jàm peritura, modis. Hecaten vocat altera, sævam
Altera Tisiphonen; serpentes atque videres
Infernas errare canes, lunamque rubentem,

ageret, velutì de Saganâ loquitur suprà Epod. V, 25 : *At expedita Sagana per totam domum Spargens Avernales aquas.* — *Cum Saganâ majore :* hìnc apparet duas fuisse Saganas, alteram alterâ majorem, h. e. seniorem. — *Scalpere terram Unguibus :* ad serobem effodiendam, quæ pars erat magicorum sacrorum necessaria, ut videre est apùd Homerum, Odyss. XI, cùm Ulysses fossam aperit, Tiresiæ manes mòx evocaturus. — *Pullam divellere mordicùs agnam :* ad designandam venificarum istarum crudelitatem. Gladio enìm victimæ in aliis cærimoniis magicis feriebantur. — *Cruor in fossam confusus :* cruor agnæ discerptæ in fossam fusus est, ut, etc. Idem fit apùd Homerum, loco citato, et eâdem de causâ.

7. *Lanea, quæ pœnis compesceret inferiorem :* puniret, ulcisceretur, torqueret ceream imaginem. Solent magi et venefici ejusmodi è cerâ, vel lanâ, imagines condere, et in illis ea experiri omnia, quæ vivis hominibus quorum sunt illæ imagines, volunt evenire : v. g. cùm urunt ejusmodi imaginem, uritur homo, etc. Ità Ovidius de Medeâ in epist. Hypsipyles ad Jasonem : *Devovet absentes, simulacraque cerea figit, Et miserum tenues in jecur urget acus;* v. 91, 92. — *Cerea supplicitèr stabat, servilibus ut quæ Jàm peritura modis :* supplicis in morem, ac servili patientiâ lethalem ab imagine laneâ victrici ictum exspectans. Vide quoque in Henriad. cant. V, ejusdem generis ritus magicos à Sexdecim viris contrà Valesium Borboniumque adhibitos. — *Hecaten :* unum è Dianæ sivè Lunæ cognominibus. Vide suprà notas in Epod. V, 51. — *Tisipho-*

Ne foret his testis, pòst magna latere sepulcra [8].
Mentior at si quid, merdis caput inquiner albis
Corvorum, atque in me veniat mictum atque cacatum
Julius et fragilis Pediatia, furque Voranus.
Singula quid memorem? Quo pacto alterna loquentes
Umbræ cum Saganâ resonarent triste et acutum [9]?
Utque lupi barbam variæ cum dente colubræ
Abdiderint furtìm terris; et imagine cereâ
Largior arserit ignis; et ut non testis inultus

nen : unam è tribus Furiis quæ cædes ulciscitur, à vocibus græcis, τίω, *punio*, et φονὸς, *cædes*.

8. *Lunamque rubentem, Ne foret his testis, pòst magna latere sepulcra :* hunc locum expressit in cædis San-Bartholomeæ descriptione Voltarius, Henr. cant. II : *De ce mois malheureux l'inégale courrière Semblait cacher d'effroi sa tremblante lumière.* — *Mentior at si quid, merdis caput inquiner albis Corvorum :* fixa in vertice Priapi arundo, ut suprà vidimus v. 6, et antè omnia veneranda augustissimi dei majestas, *importunas volucres arcebant*, vetabantque ne talem injuriam, delicatissimis tantoque deo dignis vocibus expressam experiretur. Hìc, ad fidem sibi conciliandam, metuendo sacramento numinis sui quasì prærogativam abnuit, et, quamvìs furibus quoque terror addictus, non minùs nobilem iis adversùs se concedit licentiam. — *Fragilis Pediatia :* volunt interpretes equitem fuisse Romanum, qui absumto patrimonio sese ipse prostituerat. Benè igitùr Flaccus noster muliebri eum nomine appellat. Sèd et *fragilis* epithetum ei probè convenit, à frangendo scilicèt : *frangere* autèm, et *dividere*, et *præcidere*, intèr obscena sunt. *Fragilis* ergò est mollis qui muliebria patitur.

9. *Resonarent triste et acutum :* tribuitur vulgò Umbris vox gracilis et ideò acuta, nescio quid tamèn funerei soni referens; *Pars tollere vocem Exiguam*, Virg. Æn. VI, 492. — *Lupi barbam :* pilos rostro lupi eminentes, qui veneficiis inserviebant. Rostrum autèm ipsum veneficiis resistere, et ideò villarum portis affigi Plinius asserit XXVIII, 10. — *Variæ colubræ :* maculis distinctæ. — *Cereâ :* dissyllabus, contractis, ut plerùmque, duabus vocalibus *e* et *a*. *Aureâ composuit spondâ;* Virg. Æn. I, 702, et passìm. — *Largior arserit ignis :* sponte suâ, ut in illo Virgil. Eclog. VIII, 105 : *Aspice, corripuit tremulis altaria flammis, Sponte suâ, dùm*

Horruerim voces Furiarum et facta duarum? 43
Nàm, displosa sonat quantùm vesica [10], pepedi
Diffissâ nate ficus; at illæ currere in urbem.
Canidiæ dentes, altum Saganæ caliendrum
Excidere, atque herbas, atque incantata lacertis
Vincula, cum magno risu que jocoque videres. 50

ferre moror, cinis ipse. — *Furiarum :* Canidiæ et Saganæ.

10. *Displosa sonat quantùm vesica :* talem sonum, ego ficus, hoc est ficulnus deus, fractâ et discissâ corporis mei parte posteriore edidi, qualem emittere solet vesica, è quâ ventus sivè aer compressus, non sinè magno fragore, exploditur. — *Canidiæ dentes, altum Saganæ caliendrum :* nihil fingi potest venustius, quàm binas nobilissimas veneficas, nihil non ab arte suâ sibi pollicentes, uno Priapi peditu exterritas sic aufugisse, ut alteri dentes, alteri crines etiam exciderint, quibus appositiiis (ut vetulæ solent) utebantur. Sic enim *caliendrum* exponunt antiqui interpretes. Torrent. Addendum est caliendrum appellari *altum*, quià, cùm verorum capillorum formam imitaretur, coma illa, minimè nativa, in modum turriculæ, seù racemi in acumen desinentis, suprà frontem eminere debuit. — *Lacertis :* junge cum, *excidere; excidere lacertis vincula incantata* (gallicè, *des bracelets enchantés*). Alii intelligunt, tænias quibus devincire hominum mentes tentabant, dùm iisdem imagines suis artibus devotas circumdarent.

SATIRA NONA.

Facetè describit Horatius importunam garruli cujusdam loquacitatem in quem fortè inciderat; narratque quo felici eventu ab illo homine jactabundè quædam, nonnulla impudentèr, omnia stultè deblateranti propè enectus, tandèm sese explicuerit.

Ibam fortè viâ sacrâ [1], sicùt meus est mos,
Nescio quid meditans nugarum, totus in illis;
Accurrit quidam, notus mihi nomine tantùm,
Arreptâque manu [2] : « Quid agis, dulcissime rerum ? »

1. *Viâ sacrâ :* sacram hinc dictam fuisse vult Dionysius, quòd certis sacris et cæremoniis fœdus intèr se in eâ fecerint Tatius, rex Sabinorum, et Romulus; Varro, quòd per eam sacra quotquòt mensibus ferrentur in Capitolium. Initium ejus viæ in Carinis erat; indè juxtà montem Palatinum ad templum Jovis Statoris producebatur. Juvenc. *Sicùt meus est mos :* hæc verba cum sequentibus conjungenda sunt; *de more nugas meditans nescio quas. — Totus in illis :* undè nugas illas quæ Horatium totum occupabant nihil aliud fuisse quàm materiem carminis alicujus mòx tractandi facilè concluderes.

2. *Arreptâque manu :* primùm importunæ temeritatis indicium, ab eo qui *nomine tantùm* Horatio *notus* erat. Sic in tertiâ Bolæi satirâ, de viro illo insulso qui eum ad cœnam provocat : *Mais hier il m'aborde, et me serrant la main. — Quid agis, dulcissime rerum?* dupliceum constructionem hæc verba admittunt; vèl, *Quid rerum agis, dulcissime?* vèl, *Quid agis,* ò tu, *rerum omnium,* intèr res omnes, mihi *dulcissime?* ò tu quem rebus omnibus antepono. Huic posteriori interpretationi favent ex aliis poetis deprompta exempla; in Ov. *de Arte Amandi,* I, 213 : *Ergò erit illa dies quâ tu, pulcherrime rerum* (de Augusto loquitur), *Quattuor in niveis aureus ibis equis;* et in epistolâ Phædræ ad Hippolytum, Heroid. IV, 125; *O! uti-*

« Suavitèr, ut nùnc est, inquam; et cupio omnia quæ vis[3]. »
Cùm assectaretur : « Nùm quid vis? » occupo; at ille,
« Nôris nos, inquit; docti sumus[4]. » Hic ego : « Plurìs
» Hoc, inquam, mihi eris. » Miserè[5] discedere quærens,
Ire modò ociùs, interdùm consistere, in aurem
Dicere nescio quid puero. Cùm sudor ad imos
Manaret talos : « O te, Bolane, cerebri
» Felicem! » aiebam tacitus. Cùm quidlibet ille
Garriret, vicos, urbem laudaret, ut illi

nàm nocitura tibi, pulcherrime rerum, In medio visu viscera rupta forent?

3. *Suavitèr, ut nùnc est, inquam, et cupio omnia quæ vis :* formula respondendi et salutandi honorifica; gallicè diceremus : *Fort bien, pour le moment, et tout entier à votre service.* — *Cùm assectaretur :* cùm se mihi viæ comitem adjungeret. — *Nùm quid vis? occupo :* prior, inquit Horatius, hominem alloquor, eum interrogando nùm aliquid officii à me expetat. Altera est formula, ab iis usitata qui importunum quempiam honestè monere volunt ut abeat.

4. *Nôris nos, docti sumus :* plurale illud, *nos, docti sumus*, arrogantem hominis stultitiam arguit, qui se doctrinæ famâ apùd nobilissimum poetam commendat, ità ut se à tali viro ignorari posse omninò diffidat. — *Hic ego :* tùm ego : *hoc*, eo nomine, ob tuam scientiam, *pluris mihi eris;* te plurìs facio.

5. *Misere :* anxiè, vehementèr. — *Ire modò ociùs :* graphicè hìc describit Noster, ad quàm varias artes confugiat, ut importunum asseclam fugare possit. — *O te, Bollane, cerebri Felicem!* hunc *Bollanum* ὀξύχολον fuisse volunt interpretes, iracundum, apertum, qui nullas ferret molestias; et si in garrulum aliquem incidisset, occasionem extemplò abrumpens, molestiam exenteret. Horatius verò quamquàm et ipse irasci facilis, magìs tamèn sese hominum moribus accommodabat, naturâ verecundior. *Felicem* igitùr *cerebri* vocat *Bollanum*, cui, quòd cerebrosus sit, tàm felicitèr cedat, ut à garrulis liberetur. Ità Turnebus. Cruquius *felicem cerebri* dici credit, βραδύχολον, ad iram tardum, tolerantem loquacitatis : hoc enìm est fortis animi et modesti, patientèr audire et pro tempore dissimulare. In Cruquii sententiam faciliùs descenderem; patientiam enìm vulgò optant potiùs quàm acerbitatem qui se ab istius modi hominibus, aliun-

Nil respondebam [6] : « Miserè cupis, inquit, abire,
» Jamdudùm video. Sed nil agis; usquè tenebo,
» Persequar. Hìnc quò nùnc iter est tibi?» — « Nil opus est te
» Circumagi; quemdam volo visere, non tibi notum;
» Trans Tiberim longè cubat is, propè Cæsaris hortos. » —
« Nil habeo quod agam, et non sum piger; usquè sequar te. »
Demitto auriculas [7], ut iniquæ mentis asellus,
Cùm gravius dorso subiit onus. Incipit ille :
« Si benè me novi [8], non Viscum plurìs amicum,
» Non Varium facies. Nàm quis me scribere plures

dè minimè malis, vexari dolent; undè gallicum proverbium *Il faudrait avoir la patience d'un saint.* Porrò, *cerebri felix*, per hellenismum, ut, *integer vitæ.*

6. *Ut illi Nil respondebam :* simùl ac me nullum responsum ex industriâ reddere animadvertit. — *Miserè cupis :* eodem ferè sensu, quo suprà; anxiè, vehementèr cupis. — *Nil agis :* operam et oleum perdis. — *Nil opus est te Circumagi :* verba sunt Horatii; noli, quæso, inutilem curam impendere et hùc illùc frustrà circumcursare mecum. — *Propè Cæsaris hortos :* erant illi horti ultrà Tiberim, in eâ Urbis parte quæ hodiè *Trastevere* nuncupatur, populo Romano à Julio Cæsare per testamentum donati. — *Nil habeo quod agam :* nihil facetum magis quàm tenax illa pertinacia, cui ad omnia quibus vinci deberet, parata semper est et obvia responsio. *Durum! sed levius fit patientiâ Quidquid corrigere est nefas.*

7. *Demitto auriculas :* jucundissimâ metaphorâ sese comparat Noster asino, qui *iniquâ mente*, id est, ægrè ac dolens gravioris sarcinæ pondus sustinere cogitur. Quantùm reverâ oneris misero Horatio impendet! Porrò, teste Plinio, XI, 37, in omni jumentorum genere, fessis marcidæ, ægris aures resolutæ, h. e. demissæ sunt. Quanquàm igitùr soli homini aures immobiles, sumptâ tamèn à brutis translatione, eas ipsi quoque homines arrigere et demittere dicuntur. Quod quidèm in nostram linguam transiit : *Il baisse l'oreille, il a l'oreille basse.*

8. *Si benè me novi :* quid isto homine insolentius, qui se Visco et Vario, poetis hujusce ætatis nobilibus, parem facit? De Vario et de Visco in sequenti satirâ nova mentio fiet. — *Quis me scribere plures Aut citiùs possit versus?* egregia sanè apùd

« Aut citiùs possit versus? quis membra movere
» Mollius? Invideat quod et Hermogenes, ego canto. »
Interpellandi locus hìc erat [9] : « Est tibi mater,
» Cognati, quìs te salvo est opus?»—« Haùd mihi quisquam;
» Omnes composui. » — Felices [10]! nùnc ego resto;
Confice; nàmque instat fatum mihi triste, Sabella
Quod puero cecinit, divina motâ anus urnâ :
« Hunc neque dira venena, nèc hosticus auferet ensis,
» Nèc laterum dolor, aut tussis, nèc tarda podagra;
» Garrulus hunc quandò consumet cùmque. Loquaces,
» Si sapiat, vitet, simùl atque adoleverit ætas. »
Ventum erat ad Vestæ [11], quartâ jàm parte diei

Horatium commendatio! Vid. suprà, de Lucilio et de Crispino, sat. IV, v. 9 et seq. — *Quis membra movere Mollìùs?* poeta, saltator, cantor, quid plura? Chrysologum illum refert quem satìs aculeato epigrammate punxit J.-B. Russæus : *Chrysologue est tout et n'est rien.*

9. *Interpellandi locus hìc erat :* è vanis illis laudibus quas sibi garrulus arrogabat occasionem interrumpendæ ejus molestiæ avidè rapit Horatius, quasì plenam iis fidem addens. — *Est tibi mater, Cognati, quìs te salvo est opus?* quasi innueret : « Tu, tot et tantis dotibus præditus, cave, precor, ne, me sequendo, pretiosam matri et cognatis tuis valetudinem longiori ambulatione infirmes. » — *Haùd mihi quisquam:* subaud., *superest.* — *Omnes composui :* in feretro, vèl in rogo. Propria vox est exsequiarum.

10. *Felices!* hoc et quæ sequuntur submissâ voce ab Horatio mussitari admittendum est. — *Sabella anus :* anus sortilega et divinandi perita, è Sabellorum aut Sabinorum regione oriunda. — *Puero :* subaud. *mihi.* — *Motâ urnâ :* postquàm anus illa agitasset urnam fatidicam, in quam sortes conjecerat, quibus eductis, divinaret futura et prædiceret. — *Hunc neque dira venena :* per amœnissimam partium enumerationem Horatii sententia lepidè evolvitur. Crederes, eum à vulgaribus lethi causis immunem, ad senectam provectissimam perventurum; crederes, ut ità dicam, immortalem. Sed pesti cæteris omnibus infestiori devotus est à Fato; *garrulus* eum *quandò consumet cùmque,* per tmesim; *quandocùmque consumet,* h. e. aliquandò occidet. Diem jàm fatalem attigit.

11. *Ventum erat ad Vestæ :*

Præteritâ, et casu tùnc respondere vadato
Debebat, quod ni fecisset, perdere litem. —
Si me amas [12]; inquit, paulùm hìc ades. — Interea si
Aut valeo stare, aut novi civilia jura;
Et propero quò scis.—Dubius sum, quid faciam, inquit,
Tene relinquam, àn rem [13]?—Me, sodes.—Non faciam, ille;
Et præcedere cœpit. Ego, ut contendere durum
Cum victore, sequor. — Mæcenas quomodò tecum [14]?
Hìnc repetit.—Paucorum hominum, et mentis benè sanæ.
— Nemo dexteriùs fortunâ est usus. Haberes

subaud. *ædem*, quæ stabat in foro romano. — *Quartâ jàm parte diei Præteritâ :* circà horam decimam matutinam. — *Casu :* fortè. — *Respondere vadato : vadari* aliquem, est propriè aliquem cogere ut *vades* præbeat (gallicè, *donner des cautions*) quorum sub fide, quorum periculo polliceatur se, die præfixo, coràm magistratu constituturum esse. Quòd si die dato non compareret, litem perdebat, litisque causam solvere *vades* tenebantur. *Vadatus* igitùr est actor sivè petitor in re civili; est accusator in re capitali; *Tot vadibus accusator vadatus est reum*, Tit.-Liv. III, 13.

12. *Si me amas :* hæc vocula, *me*, non eliditur, et ob vocalem sequentem fit brevis. — *Paulùm hìc ades : ades*, pro, *adsis*. Mecum in jus veni, tuâ saltèm præsentiâ meam causam adjuturus. — *Aut valeo stare :* stabant cives, nunquàm sedebant coràm prætore. Pedum igitùr infirmitate, dein ignorantiâ juris sese excusat Horatius. — *Quò scis :* ad hortos Cæsaris.

13. *Tene relinquam ?* nihìl miri in hâc hominis nostri dubitatione, qui invitus prætorem adibat, quemque infrà ab adversario suo per vim protractum videbimus. Major aliundè ei cura inerat, cum ab Horatio offerri Mæcenati, docti cujuslibet, qualem iste se professus est, patrono cuperet. — *Sodes :* vox blandientis et rogantis quidpiam, composita è *si* et *audes* (*de grâce, s'il vous plaît*).—*Cum victore :* cum homine ità pertinaci, ut ipsius obstinata voluntas superari nullo modo possit.

14. *Quomodò tecum?* subaud. *agit, vivit.* — *Hinc repetit :* ab isto exordio sermonem intermissum resumit. — *Paucorum hominum :* responsio est Horatii, quâ imprudenti petitioni quam prævidet obviàm ire conatur. Paucis confidit Mæcenas, paucos familiares admittit. — *Nemo dexteriùs fortunâ est usus :* sunt qui hæc verba ab

Magnum adjutorem [15], posset qui ferre secundas,
Hunc hominem velles si tradere; dispeream, nì
Summôsses omnes. — Non isto vivimus illìc [16],
Quo tu rere, modo; domus hâc nèc purior ulla est,
Nèc magìs his aliena malis. Nil mî offìcit, inquam,
Ditior hic, aut est quià doctior; est locus uni-
Cuique suus. — Magnum narras, vix credibile. — Atquì
Sìc habet. — Accendis, quarè cupiam magìs illi
Proximus esse. — Velis tantummodò; quæ tua virtus,

Horatio continuari putent et præcedentibus adjungant. Ego cum aliis interpretibus consentio qui ea garrulo tribuunt. Hæc vox, *dexteriùs*, minùs Horatium quàm alienum decere videtur, cùm nescio quam calliditatis notam secum trahat. Facilè verteres: *il a joliment fait son chemin!* Explodenda nescio cujus interpretis opinio qui has voces à garrulo quidèm, sed de Horatio ipso proununtiari putat, ità ut sensus sit: nemo meliùs quàm tu, Horati, fortunà usus est, qui Mæcenatem tibi devincire noveris, teque *paucis* illis, quibus familiaritèr utitur, aggregare.

15. *Magnum adjutorem: adjutor* propriè in tragœdiis dicebatur ille qui actores gestu, interdùm voce, quasì præcentor et modulator, adjuvabat. Porrò hæc est totius loci sententia, si *hunc hominem*, id est, me (seipsum enìm indicat) velles tradere, hoc est, Mæcenati offerre, ut essem intèr ejus familiares et domesticos, haberes me *magnum adjutorem*, id est, juvarem te egregiè, et *secundas* in Mæcenatis amicitiâ partes ferre possem, te ferente primas; omnes, qui sunt in ejus domo tui æmuli vel invidi, brevì summovisses, et ex eo, quem obtinent in ejus gratiâ, loco facile deturbasses, me juvante.

16. *Illìc:* in domo Mæcenatis. — *Quo tu rere modo:* qualitèr arbitraris nos ibì vivere. — *His malis:* istâ aliquot amicorum vel convictorum conjuratione, quâ fieret ut ex eorum tutelâ et commendatione, non ex solâ virtute et utilitate favor Mæcenatis penderet. — *Atqui Sìc habet:* sæpè verbum *habeo*, ut apùd Græcos τὸ ἔχειν, pro verbo, *sum*, usurpatur; *ità res est.* Notanda in eo loco ars eximia quâ delicatum Mæcenatis encomium ex argumento merè satirico Noster eruit. — *Accendis quarè cupiam:* pro, *accendis ut*, etc. Majore Mæcenatem propiùs invisendi, et cum eo familiaritèr conversandi cupiditate me inflammas. — *Quæ tua vir-*

Expugnabis; et est qui vinci possit, eòque
Difficiles aditus primos habet. — Haùd mihi deero;
Muneribus servos corrumpam; non hodiè si
Exclusus fuero, desistam; tempora quæram [17];
Occurram in triviis, deducam: nil sinè magno
Vita labore dedit mortalibus. Hæc dùm agit, eccè
Fuscus Aristius [18] occurrit, mihi carus, et illum
Qui pulchrè nôsset: consistimus. Undè venis, et
Quò tendis? rogat et respondet. Vellere cœpi,
Et prensare manu lentissima brachia, nutans,
Distorquens oculos, ut me eriperet. Malè salsus
Ridens dissimulare; meum jecur urere bilis. —
Certè nescio quid secretò velle loqui te
Aiebas mecum [19]. — Memini benè, sed meliori

tus Expugnabis : tanta tibi virtus est, ut ejus, si qua esse posset, repugnantiam facilè vinceres. — *Et est qui vinci possit, eòque Difficiles aditus primos habet :* eo ipso quòd se expugnabilem Mæcenas sentiat, à suâ nimiâ facilitate diffidens, homines sibi oblatos frigidè primùm excipit, certus eos meliùs notos ad se revocare, et sibi posteà eò firmiori vinculo astringere, quòd magnum amicitiæ snæ pretium longiore morâ conciliavisset. Quod quidèm ipse expertus fuerat Horatius, ut ipse narrat suprà, Satir. I, 6, 60 et sequent.

17. *Tempora quæram : Tentaturum aditus, et quæ mollissima fandi Tempora;* Virgil. Æn. IV, 293. — *Deducam :* vox propria clientis patronum suum præ honore per vias comitantis. — *Vita :* Natura, per quam vivimus, à quâ ad laborem nascendo damnati sumus.

18. *Fuscus Aristius :* de illo Aristio vide primam notam in oden XXII libri primi. — *Respondet* : mihi similibus verbis eum salutanti. — *Vellere cœpi :* togam videlicèt, in angoris mei signum. — *Et prensare manu lentissima brachia :* et arctiùs comprimere brachia, quæ ille pendere, quasi sensu carentia, et quasi me non intelligens, sinebat. — *Nutans :* repetitis nutibus illum admonens ut me ab isto importuno liberaret.—*Malè salsus :* facetum se et meis angustiis illudentem præposterè exhibens.

19. *Certè nescio quid secretò velle loqui te Aiebas mecum :* totus iste dialogus, præ vi comicâ, Terentio et nostro etiàm

Tempore dicam; hodiè tricesima sabbata. Vin' tu
Curtis Judæis oppedere? — Nulla mihi, inquam,
Relligio est [20]. — At mî; sum paulò infirmior; unus
Multorum; ignosces; aliàs loquar. — Hunccine solem
Tàm nigrum surrêxe [21] mihi! Fugit improbus, ac me
Sub cultro linquit. Casu venit obvius illi
Adversarius, et : « Quò tu, turpissime? » magnâ
Inclamat voce, et : « Licet antestari [22]? Ego verò

Molierio dignus est. — *Hodiè tricesima Sabbata :* neomenia, id est, primus dies mensis, qui pòst dies triginta fermè recurrit. Vocat illum diem, *Sabbatum*, quià festus dies Judæorum vulgò Sabbatum erat; et noto apud Romanos nomine usus Horatius est. Tricesimum illud Sabbatum, quidam volunt esse ipsum Pascha, quod hoc anno incideret in medium Aprilem : à mense autèm Septembri, undè suum annum Judæi ducebant, usquè ad Aprilem medium, numerantur ipsæ triginta hebdomadæ. Nemo autèm nescit, quàm religiosè Pascha coleretur à Judæis, nefasque tùnc apùd illos fuisse negotii quid agere, vèl privati vèl publici. — *Vin' tu Curtis Judæis oppedere?* Judæos circumcisos et eorum religionem irridere. *Oppedere*, vox parùm honesta, et contemptui exprimendo aptissima; summæ enìm inverecundiæ est ventris crepitum publicè emittere, et emissum ex eo odorem naribus vicinorum propinare.

20. *Nulla mihi, inquam, Relligio est :* huic relligioni (de Judæis enìm solus sermo est) nullam fidem habeo. Si se Horatium cuilibet deorum cultui alienum profiteretur, sibi ¦ nimìs evidentèr contradiceret, qui, in ode XXXIV libri primi, impietatem ejuravit, eamque *insanientis sapientiæ* titulo donavit. — *At mî :* at mihi, respondet Aristius, aliqua etiàm de Judæis, relligio est, quod statìm, quasì pudibundus, infirmitati suæ tribuit. — *Unus multorum :* in eâ superstitione, plebeculæ similis. Undè, nèc immeritò, concluserunt sagacissimi interpretes, jàm sub Augusto, legem Mosaïcam Romæ pervagatam fuisse.

21. *Hunccine solem Tàm nigrum surrêxe?* fierine potuit ut dies adeò infausta mihi surrexerit? *Surrêxe*, per syncopen pro, *Surrexisse.* — *Ac me Sub cultro linquit :* victimam intolerandæ garrulitati devotam, et sìc fatum à divinâ anu prædictum eo ipso die subituram.

22. *Licèt antestari?* est unum aliquem ex iis qui fortè adsunt testem sumere; quasì, *antetestari*, id est, testem appellare co-

Oppono auriculam; rapit in jus; clamor utrimque;
Undiquè concursus. Sìc me servavit Apollo.

ram omnibus, vèl antequàm adversarium in jus trahas; id enìm leges jubebant, ut antè caperentur testes, quàm dies reo diceretur. JUVENC. — *Oppono auriculam :* qui obvios in testimonium vocabat, extremam eorum aurem tangebat, ut memores essent. Sensus est igitur : *Ego libentèr testis tibi ero; tange auriculam, et me testem scribe. — Sìc me servavit Apollo :* is à periclitantibus invocari solebat, ut malorum depulsor; adde quòd poetæ sub tutelâ Apollinis positi erant.

SATIRA DECIMA.

Apologeticâ hâc satirâ astruit Horatius quod in quartâ judicium de Lucilio tulerat, emissamque anteà opinionem tuetur contrà fanaticos quosdam veteris hujus poetæ defensores; et, occasionem nactus, longioribus, quæ mòx traditurus est, de arte scribendi præceptis, nonnulla exempla è poetis coætaneis deprompta addendo, præludit.

Intèr Lucilii admiratores erant, qui Romæ vicos, funibus flagellisque armati, percurrerent, ad coercendos et puniendos Lucilî obtrectatores. Vitiis tamèn eum caruisse ipse Cato ostenderat, cùm ejus satiras mendis expurgatas in lucem edidisset. Et hæc constant è versibus quos Canterus et Cyraldus, uterque Horatii interpres, initio satiræ desiderant. Quos quidèm, etsî minimè Horatianos, et à doctis ideò repulsos, hìc tamèn restituimus, litteris, ut aiunt, italicis, exaratos, ne fortè cum genuinis Nostri versibus ullo modo confundi queant.

Lucilî, quàm sis mendosus, teste Catone [1]
Defensore tuo pervincam, qui malè factos
Emendare parat versus. Hoc leniùs ille,
Est quò vir melior; longè subtilior illo [2],

1. *Teste Catone :* Catonem Uticensem intelligit, cùm nemo alius hâc ætate extiterit Cato, litterarum studio celebris. Hinc patet octo illos versus factos fuisse antè quàm Horatius scriberet, antè etiàm quàm editæ fuissent à Catone Lucilii Satiræ, mendis expurgatæ.— *Emendare parat :* ergò, nondùm emendatæ fuerant. — *Hòc leniùs ille :* scilicèt Cato, qui, vir bonus, adeòque justam concedens dissentientibus libertatem, moderatum se Lucilii defensorem gerebat.

2. *Longè subtilior illo :* hæc vox *subtilior,* vèl ad Catonem seriò, vèl ironicè, ad *grammaticorum*

Qui multùm puer [3] *et loris et funibus udis* 5
Exornatus, ut esset opem qui ferre poetis
Antiquis posset contrà fastidia nostra [4],
Grammaticorum equitum doctissimus. Ut redeam illùc;

equitum doctissimum de quo mòx loquitur poeta, referri potest. Si ad Catonem, sensus est : Cato, lenis et moderatus Lucilii patronus, eo ipso se *subtiliorem* præstat, quòd multò magis ad persuadendum valet in scribendo et in judicando temperantia, quàm vehementia insanorum istorum qui, grammaticorum instàr in rebelles discipulos sævientium, Lucilium non cæcè admirantes flagellis persequebantur. Si ad grammaticum ipsum, mera, ut liquet, ironia est; grammaticus ille longè fuit Catone ipso *subtilior* cùm nil in Lucilio reprehendendum inveniret, etc.

3. *Qui multùm puer :* pueri enìm sunt obstinatæ voluntatis, et contradicentibus usquè ad ictus et plagas facillimè irascuntur. Repuerascere videbatur igitùr dirus ille Lucilii ultor. — *Exornatus :* ridiculum et dignum grammatico isto *ornamentum*, *funes udi*, h. e. aquâ dilnti et confecti, ut lento inflexu crudeliora verbera inferrent, et *lora* funibus etiàm udis asperiora!

4. *Opem qui ferre poetis Antiquis posset contrà fastidia nostra :* singulare reverâ auxilii genus, quod nostrâ etiàm ætate nondùm periit, quodque ultrò in theatris renovari videres à venalibus istis scriptorum dramaticorum adjutoribus, qui quotidiè pugnis, sìn minùs flagellis, liberos spectatorum sibilos repellere conantur! Probat autèm hæc vox, *nostra*, eâ quoque ætate quâ scripsit, quisquis fuerit, octo versuum auctor, non omnia jàm in Lucilio omnibus approbata fuisse. — *Grammaticorum equitum doctissimus :* ironicè, quod à præcedentibus evidentèr sequitur.

Nempè [1] incomposito dixit pede currere versus
Lucilî. Quis tàm Lucilî fautor ineptè est

1. *Nempè :* vox poetæ præteritè dicta rursùm affirmantis; eodem sensu Abner in primâ Athaliæ scenâ summum pontificem alloquens : *Oui, je viens dans son temple adorer l'Éternel.* — *Incomposito pede :* incessu rudi et rustico, mensuræ poeticæ legibus contrario, ut in illo Virgiliano, Georg. I, 350 :

Ut non hoc fateatur [2]? At idem, quòd sale multo
Urbem defricuit [3], chartâ laudatur eâdem.
Nec tamèn hoc tribuens, dederim quoque cætera; nàm sic
Et Laberî mimos, ut pulchra poemata, mirer [4]. 6
Ergò non satìs est risu diducere rictum
Auditoris; et est quædam tamèn hìc quoque virtus.
Est brevitate opus, ut currat sententia [5], neu se

Det motus incompositos, agrestium virorum saltatio significatur.

2. *Quis tàm Lucilî fautor ineptè est Ut non hoc fateatur?* Placere sibi sales leporesque Lucilii dixerat; sed *ineptos* jure vocat, h. e. rectè judicando impares, quicumque versus ejusdem poetæ politos facilesque dicerent. Eodem modo apùd nos pronuntiandum esset de iis qui omnia, nullo boni ac mali facto discrimine, in Regnierio, in Malherbio, imò et in sublimi et totiès admirando Cornelio landarent.

3. *At idem quòd sale multo Urbem defricuit :* judicii sui æquitatem demonstrat. Versus ejus reprehendi, mordacitatem in carpendis vitiis laudavi. *Defricare* idem valet ac *fricare;* sale autèm, vel substantiâ sali proximâ, alumine, v. g., sodâ (*de la soude*) fricantur vasa et instrumenta quæ expurgantur sordibus; sìc et satiræ acumine emendantur mores pravi et vitiosi homines. — *Chartâ eâdem :* in satirâ quartâ, v. 8 et 9, ubì eodem tenore Lucilius *durus* quidèm *versus componere,* sed *facetus,* sed *emunctæ naris* dicitur.

4. *Nàm sìc Et Laberî mimos, ut pulchra poemata mirer :* floruit sub J. Cæsare D. Laberius, scriptor facetus quidèm, sed parùm accuratus, qui ad exemplum P. Syri mimos composuit, genus comœdiæ liberrimum, et ad exhilarandam plebeculam accommodatum, qualia apùd nos à Scarrone vel à Vadeo scripta sunt (gallicè, *des farces, des parades*). Quæ quidèm opera, etsi aliquandò ingenuis doctisque viris non displiceant, quibus in loco desipere dulce est, tamèn intèr *pulchra poemata* non numerantur. Sìc igitùr ratiocinatur Horatius : si Lucilium, ideò quòd sit apprimè dicax, poetam numeris omnibus absolutum putarem, idem mihi sentiendum esset de Laberio; quod acerrimi Lucilii defensores à me postulare non auderent. — *Risu diducere rictum :* risum audientibus movere. — *Et est quædam tamèn hìc quoque virtus :* non magna, sed *quædam,* sed qualiscumque, in arte risum excitandi, virtus inest.

5. *Est brevitate opus, ut currat sententia :* dùm in eo loco veras egregii satirici dotes enumerat Horatius, de contrariis

Impediat verbis lassas onerantibus aures;
Et sermone opus est modò tristi, sæpè jocoso [6],
Defendente vicem modò rhetoris atque poetæ [7],
Interdùm urbani, parcentis viribus [8], atque
Extenuantis eas consultò. Ridiculum acri

vitiis accusat Lucilium. Brevis, h. e. concisus et castigatus esse non poterat qui (suprà, satir. IV, 9 et 10) *in horâ sæpè ducentos versus dictabat, stans pede in uno.* Qui autèm tantâ rapiditate scribit, verbis inutilibus sermonem impediat necesse est, quorum numero obruitur sententia, ejusque vis, quasi viator onerosâ sarcinâ, retardatur; nihil autèm majorem auribus et animo molestiam parit, quàm illa verborum supervacaneorum luxuries.

6. *Et sermone opus est modò tristi, sæpè jocoso :* stylo *tristi*, h. e. gravi et severo uti potest poeta satiricus, sæpiùs, jocosum et facetum adhibere. Ferè autèm sempèr serius erat Lucilius, qui, teste Juvenale, Sat. I, 165, *Ense velùt stricto ardens infremit;* vehementiam illam satiricæ laudis partem esse, sed minimam, meritò asserit Horatius, qui in satiris suis vocem aliquandò tollere et tumido ore delitigare, si res postulet, non dubitat, sed frequentiùs ad facetum scribendi genus se confert, et eo jucundissimo sermonis temperamento id obtinuit, ut non Lucilio solùm, sed suis quoque successoribus, Juvenali et Persio, longè antecelleret. Eâdem de causâ Regnierio et Gilberto superiorem Bolæum nostrum agnoscimus.

7. *Defendente vicèm modò rhetoris, atque poetæ :* talis esse debet stylus satirici poetæ, ut nùnc partes *rhetoris*, h. e. oratoris, agere videatur, nimirùm ornatè, splendidè, vehementèr dicendo; nùnc obire munus poetæ, jocando, fingendo, nec sibi delicias quasdam verborum et amœnitates invidendo, quibus poetæ gaudere solent. Quanquàm illæ ipsæ sermonis deliciæ oratorem ipsum non dedeceant, de quo sic Cicero artis oratoriæ præcepta tradens: *Accedat lepos quidam facetiæque et eruditio libero digna, et brevitas respondendi et lacessendi, subtili venustate et urbanitate conjuncta.* De Orat. I, 5, 17.

8. *Interdùm urbani, parcentis viribus :* hominis urbani, comitate et honestate prædiți, qui viribus suis interdùm parcat, id est, non ea dicat omnia et carpat, quæ potest; omittat quædam, et deditâ operâ remittat aliquid de satiræ severitate; ridere mâlit aliquandò, et ridendo verum dicere, quàm mordere acritèr, et lacerare. — *Ridiculum acri Fortiùs et meliùs*

Fortiùs et meliùs magnas plerùmque secat res.
Illi, scripta quibus comœdia prisca viris est [9],
Hoc stabant, hoc sunt imitandi; quos neque pulcher
Hermogenes umquàm legit, neque simius iste,
Nil prætèr Calvum et doctus cantare Catullum. —
At magnum fecit, quòd verbis Græca latinis
Miscuit [10]. — O seri studiorum! quine putetis

magnas plerùmque secat res : jocosa enim oratio aut facetè aliquid factum rem difficilem meliùs absolvit, strictum aliquem nodum meliùs secat, quàm si seriò et gravitèr dictum aut actum fuisset. Ad propositum suum redibit Noster in satir. seq. versu ultimo : *Solventur risu tabulæ; tu missus abibis.* Quàm vera, quàm inconcussa sit Horatii sententia, proverbii auctoritatem jamdudùm sortita, innumeris exemplis demonstrat Val. Max. VII, 3, *de vafrè dictis ac factis.*

9. *Illi scripta quibus comœdia prisca viris est :* poetæ, veteris comœdiæ inventores, de quibus sat. quartæ initio; hanc et notas consule. — *Hoc stabant :* illâ ridiculum tractandi arte, solidam et benè *constantem* suî famam fecerant. — *Pulcher Hermogenes :* idem ille est Hermogenes Tigellius, cantor Augusto carus, Lucilii contrà Horatium fautor, qui *pulcher* hîc satiricè appellatur, cujusque impudentia initio tertiæ satiræ vividissimis coloribus adumbrata est. — *Neque simius iste :* volunt prisci interpretes per hanc vocem, *simius*, denotari Demetrium quemdam, qui rursùs infrà, v. 90, memorabitur, vultûs deformitate insignem, et moribus ità depravatum ut obscœnis tantùm poetis, quales fuisse fatendum est et Calvum et Catullum, delectabatur.

10. *At magnum fecit, quòd verbis græca latinis Miscuit :* objectio est admiratorum Lucilii, qui rem quasi egregiam laudabant, quam, ut intolerandum vitium, reprehendere debuissent. Putidam illam eruditionem Ronsardo exprobravit meritò Bolæus : *Mais sa muse en français parlant grec et latin;* Art. poet. I. — *O seri studiorum!* nulla studia benè proficiunt, quàm quæ à pueritiâ primùm exculta, labore deindè constanti et assiduo alantur; undè fit ut qui *seri*, h. e. provectâ jàm ætate, sese litteris tradunt, frigidiùs eas accipiant, et ferè semper in illis vix attingant mediocritatem. Ὀψιμαθεῖς tardos illos studiorum asseclas Græci vocabant, animadvertitque Gell. XV, 13 eos stolidâ doctriuæ suæ ostentatione ineptâ à veris eruditis facilè dis-

Difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti
Contigit? — At sermo linguâ concinnus utràque
Suavior [11], ut Chio nota si commista Falerni est. —
Cùm versus facias [12], teipsum percontor, an et cùm
Dura tibi peragenda rei sit causa Petillî [13],
Scilicèt oblitus patriæque patrisque, latinè
Cùm Pedius causas exsudet Publicola, atque

cerni. — *Quine :* particula illa, *ne,* minùs expletiva, ut aiunt plerique interpretes, quàm elliptica esse videtur, locumque tenet istius circumlocutionis : *Fierine potest ut putetis?* — *Rhodio quod Pitholeonti :* Pitholeon, Rhodo orinndus; ineptus epigrammatum scriptor, quæ græci latinique sermonis commixtione inquinabat.

11. *At sermo linguâ concinnus utràque Suavior :* objectio altera; esto, inquiunt Lucilii fautores, neque *mirum* sit græcas voces latinis miscere; sed saltèm *suave* illud esse non negaveris. — *Ut Chio nota si commista Falerni est :* Falernum, ut vinum austerius, cum Chio, dulci vino, misceri solebat, undè existebat potus reverâ suavior. Vinum græcum cum vino italico commixtum ex industriâ citat, ad strictioris analogiæ rationem.

12. *Cùm versus facias :* hæc verba à nonnullis interpretibus ad præcedentia referuntur, ità ut sensus sit, in carminibus saltèm suavi temperamento voces græcas latinasque simùl admisceri, et hìc absolutâ clausulâ periodus finiatur. Attentè legenti, illa verborum structura et series, quamvìs à doctiss. vir. Cuningham, Sanadone, et R. Binet adoptata, difficilis et parum expedita, videbitur. Mâlim, Dacierium secutus, sìc interpretari : credo te, inquit Horatius adversarium suum refellens, credo, inquam, te esse in iis quæ ad artem poeticam pertinent naris emunctæ judicem, cùm ipse *versus facias.* Mihi tamèn *teipsum percunctanti* respondere digneris : si prosâ scriberes, si, v. g. causam Petillii accuratâ oratione defenderes, putas ne te auditoribus satisfacturum fuisse, utramque linguam commiscendo? Quod autèm in solutâ oratione tibi non liceret, cùr in strictâ tibi permitteres? cùr probaretur in poemate quod exploderetur in foro?

13. *Dura tibi peragenda rei sit causa Petillî :* de Petillio jàm actum est suprà, sat. IV, 94. Consule h. l. et notam. — *Latinè Cùm Pedius causas exsudet Publicola, atque Corvinus :* cùm Pedius Publicola et Messala Corvinus, ambo clarissimi oratores, causas suas *exsudent,* h. e.

Corvinus, patriis intermiscere petita
Verba foris mâlis, Canusini more bilinguis? 30
Atqui ego cùm græcos facerem, natus mare citrà,
Versiculos [14], vetuit me tali voce Quirinus,

vehementèr agant, solo sermone latino utentes, an tu, tantis oratoribus dissimilem te præstans, mâlis *verba petita foris*, h. e. ex aliâ linguâ deprompta, patrio sermoni intermiscere? certè nôlis. — *Canusini more bilinguis :* Canusium, græca colonia à Diomede olim condita; vid. suprà, sat. V, 92; undè Canusini, ut cæteri omnes populi qui hanc Italiæ partem quæ magna Græcia appellabatur, corrupto ex utrâque linguâ sermone utebantur, qui mos est etiàm nùnc provinciarum exteris gentibus vicinarum. Omnes Brutiates *bilingues* vocat Ennius, eamdem ob causam.

14. *Atqui ego, cùm græcos facerem, natus mare citrà, Versiculos :* nexus primùm sententiæ indicandus est. Minùs certè ridiculum est, ait Noster, Romanum in conscribendis versibus græcis exerceri, quàm versus, Lucilii exemplo condere, ex utrâque linguâ barbarè compositos. Ne tamèn huic exercitationi, cui me tradere cœperam, ulteriùs insisterem vetuit Quirinus, gloriæ Romanæ custos et tutor assiduus. Causa liquet; fieri nequit ut peregrino idiomate tàm felicitèr utantur extranei quàm indigenæ; quam autem excellentiam præstantiamque in cæteras gentes, armorum vi, sibi Romani vindicaverunt, jàm tempus est in litteris, in præclaris artibus, in omni deniquè industriæ genere, eamdem retineri. Ergò à græci sermonis usu, et multò magìs, ab absurdâ illâ Lucilii græco-latinitate abstinere Romani debemus.

Vix credibile est quantum in errorem ab illo Horatii loco Dacierius inductus fuerit, cùm ex eo concludendum censuerit nobis recentioribus à latinis versibus scribendis eâdem ratione abstinendum esse. Non vidit eruditissimus ille vir nullam intèr res omninò diversas comparationem esse instituendam.

Florente linguâ quâlibet in regione quæ poetas, oratores egregios numerat et quotidiè gignit, imparem evidentèr pugnam committunt, quicumque intèr externos eâ linguâ uti non dubitant; sic gallicos versus ab Anglis aut Germanis, anglicos aut germanicos à Gallis fieri, opus esset periculosæ plenum aleæ, et, ut verum dicatur, omninò absurdum. Soli Menagio apùd nos versus aliquot italicos conscripsisse, si famæ creditur, felicitèr cessit, qui tamèn nùnc oblivione premuntur.

Cùm verò lingua, opum variarum dives, vivere desiit, neque alibì quàm in admirandis scriptorum suorum monumen-

Pòst mediam noctem visus, cùm somnia vera [15]:
« In sylvam ne ligna feras [16] insanius, ac si
Magnas Græcorum mális implere catervas. »
Turgidus Alpinus jugulat dùm Memnona [17], dùmque

tis existit, tùnc illam, quantùm fieri potest, è sepulcro, ut ità dicam, erucre universæ omnium gentium utilitatis est, quas veluti communi vinculo adunat et astringit. Sìc pars fit necessaria publicæ educationis; atquì non alitèr perfectè ediscitur, quàm si à primis studiorum temporibus adolescentes illam tractaverint, et in imitandis divinis illis pulchri et recti exemplaribus sese frequentèr exercuerint.

Hinc evenit ut, adulti jàm et maturi, illam operibus sivè jucundis, sivè utilibus apprimè applicare noverint, utque nulla sit hodiè in Europâ gens quæ poeticis, philosophicis, historicisque libris latinè scriptis et quidèm elegantissimè non glorietur; et ne patriam laudem invidioso silentio obruamus, liceat saltèm, in propositi argumentum, citare Thuanum, Hospitalium, Comminium, Ruæum, Santolium, Vanierium, Carolum *Le Beau*, hunc ipsum Juvencium quem totiès tutissimum laboris nostri comitem nobis adjunximus, totque alios quorum opera reipublicæ litterariæ totum orbem complectenti perdita in maximam partem fuissent, si vernaculâ linguâ fuissent exarata.

15. *Cùm somnia vera :* Philostratus, lib. II, ait somniorum interpretes nil aliud explicare quàm quod manè incidit, animo jàm pòst cibi potûsque coctionem defœcato. Hero ad Leandrum, apùd Ovid. v. 195: *Jàmque sub aurorâ, jàm dormitante lucernâ, Somnia quo cerni tempore vera solent.* Ità Tertullianus, *de Animâ*, c. XXII: *Certiora et collatiora* (h. e. res intèr se meliùs cohærentes) *somniari affirmant sub extremis noctibus, quasì jàm emergente animarum vigore.* Et Theocritus Europæ somnium tertiâ noctis vigiliâ immissum fuisse canit.

16. *In sylvam ne ligna feras :* verba Romuli Horatium à græcè scribendo dehortantis. Proverbium est adversus eos qui res et merces in locum iisdem rebus, iisdem mercibus abundantem transferunt; gallicè eodem sensu dicimus : *Porter de l'eau à la fontaine. — Insaniùs ac si Magnas Græcorum mális implere catervas :* subaud. *poetarum.* Horatii enim temporibus, paucissimi numerabantur poetæ latini cum poetis græcis collati. Atqui insanum erat sese alienæ multitudini adsciscere, dùm multò pulchrius simùl et facilius erat intèr poetas patrios eminere.

17. *Turgidus Alpinus jugulat dùm Memnona :* ut ea et quæ sequuntur cum præceden-

Diffingit Rheni luteum caput; hæc ego ludo [18]
Quæ nec in Ædе sonent certantia judice Tarpâ,
Nec redeant iterùm atque iterùm spectanda theatris.

tibus cohæreant, aliquid necessariò subaudiendum est, nonnihilque aut supponendum aut corrigendum. Dixerat Noster se à versibus græcè componendis, per noctem, ipsius Romuli voce deterritum fuisse. Addit continuò : derelinquo igitùr stolidis poetis curam celebrandi carminibus græco-latinis heroas græcos, et etiàm tractandi, quod multò insulsius, eodem stylo argumenta romana et è nostris deprompta annalibus. Ego verò, Romuli præceptis morem gerens, non heroicas quidèm fabulas, non sublimes tragœdias condo, sed ludo in his satiris, quas saltèm, Lucilio sapientior, patrio sermone exorno, aliundè laudem inventionis eidem Lucilio referens, me ipsi in hâc parte inferiorem professus.

Supponere igitùr debemus hunc Alpinum, quisquis fuerit, græca verba ad Lucilii modos latinis immiscentem, stylo *turgido* et inflato ceciuisse cædem Memnonis, Auroræ filii, ab Achille sub Trojæ mœnibus patratam, quod facetè à Nostro Memnona propriis manibus jugulare vocatur, quasi infelix juvenis Achilleæ lanceæ minùs, quàm ferrei calami punctione cecidisset; similitèrque eventum aliquem belli germanici, cladem fortassè à Varo ad Rheni ripas acceptam.

Quanquàm non dissimulandum est hæc verba, *Diffingit Rheni luteum caput*, alitèr legi in multis codicibus; *Diffringit Rhæci luteum caput;* porrò Rhæcus ille fuit unus è Gigantibus qui Jovi bellum intulerunt, quorumque capita fulmine cœlesti dejecta et *diffracta* sunt; et, ut Memnona jugulasse dictus est Alpinus ille, sic, acceptâ illâ lectione, Rhæci caput *diffregisse* diceretur.

Standum tamèn arbitramur multò plurium mss. auctoritati, et legendo, *Diffingit Rheni luteum caput*, intelligimus Rheni faciem tàm malè depictam fuisse ab Alpino, ut turpitèr ab eo deformata videretur. Addamus hoc epitheton, *luteum*, de flumine personam induente multò meliùs quàm de Gigante explicari; quod quidèm in nostram linguam Bolæus felicitèr transtulit in egregiâ illâ ad regem epistolâ de ejusdem Rheni transitu : *A ces mots, essuyant sa barbe limoneuse.*

18. *Hæc ego ludo :* præ dignitate et difficultate poematis epici vel dramatici satira ludus Horatio videtur. — *Quæ nèc in Ædе sonent certantia judice Tarpâ :* mea carmina non digna sunt quæ publicè recitentur in ædе Apollinis, in quam conveniebant poetæ, decertantes intèr se de præmio proposito illis qui

Argutâ meretrice potes [19], Davoque Chremeta
Eludente senem, comis garrire libellos,
Unus vivorum, Fundanî. Pollio regum
Facta canit [20], pede tèr percusso; fortè epos acer,
Ut nemo, Varius ducit [21] : molle atque facetum

optimè scripsissent. Pronuntiabant quinque judices ab Augusto constituti, è quibus unus erat Metius Tarpa, qui iterùm citabitur in Arte poet. 387.

19. *Argutâ meretrice potes :* modestè relinquit clarioribus ætatis suæ vatibus quos honorificè nominat, jus tractandi comœdiam, tragœdiam, poema epicum, poema bucolicum. Sibi modestè servat satiræ genus, in quo, ut jàm animadvertit suprà, sat. IV, 42 et 43, neque *mens divinior*, neque *os magna sonans* exigitur; sicque invidiæ crimen diluit quam Lucilii admiratores objiciebant. Qui enim coætaneos tàm effusè laudat, qui se ipsis adeò inferiorem profitetur, quomodò Lucilio jamdudùm defuncto invidere argueretur?

Ordo autèm et sensus satis intricatæ periodi talis est : ô Fundanî (Fundanius erat poeta comicus, Augusto et Horatio carus, de quo non opera, sed numismata etiamnùm exstant), tu unus poetarum hodiè viventium, *potes comis garrire libellos*, h. e. potes urbanè et *comitèr* scribere comœdias stylo familiari quidèm, sed tàm facilitèr fluente, ut eum auditoribus vèl lectoribus *garrire* et quasi confabulari videaris; in quibus *libellis*, seù comœdiis, *meretrix* aliqua *arguta*, h. e, vafra et callida, vel Davus, h. e. servus aliquis, eludit atque emungit argento Chremetem aut alium quemlibet senem; quæ vulgaris erat græcarum comœdiarum, quarum ad exemplar latinæ comœdiæ scriptæ sunt, materies.

20. *Pollio regum Facta canit :* poeta tragicus idem et celebris historicus; vide Od. II, 1. — *Pede ter percusso :* tragœdiæ latinæ, græcarum instàr, versibus iambicis sivè senariis constabant, et ideò *trimetri* appellabantur : ad unum autèm metrum, sivè ad unam mensuram duo pedes requirebantur; undè, quotiès ad indicandam mensuram, vèl terra pede, vèl aër manibus percutiebatur, triplici ictu opus erat. Neque credendum non alitèr in theatro versus declamari solitos fuisse, quod intolerabilem μονοτονίαν introduxisset; sed in scholis tantummodò, cùm discipulorum aures ad harmoniæ poeticæ sensum informabantur.

21. *Fortè epos acer, Ut nemo, Varius ducit :* de Vario vide suprà, Od. I, 6, 1, et notam. *Ducit*, verbum est epicæ narrationi rectè accommodatum, quæ eventum aliquem ab exordio ad fi-

Virgilio annuerunt gaudentes rure Camœnæ [22]. 45
Hoc erat [23], experto frustrà Varrone Atacino
Atque quibusdam aliis, meliùs quod scribere possem,
Inventore minor; neque ego illi detrahere ausim
Hærentem capiti cum multâ laude coronam.
At dixi fluere hunc lutulentum [24], sæpè ferentem 50

nem *Per varios casus, per tot discrimina rerum* quasi manu reverâ *ducere* videtur. Hic locus diversè in nonnullis codicibus legitur: *Fortè epos acer, ut nemo, Varius.* Hîc clausulam ponunt, verbum aliquod subaudientes, *scribit, condit,* aut aliud quid simile. Deindè legunt *ductu molle;* et est metaphora, inquiunt interpretes, à lanâ derivata, quæ, *mollitèr* tractata, in fila *ducitur.* Priorem lectionem esse retinendam major codicum et mss. numerus fidem facit.

22. *Molle atque facetum Virgilio annuerunt gaudentes rure Camœnæ : molle atque facetum;* subaudi, *scribendi genus. Molle,* sermonis puri, tenerique simùl et castigati, et ad *molles* affectus excitandos idonei, imaginem repræsentat: quæ laus universo Bucolicorum Georgicorumque stylo, sed imprimis divino primæ, secundæ, quintæ et decimæ Eclogæ conditori, deindè laudatori vitæ rusticæ, pestis animantium Eurydicesque vati apprimè convenit. Hanc vocem *facetum* explicat Quintilianus, VI, 3, 4 : « *Facetum* non » tantùm circà ridicula opinor » consistere. Neque enim diceret » Horatius *facetum* carminis ge- » nus naturâ concessum esse Vir- » gilio. Decoris hanc magis et » excultæ cujusdam elegantiæ ap- » pellationem puto.» *Annuerunt;* secunda et tertia syllaba in unam coalescunt, ad mensuram versûs, quæ per diphtongorum regulam producuntur. Alii volunt penultimam licentiâ poeticâ corripi. *Gaudentes rure Camœnæ;* musæ agrestes, quæ solæ hactenùs Virgilio faverant. Nondùm Æneis prodierat.

23. *Hoc erat : hoc,* id est, satiricum carmen unum supererat quod scribere possem meliùs, faciliùs, commodiùs. Rationem illicò addit : multi poetæ, intèr quos Varronem quemdam nominat, ad satiræ genus sese frustrà accinxerant, quos igitùr vincere non erat arduum. — *Atacino :* è Galliâ Narbonensi oriundo, quam abluit fluvius Atax, hodiè *l'Aude.* — *Inventore minor :* Lucilio scilicèt qui, licèt in multis vitiosus, nondùm ab imitatoribus suis superatus fuerat. Sese autèm minorem Lucilio Noster modestè quidèm, sed tamèn verè profitetur; nàm in omnibus maxima laus ad inventorem pertinet.

24. *At dixi fluere hunc lutu-*

Plura quidèm tollenda relinquendis. Age, quæso,
Tu nihil in magno doctus reprendis Homero?
Nil comis tragici mutat Lucilius Acci?
Non ridet versus Ennî gravitate minores,
Cùm de se loquitur, non ut majore reprensis? 55
Quid vetat et nosmet Lucilî scripta legentes
Quærere nùm illius, nùm rerum dura negârit
Versiculos natura magìs factos [25], et euntes
Molliùs, ac si quis pedibus quid claudere senis,
Hoc tantùm, contentus, amet [26] scripsisse ducentos 60

lentum : in satirâ quartâ, v. 11. Vide h. l. et notas. Præoccupat objectionem detractoris sui : *Dicere ausus es*, etc. — *Age, quæso :* argumento *ad hominem* adversarium suum refutat. Tu ipse, inquit, an non mendas aliquas in ipso Homero reprehendis? an, idcircò, te Homero superiorem arbitraris? Exquisita sanè argumentandi ratio! Constat apùd melioris notæ judices non omnia in Homero æquè laudanda et admiranda esse. Consule inprimìs Longinum, *de Sublimi*, cap. VII, in fine, et Rollinum in aureo libro, cui titulus, *Traité des études*, t. I, *de Homeri lectione*, I, 4. — *Nil comis tragici mutat Lucilius Acci?* Lucilius ille tuus, quamvìs *comis et urbanus*, nihilne *mutat*, h. e. mutandum censet in Accio? Accius, poeta vetus, pòst Pacuvium floruit; plures tragœdias, è quibus non panca supersunt fragmenta, stylo quidèm grandi et animoso, sed rudi et aspero, ut ex fragmentis patet, conscripsit. — *Non ridet versus Ennî gravitate minores :* annon ridet versus aliquot, qui solitæ Ennî gravitati malè respondere videntur, ut perridiculum illum: *At tuba terribili sonitu taratantara dixit*, quem versum è parodiâ aliquâ, potiùs quàm è *gravi* tragœdiâ, aut severis annalibus depromptum facilè crederes? — *Cùm :* et tamèn. — *De se loquitur non ut majore reprensis :* ista et similia reprehendendo, non se majorem iis poetis quos carpit Lucilius jactat.

25. *Nùm illius, nùm rerum dura negârit Versiculos natura magìs factos :* cur ego igitùr quærere prohiberer quâ ratione evenerit, ut sæpè sæpiùs in Lucilio versus *magìs facti*, h. e. magìs elaborati et *molliùs euntes*, et minùs asperi, dulciùs fluentes, desiderentur? An hoc vitium sivè ipsius duriori naturæ, sivè rerum quas tractavit sterilitati et siccitati imputandum sit?

26. *Ac si quis pedibus quid claudere senis, Hoc tantùm, contentus, amet :* loci difficultatem

Antè cibum versus, totidèm cœnatus? Etrusci
Quale fuit Cassî rapido ferventius amni
Ingenium, capsis quem fama est esse, librisque

quæ, ut plerùmque apùd Horatium, è solâ interpunctionis diversitate nascitur, non meliùs enucleari posse censuimus, quàm si ipsam Juvencii paraphrasim, additâ levissimâ emendatione, hùc transferremus. Legimus igitùr in textu, interpositâ tantùm unâ pòst hanc vocem, *molliùs*, virgulâ, conjunctionem *ac*, pro disjunctivâ *at*, quam prætulit Juvencius, et cum Renato Binet et aliis plerisque interpretibus sensum præcedentibus sìc annectimus: « Versus Ennii non » aliam ob causam minùs elabo» rati, minùs affabrè cusi sunt, » *ac*, h. e. quàm si quis hoc » tantùm studeat, ut versum sex » pedibus coagmentare noverit, » seque hoc uno nomine poetam » esse magnum putet, quià du» centos versus antè cœnam, tot» idem pòst cœnam composuit; » qualis Etruscus ille Cassius » fuit, cujus vena ferax et flu» minis instàr exundans, tantam » carminum copiam profuderat, » ut ejus libri ad accendendum » eum quo consumptus est ignem » suffecerint. Si quis ità sentiat, » libentèr illi concedam Luci» lium poetam fuisse perurbanum » et lepidum; ipso etiàm Ennio, » qui satirici carminis nondùm à » quopiam perpoliti et à Græcis » intentati auctor fuit, longè or» natiorem; deniquè poetis om» nibus quos ætas prisca tulit » cultiorem; nihilhominùs ille » Lucilius, si hâc ætate nostrâ » viveret, multa è suis versi» bus, et forsàn ea ipsa quæ ego » Horatius reprehendere susti» neo, detraheret ac limando de» raderet; recideret multa quæ » modum satiricæ perfectionis » excederent, et in condendis » carminibus plùs temporis stu» diique apponens, sæpè sibi ca» put fricaret, et ungues ad vi» vum demorderet. » His in universum expositis, ad singula redeamus.—*Ac:* ut evenire debet, cùm quis, etc. Vide notam superiorem. — *Pedibus quid claudere senis:* vide suprà, sat. IV, 39; *neque enìm concludere versum Dixeris esse satìs.* — *Hoc tantùm:* iutellige has voces parenthesi inclusas; non aliam poesi suæ laudem requirens, quàm si justam hexametri mensuram impleverit. — *Ducentos Antè cibum versus, totidem cœnatus:* suprà, sat. IV, 9: *in horâ sæpè ducentos, Ut magnum, versus dictabat, stans pede in uno.* — *Cassî:* Cassius ille, dictus etiàm fuit Parmensis. Antonii partes secutus contrà Augustum, à victore mori jussus est, et in musæo, quod propriis libris et carminibus refertum habebat (hoc ad hyperboleu dictum), combustus periit. — *Capsis:*

Ambustum propriis; fuerit Lucilius, inquam,
Comis et urbanus; fuerit limatior idem
Quàm rudis et Græcis intacti carminis auctor,
Quàmque poetarum seniorum turba; sed ille,
Si foret hoc nostrum fato dilatus in ævum,
Detereret sibi multa; recideret omne quod ultrà
Perfectum traheretur [27], et in versu faciendo
Sæpè caput scaberet, vivos et roderet ungues.
Sæpè stylum vertas [28], iterùm quæ digna legi sint

vide suprà, sat. IV, 22. — *Fuerit Lucilius, inquam, Comis et urbanus :* probare nititur se æquum Lucilii judicem esse, non cæcum; quas illi laudes in satirâ quartâ tribuerat, *facetus, emunctæ naris,* v. 7 et 8, in hâc quoque repetit; imò concedit Lucilium fuisse Ennio primo satirici carminis auctore in Italiâ *limatiorem,* sed sibi ex aliâ parte constans, jure ac meritò asserit illum ipsum, si Augusti temporibus vixisset, multa in suis scriptis recisurum fuisse, eaque ipsa quæ reprehendere Horatius cogitur. Non alitèr de priscis illis scriptoribus sentiebat oculatissimus ille Quintilianus, cùm Accium et Pacuvium laudibus aliundè cumulando, addit tamèn : *Cæteràm nitor et summa in excolendis operibus manus, magis videri potest temporibus quàm ipsis defuisse;* lib. X, I. Quis apùd nos simile de Cornelio, Malherbio, Rotrovio judicium ferre seriò recusaret?

27. *Recideret omne quod ultrà Perfectum traheretur :* amputaret quidquid partibus jàm perfectis onerandi potiùs quàm ornandi gratiâ, addidit, in quod vitium plerique incidunt, qui, nimiâ scribendi facilitate laborantes, modum servare nequeunt, illius præcepti quod in *Arte poeticâ* notabitur prorsùs immemores : *Omne supervacuum pleno de pectore manat.* — *Sapè caput scaberet :* ut mos est curiosè scripta sua emendantibus. — *Vivos et roderet ungues :* sìc et Persius, I, 106, de poetâ leviùs scribente : *Nèc pluteum cædit, demorsos nèc sapit ungues.*

28. *Sæpè stylum vertas :* sæpè delere ac mutare debes quod scripseris, si velis ea scribere, quæ digna sint iterùm legi ac sæpiùs. Stylus erat acus ferrea, quali nùnc utimur in pugillaribus, capite plano, extremâ parte acutâ : hâc scribebant in cerâ; illo, scripta inducebant ac delebant, æquatâ cerâ et complanatâ. Hoc vocabatur *stylum vertere,* seu invertere, utendo capitatâ ejus parte, ad delen-

Scripturus; neque, te ut miretur turba, labores,
Contentus paucis lectoribus. An tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina mâlis [29]?
Non ego; nàm satìs est equitem [30] mihi plaudere, ut audax,
Contemptis aliis, explosa Arbuscula dixit.
Men' moveat cimex Pantilius? aut crucier, quòd
Vellicet absentem Demetrius? aut quòd ineptus
Fannius Hermogenis lædat conviva Tigellî?

dum quod acumine scriptum erat. — *Neque te ut miretur turba labores :* per *turbam* intellige infimam plebeculam, cujus suffragia captare frequentiùs quàm doctorum virorum poetæ nonnulli solent, sivè ipsius cupiditatibus adulantes, sivè obscena tractantes argumenta, sivè denique ultrà extremos satiricæ licentiæ terminos erumpentes. — *Contentus paucis lectoribus : paucis* quidèm, sed, velutì mox explicabit, ità selectis, ut ex eorum suffragiis mòx communis et solida admiratio oriatur. Hunc enìm locum imitatus Bolæus noster in intimam Horatii sententiam felicitèr descendit, in fine Epist. VIII, ad Racinium : *Pourvu qu'avec éclat leurs rimes débitées, soient du peuple, des grands, des provinces goûtées.*

29. *An tua demens Vilibus in ludis dictari carmina mâlis?* mos ille invaluerat, ut prisci tantùm poetæ in scholis publicè legerentur. Aliqui tamèn coætaneorum à magistris obtinebant ut sua scripta hunc honorem usurparent, et sivè imitationi sivè admirationi discipulorum velutì digniora exemplaria proponerentur. Quam ambitionem tangit Horatius, et reprehendit pòst Horatium Persius, Sat. I, 29 : *Tun' cirratorum centum dictata fuisse Pro nihilo pendes? Viles* autèm *ludi*, h. e. scholæ hìc appellantur, non in se, sed respectu habito ad plausus *viles* et sinè pretio, qui ex imberbibus et inexpertis adolescentibus expetebantur. Cicero nomen *ludi* non abhorruit ut *vile*, cùm scholam in propriâ domo aperuerit, affirmaveritque, *Neminem posse munus reipublicæ afferre majus meliusve, quàm si doceat atque erudiat juventutem;* de Divin. II, 2, § 4.

30. *Equitem :* homines lectos et nobiles. — *Ut audax Arbuscula :* mima quædam quæ popnli sibilos equitum suffragiis solabatur. — *Cimex Pantilius :* poeta quidam putidus, cimicis (*une punaise*) turpitudinem et fœtorem referens. — *Demetrius :* alter poeta ignobilis, ut et ille Fannius de quo jàm Sat. IV, 21. —

Plotius et Varius, Mæcenas, Virgiliusque,
Valgius, et probet hæc Octavius optimus, atque
Fuscus; et hæc utinàm Viscorum laudet uterquè!
Ambitione relegatâ [31], te dicere possum,
Pollio, te, Messala, tuo cum fratre; simùlque
Vos Bibule et Servi; simùl his te, candide Furni;
Complures alios, doctos ego quos et amicos
Prudens prætereo, quibus hæc, sint qualiacumque,
Arridere velim, doliturus, si placeant spe
Deteriùs nostrâ. Demetrî, teque, Tigellî,
Discipularum intèr jubeo plorare cathedras [32].
I, puer, atque meo citus hæc subscribe libello.

Plotius : vide suprà Sat. V, 40. — *Varius, Virgiliusque :* ibidèm. — *Valgius :* idem ille est, cujus nomine inscribitur ode IX lib. II. — *Octavius :* poeta et historicus insignis, in cujus mortem extat nobile Virgilii epigramma, Catalect. XIV. — *Viscorum utèrque :* vide epist. I, 10 ad Fuscum Viscum scriptam.

31. *Ambitione relegatâ :* citrà adulationem et turpe commodis meis inserviendi studium. — *Pollio :* vide od. II, 1. — *Messala :* cognomine Corvinus; apùd Nostrum honorificè memoratus. — *Bibuli, Servi, Furni :* nomina sunt virorum nobilitate et litteraram studio insignium. — *Prudens :* ex industriâ, ne fortè, amicitiam et comprobationem tot virorum mihi arrogando, fastûs et inanis superbiæ crimen incurram.

32. *Discipularum intèr jubeo plorare cathedras :* mores audientium Demetrii Tigelliique versus carpit, dùm eos non *discipulorum*, sed *discipularum* titulo afficit, quod utriusque mollitiei jàm suprà v. 19 notatæ apprimè convenit. Effeminatis hominibus discipuli discipularum loco erant. — *Jubeo plorare;* locutio græca et formula malè imprecandi; κλαίειν, vel εἰμώζειν λέγω, κελεύω. — *I, puer :* Amanuensem aliquem significat, qui scripta et dictata exciperet. — *Subscribe :* pòst cæteras satiras in hoc libro comprehensas, seu potiùs pòst quartam satiram, cujus hæc nova quasi necessaria appendix est.

LL
H8113Du

Horace
Quintus Horatius Flaccus; ed. by
Duviquet. Vol.2.

52633

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED